EXPOSITIO LITERALIS IN REGVLAM S. FRANCISCI.

Iuxta Declarationes Summorum Pontificum NICOLAI III. & CLEMENTIS V. ac Sanctorum Expositorum clarè & distinctè Quæstionibus ac dubiis distributa.

AVCTORE.

R. P. F. Petro Marchant, eiusdem Ordinis Regularis Obseruantiæ Diffinitore Generali & Prouinciæ S. Ioseph in Comitatu Flandriæ Fratrum Minorum Recollectorum Ministro Prouinciali.

ANTVERPIÆ.
Apud Guilielmum Lesteenium, via vulgo Hoochstraet, sub Pellicano.
M. DC. XXXI.

REVERENDISSIMO
PATRI
AC ILLVSTRISSIMO DOMINO,
F. BERNARDINO
DE SENIS

TOTIVS ORDINIS S. FRANCISCI
Generali Miniſtro, electo Epiſcopo
Viſetenſi in Regno Portugalliæ,
Patri optimo.

F. PETRVS MARCHANT EIVSdem Ordinis Diffinitor Generalis Reuerentiam, & Obedientiam.

H*ELIÆ in ſuperiora igneo curru, flammeis equis abeunti, rapto, eleuato, fælici clamore ingeminabat Elizæus*; Pater mi, Pater mi: Currus Iſraël & Auriga eius, *Quo clamore & Prophetæ palliolo veſtitus eſt, & duplici*

eius ſpiritu inueſtitus. Abit T. R[ma] *P. rapitur, eleuatur curru illo igneo, quo vehuntur qui ad Seraphinorum ſtatum perfectum, animarum ſæcularium ignitum regimen euehuntur. Abit à laboribus pluſquam Epiſcopalibus vniuerſi regiminis Ordinis Seraphici, vt dignitate Epiſcopali coronetur; & qui durioribus laboribus Sacras Infulas præuenit, Sacrarum Infularum Ordine inſigniatur. Abit ad iſtos Angelos Eccleſiarum, qui candelabra tenent*, in quorum medio ſtat ſimilis Filio hominis. *Abit ad fulgentiſſimas illas ſtellas* quas tenet in dexterâ *ille ipſe* ſtans in medio candelabrorum. *Et ecce abeunti acclamat vnus ex diſcipulis, & Filiis tuis à finibus Belgarum, è quibus Proauos accepiſti: Patrem*

meritò

meritò ingeminat; *quem* & Familiæ totius Cismontanæ Segouiæ, & Totius Ordinis *post quadriennium* Romæ Patrē *cum totâ coronâ Electorum* & *acclamauit*, & *adorauit*. Currum Israël *te agnoscit*, & *Israëlitici gregis S. Francisci: de quo dixit tibi Deus*: Porta eos in sinu tuo, sicut portare solet nutrix infantulum, & *quem portasti*, & *in humeris*, & *in brachiis tuis*. Aurigam *fatetur*, *qui lora fæliciter tenuisti*, *quippe qui potens es etiam* Rhinocerotem alligare loro *tuo*, cuius *vtique*, iugum & lorum curuant collum durum, & seruum inclinant operationes assiduæ. *Postulat solum Clientulus ad te clamans Pallium protectionis*, *quo* Regulæ Expositio *quam nomini R*^*mæ*^

Num. 11. Iob. 39. Eccl. 33.

P. T.

P. T. dicat, protegatur, & ſpiritu tuo duplici defenſetur. Hac enim protectione Pallij tui indiget, quæ inter arma Belgica nata, etiam externas regiones peragrare contendit; vt ocurrente forſitan aquarum multarum Iordane, in variis contradictionibus opinionū humanarum, aquas diuidat, & ſentiant, quod Deus Heliæ noſtri operetur in illa. Duplici etiam tuo ſpiritu Sapientiæ *ſcilicet &* Virtutis *ſtabiliri peroptat, vt in illa omnes doctrinam agnoſcant, quam verbo & exemplo in vniuerſi Ordinis agro ſeminaſti. Accipe igitur oblatum Clientuli ſcriptum pro Elizei votis & vocibus, dimitte Pallium, diſtribue Spiritum, Paternam benedictionem indulge, quam à te pro ſe, & grege ſibi à R^{ma} T. P. in*

hac

hac nouâ S. Ioseph in Comitatu Flandriæ Prouincia, tuâ auctoritate nouiter erecta, commisso efflagitat. Datum Gandaui Flandriæ 23. Decembris 1630.

Obseruantissimus Filius & subditus,

F. Petrus Marchant.

REVERENDIS,

VENERANDIS, DILECTISSIMIS,

PATRIBVS

AC FRATRIBVS

PROVINCIARVM

FLANDRIÆ,

AC S. IOSEPH

IN COMITATV

FLANDRICO.

F. PETRVS MARCHANT ſpiritum Domini & ſanctam eius operationem.

EXpoſitio litteralis in Regulam, quæ per manus Diſcipulorum meorum impolito ſatis, & præmaturo opere vagabatur, veſtrâ amicâ importunitate poli-

politior lucem adſpicit, præcincta magis & inſtructa ad iter, quam multarum citationum & rationum podêre defluente togata. Omnibus quidem debitor ſum (iis maximè Prouinciis, quas Domi & in Belgio, vel foris in externo ſolo ex Commiſſione Generalium Prælatorum viſitaui, huiuſmodi Regulam velut Euangelizans) vobis tamen ſuper omnia. Tibi (inquam) *Flandriæ Prouincia*, ex cuius vtero Religioni natus, lac primum pietatis ſuxi, & demum *in Domibus ſtrictioris Obſeruantiæ Fratrum Recollectorum* ſolidiores cibos deguſtaui; donec Deo diſponente & Commiſſionibus Apoſtolicâ ac Generali auctoritate firmatis, *Tibi* in laboribus reſtaurandæ Regularis diſciplinæ adeſſem, & poſteà in *Miniſterij Prouincialis* clauo per triennium *Tibi* pro meâ imbecillitate præeſſem, vt prodeſſem. Tibi verò *S. Ioſeph Prouincia*, quæ (erectionem his diebus procurante & curante *R*mo. *P. F. Ioſepho*

Ber-

Bergaigne Diffinitore Ordinis, & Prouinciarum Belgicarum ac Germanicarum Commissario Generali) in Comitatu Flandriæ fæliciter sub *Fratrum Minorum Recollectorum* sanctis legibus assurgis, meâ operâ eò magis deuincta est, quod *Primus Minister* ad clauum sedeam, & eruendis secandisque sacris marmoribus, quæ in Fundamentis primis poni debent collaborem. Ad quæ quidem Fundamenta, en *Regulæ Expositionem* profero, vt super Regulæ firmamento tota structura assurgat, iuxtà spiritum Patriarchæ pauperis: quem omnibus vobis adprecor. Scopum verò & intentionem huius nostri operis sequens *ad Lectorem Admonitio* breuiter & clarè exponet.

Admonitio.

ADMONITIO SERIA
AD LECTOREM.

T*VAM Fidem, candorem tuum obteſtor (Candide Lector) Qui enim in hoc genere ſcribendi verſantur:* Nonnulli *eorum pro ſuâ pietate & Religionis Zelo, in ſuperioribus gradibus perfectionis libero curſu ambulant, tractantes apices perfectionis Regulæ, iuxtà rigorem eorum, qui puriſſimè illam obſeruant, ſicque ſolis illis pennatibus ſpiritibus, & quibus* ceruorum pedes perfecit Deus vt ſuper excelſa eos ſtatueret *deſeruiunt: non attendentes quod Iacob noſter* paruulos habeat teneros, oues & boues fœtas ſecum, quas ſi plus in ambulando fecerit laborare, morientur vnâ die. *Hoc eſt quod multi ſint Fratres infirmi & imperfecti, qui non poſſunt cum perfectis æquis paſſibus ambulare, quibus pro ſuâ teneritudine prouidendum eſt, cum Regulæ Obſeruantia in indiuiſibili non conſiſtat:* Alij ſunt, *qui Regulam exponen-*

tes

tes multa Priuilegia Pontificum, & Viuæ vocis Oracula coaceruant, & venditant, ponentes offendicula Pedibus insipientium, quærentes excusationes in peccatis. *Quorum expositiones eò magis sunt periculosæ, quod à via deflectant, & per inuia & prærupta Fratres ducant, volentes suas stabilire consuetudines malas, magis quam veritatem Regulæ edocere, odio vt plurimum Reformationum & strictioris vitæ.* Priores *non sum secutus; quod hi perfectis deseruiant & sublimioribus viam struant.* A posterioribus *omninò etiam declinandum duxi; quod nulla Priuilegia Regulæ relaxatiua apud veros Fratres Minores agnoscam, & ipsos talia tractantes & amplectentes à tota nostra Religione repudiatos sciam.* Medio *itaque itinere gradior pro vniuersis Fratribus*, perfectis & imperfectis, *vt nimirum limites designem, citrà quos Deus mortaliter offendi non potest, vltrà quos nemo sine peccato mortali transilire potest. Rogo autem Lectorem vt ab extremitatibus abstineat ne labatur:* Qui enim periculum amat, peri-

peribit in illo: *nec quia necdum peccatum mortale est, idcircò securè limitem accedat, si perire non vult. Limites designaui iuxtà vel* Regulæ Litteram, *vel* Pontificũ nudam Declarationẽ, *vel* Proborum in dubiis Interpretationem, *quorum in variis Europæ regionibus & factis, & consultationibus interfui. Si quis itaque cecidit post factum de sua conscientia ex dictis in hac Expositione iudicium ferat, & pœniteat: ante factum cum nondum cecidit, ab extremo limite longè declinet, & securius ad perfectiora gressum promoueat ne cadat,*

Licen-

Licentia & mandatum Superioris.

FRater Iosephus Bergaigne Totius Ordinis Fratrum Minorum Definitor & super Prouincias Germaniæ, Belgij, Hyberniæ, Angliæ, Scotiæ cum plenitudine potestatis Commissarius Generalis R. admodùm Patri Fratri Petro Marchant eiusdem Ordinis Definitori Generali & Prouinciæ nostræ Comitatus Flandriæ S. Ioseph Ministro Prouinciali, Salutem.

Cum in dictis Germaniæ, Belgij & aliis nobis commißis Prouinciis, non solum Patres & fratres Ordinis nostri sed plures etiam alij Magnates Religioni nostræ Deuoti & Patroni, diu desiderauerint breuem aliquam & claram Expositionem Regulæ S. P. N. Francisci; Nunc verò intellexerimus & ipsimet viderimus R^dam. Admodum Pat. Vrãm eâ breuitate, claritate & doctrinâ, quibus plura scripsit, & omnium applausu in lucem edidit, desideratam talem Expositionem in Regulam nostram concepisse. Hinc est quod præsentium virtute rogamus, & in meritum Sanctæ Obedientiæ mandamus, vt illam curet quam citißimè potuerit typis mandari, & impressam diuulgari, Quod sine dubio erit ad plurimorum Religiosorum Solatium, & maiorem conscientiarum quietem, & ad Satisfactionem Externorum, qui ob diuersas Regulæ nostræ

nostræ Obseruantias, & Ordinis Reformationes, diuersimodè & sæpè malè iudicant Vale. Datum in nostro Fratrum Minorum Conuentu Gandaui, ipsâ S. Ioannis Euangelistæ Die An. 1630.

FR. IOSEPHVS BERGAIGNE,
Qui supra manu propria.

APPROBATIO.

EGo infra scriptus testor accuratè perlegisse Expositionem litteralem Regulæ Sancti Patris Nostri Francisci à Reuerendo admodum P. Fratre Petro Marchant Totius Ordinis Seraphici Definitore Generali, Prouinciæ Flandriæ Patri, & Prouinciæ Sancti Ioseph inComitatu Flandriæ Ministro Prouinciali,iudicasseque ob perspicuitatem doctrinæ cum soliditate coniunctam, prælo mandari, & omnium Regulam Fratrum Minorum profitentium manibus teri, ob vtilitatem suam, omnino debere. Actum in Conuentu Bruxellensi.9. Decembris Anni 1630.

FR. ARNOLDVS PALVDANVS,
eiusdem Ordinis Prouinciæ Flandriæ Minister, & S.Theol. Lector Iubilatus.

De mandato Reuerendissimi Patris Commissarij Generalis F. Iosephi Bregaigne, perlegi expositionem R^dᵗ. Admodum P. F. Petri Marchant Diffinitoris Generalis ac Ministri Prouincialis Prouinciæ Comitatus Flandriæ Beati Ioseph in Regulam Fratrum Minorum elaboratissimam, plurimum SS. Pontificum Nicolai III. & Clementis V. conformem, ac Quatuor Doctorum, aliorumque selectiorum expositorum doctrinæ respondentem : quare ad instructionem præfatorum Fratrum & multorum conscientiæ quietem dignissimam prælo censeo : Datum Bruxellæ 9. Decembris 1630.

FR. PETRVS CARPIN Prou. Flandriæ Pr. Sacræ Theolog. Lector.

PRomotioni pietatis, instructioni & multarum conscientiarum quieti deseruiet, si Expositio litteralis Regulæ S. Francisci à Rdo. admodum Patre Petro Marchant elaborata quantocius excudatur. Actum Antuerpiæ 13. Martij 1631.

GASPAR ESTRIX *Plebanus & Lib. Censor.*

IN REGVLAM ET VITAM FRATRVM MINORVM.

PROEMIVM.

REgulam Fratrum Minorum à tot Sanctis Patribus & viris doctissimis sæpissimè explicatam, iterum manu tero: non glossam missurus in illam, contrà expressam Beatissimi Patris nostri Francisci mentem; non manum conserturus cum aliquo, *dicendo, Ità voluit intelligi*: Minus nouas doctrinas & dogmata humana inserturus: sed, *sicut dedit Dominus* Sanctissimo Fundatori, *simpliciter & purè dicere & scribere*, conabor sine glossâ purè & simpliciter intelligere, vt *cum sanctâ operatione* obseruemus *illam vsque in finem.* Interpretem simplicis illius, & puri dicti & scripti (vbi minus oboffusas vel à dubitantibus, vel à disputantibus, vel à scrupu-

losis tenebras veritas parebit) quæram vel summi Pontificis Regulam approbantis declarationem ; vel Sanctorum qui in Ordine claruerunt vitam, aut demum antiquorum Patrum & Ordinis continuam traditionem. Scopus meus est non vt sapientior docere, sed cum Fratribus iuxtà Sapientis sapientissimum monitum: *Stare in testamento nostro, in illo colloqui, & in opere mandatorum Dei veterascere.* Ordo huius breuioris explicationis est positis aliquot Proœmialibus Q.Q. quasi cardinibus, in singulis Regulæ capitibus singulas difficultates præcisis quæstionibus enucleare; Cautelas contrà abusus proponere, Praxim securam, quantum Dominus dederit, pro conscientiarum quiete aperire. Adspiret Deus qui Beatissimo Fundatori Regulam inspirauit. Non dubito quin mihi, quod aliis in hoc scribendi genere, continget, vt interdum laxior, in-
terdum

terdum ſtrictus nimis reputer, ſed ſuum cuique iudicium ſit : mihi ſufficit teſtimonium conſcientiæ meæ verbis Regulæ ac Declarationum Summorum Pontificum ſe conformantis. Vnicum rogo, vt Lectores huius expoſitionis, non tam attendant quod dicitur, quam rationem & Fundamentum in quo & ſuper quo dictum fundatur.

TITVLVS PRIMVS PROEMIALIS.

De nomine & Regulâ Fratrum Minorum.

QVÆSTIO I.

Qui dicendi ſint veri Fratres Minores?

NOminis etymologiam non tango: Omnibus enim peruium eſt illud S. *Bonauenturæ*: D. Franciſcum diſcipulos ſuos vocaſſe Minores *ne præſumerent fieri maiores*: aut vt *Beatus Cardinalis Iacobus de Vitriaco* Sancto Patri contemporaneus annotauit de Ordine Fratrum Minorum loquens in *Hiſt. Occid. c.* 32. *Hæc eſt* (inquit) *Religio verè pauperum Crucifixi quos Minores appellamus, Verè Minores & omnibus huius temporis Regularibus in habitu, & nuditate, & mundi contemptu humiliores.* Non igitur quæro quid nominis, ſed quid rei huic nomini ſubſit.

CONCLVSIO I.

FRatres Minores illi ſoli ſimpliciter dicendi ſunt qui Regulam Fratrum Minorum in ſuâ puritate vouerunt, & obſeruant.

Ratio

Ratio ex ipſis terminis clara eſt: Sicut enim ille ſolum verè Chriſtianus eſt qui baptiſmatis Sacramento initiatus, Chriſtianam vitam, Fidem professus eſt; & vitam Fidei quam eſt profeſſus conformem ducit: ſic ſolus ille verè Frater Minor dicendus eſt, qui Regulam & vitam Fratrum Minorum, quam eſt profeſſus obſeruat: qui enim non obſeruant nomine, & habitu, & etiam obligatione Fratres quidem Minores ſunt; vitâ tamen & moribus non ſunt: ſicuti qui charactere Chriſtianus eſt, moribus autem & vitâ Paganus. Et hac ratione *Paulus Quintus*, probat Patres Cappucinos veros eſſe filios S. Franciſci, eo quod *quamuis tempore S. Franciſci minime inſtituti fuerint*, Regulam tamen S. Franciſci obſeruant, Vide Bullam eius, quæ incipit: *Eccleſiæ militantis regimini, &c.* Datam 15. Octob. 1608. Pontificatus anno 4. Et S. Franciſcus (*teſte Mariano c.* 18) loquens olim beato Fratri Cæſario de Spira, dixit. *Conſum Fratribus à Chriſto, & à ſeipſo; Recedere à Regulæ tranſgreſſoribus; indicans eos iam ad ſuam familiam non pertinere.* Quod cum grano ſalis intelligendum eſt, quandò ſcilicet eſſes publicâ authoritate, non alicuius Fratris opinione declarati eſſent tranſgreſſores

res, ab eo cuius eſt de huiuſmodi iudicium ferre.

Ex quo infero 1. Omnes vouentes purè Regulam Fratrum Minorum eſſe, & appellari debere Fratres Minores, ex quacumque tandem Congregatione ſint, & quodcumque nomen diſtinctiuum ob mutationes nonnullas aſſumpſerint, vtpotè Fratres Minores, Cappucini, Obſeruantini, Recollecti, Diſcalceati, &c. Hæc enim nomina, quamuis nonnullam in quibuſdam modis Obſeruantiæ diſtinctionem dicant, in profeſſione tamen eſſentiali, omnes eadem omninò vota ſub iiſdem obligationibus emittunt.

Infero 2. Fratres Minores Conuentuales ſimpliciter & ſine adiecto non poſſe dici Fratres Minores. Ratio eſt quia Regulam Fratrum Minorum ſimpliciter non vouent, ſed prout priuilegiis relaxata eſt, & in eſſentiali ſuo rigore diminuta; vt conſtat ex verbis expreſſis formæ profeſſionis eorundem.

QVÆSTIO II.

Ad quam Regulam Fratres Minores teneantur?

DVas Regulas S. Franciſcum compoſuiſſe conſtat ex hiſtoria vitæ eius & Anna-

nalibus Ordinis: Priorem quidem prolixiorem viginti trium Capitulorum, quam cum numerus Fratrum ad duodenarium excreuiſſet, ex variis Scripturis Euangelij coaceruauit nonnihil confusè & indigeſtè, *anno Chriſti* 1210. Religionis anno 3. & quam à ſe approbatam Innocentius 3. ei reddidit eodem anno: tum viſionum diuerſarum demonſtrationibus commotus; vtpote palmæ inter pedes in arborem pulcherrimam ſuccreſcentis; & pauperculi Lateranenſem Eccleſiam ruinam minantem dorſo ſuſtinentis; tum aſſertione parabolę Virginis pulcherrimæ paupertatis, quam ſibi Rex ditiſſimus deſponſauit: Poſteriorem quam diuino motu compendioſius, & ſtrictius, duodecim Capitulis præciſè concinnauit, & ex variis micis Euangelij in vnam velut hoſtiam ex viſione diuinâ coagmentauit, Chriſto Domino illam ei in monte Palumbo dictante, dum orationi ad illum effectum vacaret: Et quam *Honorius* 3. *anno* 1223. Pontificatus ſui anno 8. confirmauit & demum à Fratribus obſeruari voluit.

CONCLVSIO.

FRatres Minores tenentur ad Regulam poſteriorem à Domino *Honorio* Papa confirmatam. Patet ex formâ Profeſſionis

in qua dicitur *Voueo & promitto Deo &c. Toto tempore vitæ meæ obſeruare Regulam Fratrum Minorum per D. Honorium Papam confirmatam.* Vnde hanc ſolam Regulam Fratres primi Ordinis Fratrum Minorum à S. Franciſco inſtituti vouent: Et hæc vnica Regula in vſu & vigore eſt in Eccleſia ex Pontificum Summorum decreto: Et communiter hæc vocatur prima Regula, facto reſpectu ad Regulam S. Claræ, quæ data eſt Ordini ſecundo Pauperum Dominarum. Et Tertiam Regulam, datam Tertio Ordini de Pœnitentia. Vnde conſtat quam inſipienter & ex principiorum ignorantiâ loquantur qui aliquos Fratres Minores Primæ Regulæ, alios ſecundæ Regulæ nuncupant: Omnes enim Fratres Minores ſiue de Obſeruantia, ſiue Recollecti, ſiue Cappucini, ſiue Diſcalceati &c. ſicut de primo Ordine ſunt, ſic de prima Regula ſunt. Secundus autem Ordo ſiue ſecunda Regula Fratres non habet ſed tantum Sorores, quæ vulgò S. Claræ nuncupantur. Tertius autem Ordo ſicut & Tertia Regula Fratres & Sorores de Pœnitentia complectitur.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Quanta ſit perfectio illius Regulæ Fratrum Minorum per Honorium Papam approbata?

NOlo odioſam hîc multis comparationem facere cum Rægulis aliorum Ordinum: ſolent enim plurimi ſine ſale huiuſmodi quæſtiones proponere non tam veritatem inquirentes, quam ſe ſuamque Regulam ſuper alias aliorum Ordinum Regulas exaltantes, tipho quodam ſecretæ ſuperbiæ è radice philautiæ germinantis. Verùm vt benè *Hugo de Dina in c. 1. Regulæ*: *Comparationes odioſæ ſunt & vix ſine ſcandalo & iactantia nota fiunt.* Cuilibet itaque Religioni ſua ſit perfectio ad multiformis Dei Spiritus gloriam multiformem: Mihi verò liceat perfectiones Regulæ Fratrum Minorum probatas aperire ſimplici affectione.

CONCLVSIO.

Regula Fratrum Minorum perfectiſſima eſt & præſtantiſſimis Dei fauoribus ac prærogatiuis inſignita 1. Ab auctoritate Auctoris: Quia à Chriſto dictata. Sic teſtatur ſummus Pontifex *Nicolaus 3. In decreto: Exiit qui ſeminat, De verborum ſignifica-*

tionibus in 6.: Hæc est (inquit) *apud Deum & Patrem munda & immaculata Religio. quæ descendens à Patre luminum, per eius Filium exemplariter & verbaliter Apostolis tradita, & demum per Spiritum S. Beato Francisco, & eum sequentibus inspirata, totius in se continens testimonium Trinitatis & à Clemente V. in Decreto: Exiui de Paradiso* vocatur: *Cælestis vitæ Forma.*

Fundatur vero hæc doctrina insigni illâ historia quam referunt *Marianus c. 13. & 22., & Annales* communiter vt videre est apud *Lucam VVaddingum ad annum Dñi 1223, Honorij Papæ 8. Religionis 16. num. 10.* Vbi refert quod cum Sanctus Franciscus ductus esset à Spiritu Sancto (assumpto F. Leone, & F. Bonirio) in montem columbæ, siue Rainerij propè Reate ad hanc Regulam componendam: Commotione facta per F. Heliam inter Ministros quasi inobseruabilem S. Franciscus illis Regulam concinaret, venerunt simul ad montem vt suis humanis allegationibus virum sanctum ab incepto opere reuocarent. Verum de hac Commotione S. Patre conquerente apud Dominum, cum animi perturbatione nonnullâ, Christus in *lucidâ nube* apparens hæc intulit: *Homuncio quid turbaris? quasi tuum hoc opus esset, &c. Nonne omnia*

Regulæ

Regulæ præcepta à me præſcripta? Nonne Tabulæ hæ à me formatæ? Tu dumtaxat tenue huius operis inſtrumentum & calamus ſcribentis. Noui ego quid dictauerim, noui quid velim præcipere: Vires humanæ mihi compertæ ſunt; ſcio quid poßim, & quantum ego valeo, & volo præſtare ſubſidium. Volo proindè vt Regula hæc obſeruetur ad litterã, ad litteram, ſine gloſſâ, ſine gloſſâ, &c. Confirmat hanc Hiſtoriam reuelatio facta S. Brigittæ à Chriſto dum Hieroſolymis Vidua eſſet, *prout refertur L. 7. cap. 20.* Vbi hæc Chriſti ad illam verba leguntur: *Iſtius Franciſci Regula quam ipſe incepit non fuit dictata & compoſita ab ipſius humano intellectu & prudentia, ſed à me ſecundum voluntatem meam. Quodlibet enim verbum quod in ea ſcriptum eſt, à Spiritu meo fuit ſibi aſpiratum, & poſtea ipſe aliis Regulam illam protulit, & porrexit.* Hæc ibi.

Huius Reuelationis mentionem facit S. Franciſcus in ſuo Teſtamento: *Et poſtquam dedit mihi Dominus de Fratribus: nemo oſtendebat mihi quid deberem facere, ſed ipſe Altißimus reuelauit mihi quod Ego deberem viuere iuxta formam S. Euangelij; Et ego eam paucis & ſimplicibus verbis feci ſcribi, & Dominus Papa confirmauit mihi, &c.* quaſi diceret, ſicut reuelauit ſic eam feci ſcribi.

gelij, viam Crucis, Statum perfectionis, Clauem Paradysi, Pactum fœderis æterni.

Quin imò Christus idipsum testatus est in visione micarum & hostiæ ex illis confectæ: de qua comedentes, alij vultu corpulentiores apparebant, alij leprâ infecti: *Micæ* (ait Christus) *verba Euangelij, hostia Regula, lepra iniquitas.*

Et Nicolaus 3. supracitatus apertè monet: hanc Regulam eandem esse quæ Apostolis per Christum olim tradita fuit, quæ in S. Francisco & per illum velut resuscitata est.

Quod argumentum amplissimè tractat *Illustrissimus & Reuerendissimus Cardinalis Iacobus de Vitriaco in hist. Occid. c. 23. Tribus*(ait) *Eremitarum, Monachorum, Canonicorum Religionibus, vt regulariter viuentium quadratura fundamenti, in soliditate sua firma subsisteret, addidit Dominus in diebus istis quartam Religionis institutionem, Ordinis decorem & Regulæ sanctitatem; Si tamen Ecclesiæ primitiuæ statum & Ordinem diligenter attendamus, non tam nouam addidit Regulam, quam veterem renouauit, releuauit iacentem, & penè mortuam suscitauit Religionem, &c. Vt contrà Anti Christi periculosa tempora, nouos Athletas præpararet.* Hæc ille.

Ibidem. *Adeò primitiuæ Ecclesiæ Religionem, pauper-*

paupertatem, & humilitatem in se reformare diligenter procurant, puras Euangelici fontis aquas cum siti & ardore spiritus haurientes quod non solum Euangelica pracepta, sed & consilia vitamque Apostolicam expreßius imitantes, omnibus modis adimplere laborant, omnibus quæ poßident renuntiantes, seipsos abnegantes, crucem sibi tollendo nudi nudum sequentes, relinquentes pallium cum Ioseph, hydriam cum Samaritana.

Hæc iterum ille oculatus testis, & practicus ponderator noui Ordinis Fratrum Minorum, quæ vt latè prosequitur, illum latissimè candido affectu commendat.

3. Regula Fratrum Minorum dicitur perfectissima, quia in summo gradu vota essentialia Religionis complectitur: Paupertatē altissimam tam in communi quam in speciali quæ iure poli simplici vsu facti necessario ad vitā quod cōsc: uandam contenta est. Obedientiam latissimam profundissimamque, quæ nullis clauditur limitibus, sed licita omnia amplexatur quæ non sunt, contrà animam & regulam promissam: Castitatem fulgentissimam, quæ non tantum maculas vitat, sed etiam maculæ vmbram & suspicionem, vt ex Regulæ decursu patebit. Alias prærogatiuas omitto, vt &

S. Bonau. c. 1. Regula.

licentiosæ huius quæstionis telæ filum
scindam.

QVÆSTIO IV.

Quæ sint huius Regulæ obligationes, & vnde cognosci poßint?

TImoratæ Fratrum Minorũ conscientiæ in diuersas partes abeuntes, non sine graui animarum periculo, cum sedari non possent solâ textus interpretatione, sollicitarunt Summos Pontifices (qui vt Regularum Approbatores, mentem Fundatorum velut *in scrinio pectoris* continent) vt quod opiniones hominum definire non poterant, illud de Cathedrâ & Summâ potestate diffinirent.

CONCLVSIO I.

PRæter tria vota essentialia, sunt viginti quinque obligatoria Regulæ ad peccatum mortale: nimirum, Septem præcepta formalia: Duo Inhibitoria; quatuor habentia vim præcepti: Duodecim æquipollentia præceptis. Hæc omnia patent ex Summorum Pontificum Declarationibus, & patebunt in decursu Regulæ totius. Quamuis autem nonnulli obligatoria multiplicauerint vsque ad num. 28. & alij vsque ad

39. vel 40. Hæc tamen multiplicatio non tantum inutilis est, sed etiam in aliquibus irrationabilis, cum in minori numero comprehendatur & compendiosius & facilius. Sic in vno præcepto c. 10. *Quod Fratres obediant suis Ministris in omnibus quæ non sunt contrariâ animæ suæ & Regulæ*, includuntur duo quæ c. 1. & 8. referuntur, de Obedientia ad Successorem S. Francisci siue Generalem. Item vno præcepto complectimur ieiunia omnia Regulæ, quæ ab aliis distinctim tria ponuntur. Sic vno præcepto compendiauimus omnia, quę ad formã habitus, & ad modum receptionis & professionis pertinent: prout Clemens 5, compendiauit, quæ in plurima præcepta alij dispertiunt. Et idem esto iudicium de aliis.

CONCLVSIO II.

HViusmodi obligationes non nascuntur ex solâ voluntate Pontificis volentis obligare, sed ex naturâ Regulæ iunctâ intentioni Institutoris eius, cui se conformarunt qui à principio eam vouerunt.

Hæc conclusio sic declarari potest iuxtà tres partes quas complectitur.

1. Non ex solâ voluntate Pontificis nasci hanc obligationem patet. Neque enim Pontifex in voluntario illo ReligiosæPro-

fessio-

fessionis Sacrificiò, pro suâ voluntate obligationum vincula multiplicare potest, sed tantum intrà terminos ipsius Regulæ, cui se Religiosus obligauit. Vnde *Bernard: Lib. de dispens. & præcepto : Nihil præcipiat* (inquit) *Prelatus eorum quæ non promisi, nihil prohibeat eorum quæ promisi, nec augeat nec minuat votum meum.* Ex quo infertur in iis quæ sunt voti, spectari debere votum ipsum, vt obligationes dignoscantur.

2. Pars Conclusionis docet naturam Regulæ iunctam intentioni Institutoris esse atttendendam. Patet ex Declarationibus Summorum Pontificum, qui testantur frequentius in dubiis se intentionem S. Francisci interpretari. Sic in *Decl. Gregorij 9. quæ incipit. Quo elongati à sæculo. Et in Decl. Nicolai 3. & Clementis 5*: qui quidem quam præcisè omnià exanimarit, claret ex eius verbis: vbi postquam ostendit Fratres non teneri ad omnia quæ sub verbis imperatiui modi in Regulâ ponuntur, sed tantum ad præceptorum seu præceptis æquipollentiū seu vim præcepti habentium obseruantiam, ne indiscretis & scrupulosis seges inquietudinis ministraretur. Prius ostendit se dicta æquipollentia vel vim præcepti habentia ex tribus capitibus eruisse. 1. Ex

vi

vi verbi quod præceptum & obligationem ſonat, vt cum verbum, *Teneantur*, appoſitum eſt. 2. Ex vi materiæ de quâ agitur, vtpotè, quod votorum principalium vel præceptorum formalium obſeruantiam contingat. 3. Ex vtroque, vbi ſcilicet & verbum obligationem dicit, & materia grauior eſt. His ſic propoſitis demum in compendio æquipollentia enumerat, *Vide eius Extrauagantem. c.* 1. §. *Item quia.*

3. Pars Concluſionis denotat conformitatem voluntatis eorum, qui à principio Regulam vouerunt: etſi enim votum in conſcientiâ non obliget niſi iuxtà vouentis intentionem: qui tamen intendit vouere Regulam Fratrum Minorum, & eſſe Frater Minor: cenſetur illam intendere vt eſt, & conformiter ad eos qui eam benè vouerunt: non verò ſecundum abuſus qui fortè in Regulæ obſeruantiâ per relaxatos introducti ſunt. *Impertinens enim & peccaminoſa intentio in votis, habetur pro non adiecta.* Quod maximè notare debeat qui ſuper relaxationibus tempore ſuæ Profeſſionis illegitimè introductis ſe excuſant.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

In ignorantia obligationum Regulæ vouentem ab eorum obseruantiâ absoluat?

Hic distinguendum esset de Ignorantia inuincibili, probabili, affectatâ u crassâ, & supinâ. Sed ex Theologis terminos suppono.

CONCLVSIO I.

Nullus Frater absoluitur ab obligationibus regulæ ob quamcumque ignorantiam obligationum eius.

Ratio est: Supposito enim quod voluit vouere statum Fratrum Minorum, consequenter supponitur voluisse vouere obligationes status & Regulæ, etsi de illis in speciali non cogitaret, aut instructus non esset: qui enim intendit principale, intendit & accessorium, multò magis id quod intimè est principali annexum. Quemadmodum: Qui in persecutionibus audito solo nomine Christianorum volebat fieri Christianus & baptismo initiari, hoc ipso legibus Christianorum se subiiciebat.

CON-

tiarum Academias profitentur; & in necessariâ Regulæ suæ scientiâ rudes & indocti sunt: Moueantur qui alios docere tenentur, quia *Paruuli* multi *petierunt panem*, *nec fuit qui frangeret eis*: Gemant illi, *Qui noluerunt intelligere vt benè agerent.* Qui dixerunt Deo, *Recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Thren. 4. Psalm 35. Iob. 22.

QVÆSTIO VI.

An Fratres Minores ex vi voti ad alias obligationes teneantur præter eas quæ in Regulâ continentur?

HAnc dubitationem causauit Testamentum, quod in fine vitę suę B. Pater Franciscus Fratribus dedit pluribus adauctum pręceptis; & Pontificum Declarationes quæ nonnullas etiam obligationes Regulæ superaddidisse videntur.

CONCLVSIO I.

FRatres Minores non tenentur sub peccato ad Testamentum S. Francisci, nisi in iis, quę cum Regulę obligationibus habet communia.

Ita *Nicolaus 3. in Extra: Exiit qui seminat.* citans *Gregorium 9.* Rationem verò addit: *Quia* (inquit) *sine consensu Fratrum, & maximè Ministrorum, quos vniuersos tangebat, eos*

eos obligare nequiuit, nec successorem suum quomodolibet obligauit, cum non habeat imperium par in parem. Dixi (sub peccato) tenentur enim de congruo, vt filij & hæredes spiritus S. Patris.

CONCLVSIO. II.

FRatres Minores sub peccato non tenentur ad Declarationes summorum Pontificum, nisi in iis quæ Dei vel Regulæ præcepta siue obligatoria tangunt, nec sub modis, nisi sub quibus ad dicta Regulæ obligatoria ex vi voti obligantur.

Ratio est; quia Declarationes sunt puræ interpretationes, & decisiones obligationum Regulæ, pro serenitate & securitate conscientiarum. Vnde modi nonnulli superadditi ad obseruantiam præceptorum, magis exemplificatiuè sunt positi ad cautelam & securitatem Fratrum, quam ad obligationem nouam superintroducendam, nec aliter eos tangunt quam ipsa præcepti vel æquipollentis substantia, vt suo loco dicemus.

Imò notat quidã Neotericus expositor, quod quamuis Pontifices Nicolaus 3. & Clemens 5. (quorum Declarationes solæ in vigore sunt) intendissent aliqua præcepta dare Fratribus, per Sixtum 4. tamen fuisse reuocata, cum omnia præcepta ab obligatio-

tionibus Regulæ distincta reuocauit & cassauit, vt habetur in Bullâ quæ incipit: *Circumspecta Sedis, &c.*

QVÆSTIO VII.

An sit aliquod Priuilegium Pontificum in vigore quod aliquod Regulæ præceptum relaxet aut dispenset?

MVlta sine dubio fuerunt olim impetrata Priuilegia, dubiis & ancipitibus allegationibus contrà Regulæ obseruantiam puram, quæ videre est apud Auctores passim: De quorum veritate aut validitate nec disputare intendo nec altercari. Sufficit mihi vnica resolutio nouissima S. Sedis à totâ Obseruantiâ Regulari & Patribus Capituli nouissimi Generalis zelantibus Regulam & statum suum impetrata; quam pono sequenti Conclusione. Aduerte interim *ex Scoto in 4. & Gilberto Nicolai*, duplicem esse dispensationem; vna est declaratiua quæ & Ἐπικεία dicitur & æquitas Alia relaxatiua, quæ dici solet vulnus iuris, quia Ius commune lædit. De priori non est quæstio, quia sicut nulla lex sic nulla Regulâ eâ carere potest, sed tantum de posteriori Relaxatiuâ.

CON-

CONCLVSIO I.

NVlla vnquam priuilegia Regulæ relaxatiua fuerunt recepta à corpore toto Ordinis. Hæc Conclusio manifesta est ex decursu Capitulorum omnium Generalium à tempore Sancti Francisci, in quibus semper contrà Priuilegia relaxatiua conclusum fuit. Vnde & Clemens V. in Decretal,Exiui de Paradiso c. 5.Vbi relaxationes plurimas Ordinis, quæ à relaxatis sub titulo priuilegiorum quandoque intruduntur, retulit: *Tamen* (ait) *communitas Fratrum, & specialiter Rectores ipsius Ordinis asserebant, quod prædicta seu plura ex ipsis in Ordine non fiebant. Quod & si qui reperiuntur rei in talibus, rigidè puniuntur: Nec non contra talia, ne fiant, sunt facta pluries ab antiquo statuta in Ordine multùm stricta.* Hæc ibi. Ex quibus colligitur corpus Ordinis non fuisse maculatum huiusmodi relaxationibus etiam per modum priuilegij; sed fortè tantum particularia aliqua membra siue etiam domus particulares. Et quidem Cismontana familia semper huiusmodi priuilegiis se opposuit etiam in toto corpore obseruantiæ Regularis præter Congregationes strictiùs reformatas.

CON-

CONCLVSIO II.

Omnia Priuilegia, concessiones, indulta, siue per Litteras Apostolicas, siam Motu proprio, siue viuæ vocis oraulo concessa, quæ puritati Regulæ aut Declarationibus Nicolai III. & Clementis V. quomodolibet aduersantur sunt reuocata pro Fratribus Minoribus Obseruantiæ Regularis, adeoque illis deinceps non possint vti.

Patet ex Bullâ S. D. N. *Vrbani VIII.* datâ Romæ apud S. Mariam Maiorem die 1. Octobris anno 1625. Pontificatus anno 3. quæ quia necdum fortè communibus manibus teritur, hîc eam de verbo ad verbum inserendam duxi:

VRBANVS PAPA VIII.

Ad perpetuam Rei memoriam.

Sacrosanctum Apostolatus Ministerium humilitati nostræ nullo licet meritorum suffragio diuinâ dispositione commissum postulat, vt inter grauissimas multiplicesque Apostolicæ sollicitudinis curas, illam peculiari studio amplectamur; per quam personæ sub suaui iugo Saluatoris & Domini nostri obsequiis famulantes, fælicioribus indies proficiant incremen-

incrementis. Cùm itaque (sicut accepimus) dilecti filij Fratres Ord. Minorum S. Francisci de Obseruantia, aßiduis verbi Dei prædicationibus, continuaque Sacramentorum Ecclesiasticorum administratione, nec non aliis spiritualibus exercitiis, vberes in vineâ Domini fructus iugiter afferre noscantur. Nos, vt Fratres prædicti in tam laudabilium operum exercitio eò alacrius perseuerent, quò amplioribus fuerint ab hac Sancta Sede fauoribus muniti, prouidere, nec non fælici illorum statui, quantum nobis ex alto conceditur, consulere volentes, nec non Statutis, & per eos in Capitulo Generali proximè præterito Decretis inhærentes, ac supplicationibus etiam Dilecti Filij Bernardini de Senis eiusdem Ordinis Ministri Generalis Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati: quod de cætero perpetuis futuris temporibus, omnes & singuli eiusdem Ordinis professores iuxtà dicti Ordinis Regulam, nec non Declarationes à pia memoria Nicolao III. & Clemente V. Romanis Pontificibus Prædecessoribus nostris desuper emanatas cum Calepodiis, seu sandaliis apertis dumtaxat incedere teneantur, neque alio pedum operimento siue panneo, siue alterius cuiuscumque materiæ existat absque Licentiâ vti poßint, quodque integrum eorundem professorum vestimentum duabus tantum tunicis constet, & constare debeat: vna scilicet cum capucio & alia sine capucio, vt

eadem

idem Regula præscribit, neque eiusdem Ordi-
s Professores tertia tunica, seu camisia stami-
ea, aut interula, siue sudariis vel alia quacum-
ue re, contrà eiusdem Regulæ tenorem, etiam
vim concessionis fel: record: Iulij Papæ II.
tiam Prædecessoris nostri, siue alio quouis
prætextu, & ex quacumque causa vllo modo vti
aleant; Apostolica auctoritate tenore Præsen-
ium perpetuo statuimus, atque declaramus, præ-
ictamque Iulij prædecessoris, & quascumque
lias concessiones, siue indulta, tam per litteras
postolicas, & Motu proprio, quam viuæ vocis
raculo, & aliàs quomodolibet concessa eidem
egulæ quomodolibet contraria, abrogamus. De-
ernentes præsentes Litteras semper & perpetuò
alidas, firmas, & efficaces existere, & fore,
uosque plenarios & integros effectus sortiri &
btinere, ab omnibusque dicti Ordinis Fratribus
uiolabiliter obseruari, sicque & non aliter, per
uoscumque Iudices Ordinarios & delegatos
tiam causarum Palatij Apostoli Auditores vbi-
ue iudicari & diffiniri debere: ac irritum &
nane, si secus super his à quoquam quauis au-
toritate scienter vel ignoranter contigerit at-
entari. Non obstantibus prædictâ Iulij Præde-
essoris ac quibusuis aliis concessionibus, siue in-
ultis huiusmodi, nec non constitutionibus &
Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis
uibuscumque. Datum Romæ apud S. Mariam

C 2 *Maiorem*

Maiorem sub annulo Piscatoris die Prima Octobris M. DC. XXV. *Pontificatus nostri anno tertio.*

V. THEATINVS.

EX quo decreto infero nullam modò mihi esse aut fore quæstionem siue super Declarationibus aliorum Pontificum præterquam *Nicolai III. & Clementis V.* siue super Priuilegiis, consuetudinibus, aut constitutionibus etiam *Iulij 2.* Quidquid enim deinceps resoluendum erit iuxta Regulam & Declarationes iam dictas resoluendum est, non habitâ ratione eorum quæ eis aduersantur.

QVÆSTIO VIII.

An obseruantia essentialis Regulæ in indiuisibili consistat?

SEnsus quæstionis est. An intra eandem Regulæ in essentia sua obseruantiam, aliqui melius, alij minus benè, aliqui strictius, alij minus strictè Regulam obseruare dicantur, ità tamen vt omnes extra periculum peccati sint, & veri Regulæ obseruatores censeantur.

CON-

CONCLVSIO.

[I]Ntra eandē Obſeruantiam eſſentialem Regulæ, aliqui perfectius & ſtrictius, [a]ij minus perfectè poſſunt dici Regulam [o]bſeruare, ità vt ſint omnes extrà pericu[l]um tranſgreſſionis. Ratio clara eſt, quia [ſi]cut Obſeruantia mandatorum Dei, & [v]irtutum praxis, non conſiſtit in indiuiſi[b]ili, ſed ſuos gradus habere dignoſcitur, [it]a executio votorum, & Regulæ cuiuſli[b]et obſeruantia ſuam latitudinem habet.

Ex quo infero, Fratres ſcrupuloſos ſe [d]ebere frequenter ſubducere à iudiciis te[m]erariis: Quod enim quandoquè vni [F]ratri ſufficit aut conuenit, vniuerſitati [F]ratrum nec ſufficit nec conuenit, & mo[d]us obſeruantiæ vnius, etſi gradum emi[n]entem perfectionis non attingat, præ[c]epti tamen latitudinem non egreditur, [u]t contrà præceptum peccetur.

Dices: vult Sanctus Franciſcus Regu[l]am ad litteram, ad litteram, ſeruari, ſed [t]antum vna littera eſt, ergò vnus modus [o]bſeruandi eſt. Reſpondeo cum Corduba; [Q]. 5. introductoria (ly, Ad Litteram) [n]on debere intelligi Iudaicè (id eſt) ſecun[d]um corticem verborum: ſed ſecundum [ſ]enſum litteralem principaliter intentum: *[I]ntelligentia enim dictorum* (vt ait Hilarius)

ex causis est assumenda dicendi; quia non sermoni res, sed rei est sermo subiectus. Quicumque igitur intentionem Principalem per litteram Regulæ significatam non egreditur, Regulam ad Litteram seruat, etsi perfectissimum modum non assequatur.

TITVLVS SECVNDVS. PROEMIALIS.

De Expositione Regulæ S. Francisci.

QVÆSTIO I.

An possint fieri expositiones in Regulam S. Francisci?

RAtio dubitandi sumitur ex Testamento S.Patris, vbi id inhibuit.

Aduertendum: duplicem nos posse distinguere Expositionem Regulæ Fratrum Minorum: Alia dicitur secundum Litteram, quæ est purè interpretatiua Litteræ secundum intentionem Auctoris: Alia dicitur Expositio per modum Glossæ seu Commenti & Interpretationis doctrinalis.

CON-

CONCLVSIO I.

NOn poteſt legitimè ſiue licitè fieri expoſitio Regulæ Fratrum Minorum per modum Gloſſæ & Commenti, Ratio eſt, quia talem prohibet S. Franciſcus in ſuo Teſtamento: *Et omnibus* (ait) *Fratribus meis Clericis & Laicis præcipio per Obedientiam, vt non mittant Gloſſas in Regula, neque in iſtis verbis dicendo, Ità voluit intelligi, ſed ſicut dedit mihi Dominus ſimpliciter & purè dicere & ſcribere, ſine gloſſa intelligatis, & cum Sancta operatione obſeruetis vſque in finem.*

Ratio verò huius prohibitionis eſt, quia variæ gloſſantium interpretationes & opiniones, ſicut pro cuiuſlibet cerebro ſententias multiplicant, ſic param Authoris Regulæ intelligentiam vel alterant, vel eneruant. Quod aduertens Nicolaus 3. in C. Exiit. &c. prohibuit omnibus Doctoribus, Lectoribus, Interpretibus, &c. ne mitterent gloſſas aut commenta in iſtam ſuam Extrauagantē: probè ſciens per ſimiles gloſſas intellectus ipſius ſolere deprauari, vel diſtorqueri. Et Chriſtus primarius Regulæ dictator è nube Miniſtris loquens voluit hanc Regulam obſeruari. *Ad Litteram, Ad Litteram, Ad Litteram: Sine Gloſſa, Sine Gloſſa, Sine Gloſſa.*

CONCLVSIO II.

Expositiones in Regulam fieri possunt per quas simpliciter & verborum Regulæ sensus, & pura Fundatoris Regulæ intentio declaretur.

Tales sunt Declarationes Summorum Pontificum, *Nicolai 3. & Clementis 5.* prout ipsimet testantur. Tales *expositiones SS. Patrum*, 4. *Magistrorum*, *Hugonis de Dina*, *S. Bonauenturæ*, & aliorum nonnullorum: quamuis interdum aliqui excedant, non tam Regulæ & eius Fundatoris intentionem attendentes, quam priuilegia & opiniones amplectentes, & longas lectiones & meditationes parum congruas conscribentes.

Petes, an sit peccatum mortale ponere glossas in Regulam. Respondeo quod non. Ratio est, quia ex Declaratione *Nicolai 3. C. Exiit. a.* 13. Fratres ad Testamentum S. Patris non obligantur.

QVÆSTIO II.

Quæ censenda sit vera expositio ad Litteram?

Ratio dubitandi sumitur ex nonnullis qui Grammaticalem interpretationem,

nem eandem volunt esse cum litterali, quod quam sit falsum patebit ex infrà dicendis.

Aduertendum igitur est primò: Expositionem Grammaticalem nihil aliud importare nisi nudam significationem, siue nudum sensum, verborum & dictionum prout sonant: quæ ab aliis dicitur *Littera Donati*, siue *Prisciani*, qui Grammaticæ Principes fuerunt: Expositionem verò litteralem præter significationem verborum vel dictionem amplius connotare seu includere intentionem dicentis.

Aduertendum secundò sæpe grammaticales sensus posse esse falsos, etsi litteralis sit verus.

Explico Ex Scriptura Ioan. 1. dicit Ioannes: *Non sum Propheta*: Si Grammaticalem sensum attendas, Ioannes verè Propheta erat: quia futura prædicebat, & sic propositio falsa erat: secundum verò litteralem sensum propositio vera erat, quia iste Propheta quem intendebat, non erat, nimirum Christus. Rursum Matth. 11. Christus dicit de Ioanne. *Ipse est Helias*: Grammaticaliter propositio falsa est, quia Helias personam indiuiduam Heliæ Prophetæ significabat: Litteraliter autem vera erat, quia ex intentione dicentis, Ioannes He-

lias erat, qui vtique in ſpiritu & virtute Heliæ præcurſor venerat.

Talia in Regula reperiri poſſunt, exempli gratia; *Regula & vita Minorum Fratrum hæc eſt, ſcilicet, Domini noſtri Ieſu Chriſti Sanctum Euangelium obſeruare &c.* Si Grammaticaliter hæc verba intelligantur falſa ſunt, non enim Fratres Minores tenentur totum Euangelium obſeruare; Si tamen Litteraliter intelligantur vera ſunt, quia tenentur ad Euangelium obſeruandum in iis quæ in Litterâ Regulæ ſpecificantur, vti Declaratio Nicolai III. apertè dicit. Hic eſt Lapis offenſionis multis, & petra ſcandali, multi enim Grammaticales ſcrupuloſius Grammaticorum apicibus intendentes, magiſtri verbales facti ſunt, & cum Iudæis litterâ occiduntur, ſpiritu non viuificantur.

CONCLVSIO.

ILla dicitur vera expoſitio Regulæ ad Litteram, quæ ità verborum & dictionum ſignificationem attendit, vt à Legiſlatoris & Regulæ datoris intentione non recedat, ſed potiſſimum eam includat.

Ratio eſt, quia vt dicunt Iuriſperiti: *Anima Legis eſt intentio legiſlatoris: Et C. de Lege. L. Non dubium. Non dubium eſt in legem committere, qui verba legis amplexus, contra legis*

legis nititur voluntatem. Et *Hieronymus* 1. q. 1. *Nec putemus* (ait) *in verbis Scripturarum esse Dei Euangelium, sed in sensu, non in superficie sed in medullà, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.*

QVÆSTIO III.

Quotuplex sit sensus Litteralis Regulæ Fratrum Minorum?

CONCLVSIO.

TRiplex potest assignari sensus Litteralis Regulæ Fratrum Minorum, nimirum. Quidditatiuus, Qualificatiuus Quantitatiuus.

Quidditatiuus sensus est qui indicat: quod per verba Regulæ secundum intentionem Auctoris significatur.

Qualificatiuus est qui indicat: qualiter seu quibus modis id quod verba secundum intentionem Auctoris significant, obseruari debeat.

Quantitatiuus sensus est: qui significat quantitatem obligationis.

Exemplifico: In Præcepto: *Clerici faciant diuinum officium secundum Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ.*

Sensus quidditatiuus est qui exponit quid

quid per hoc præceptum de diuino Officio intellexerit Sanctus Pater.

Sensus qualificatiuus est qui explicat qualiter hoc præceptum à Fratribus sit obseruandum.

Sensus quantitatiuus est qui explicat quantum peccent Fratres in istius præcepti transgressione.

Hos triplices sensus deducit *Gilbertus Nicolai (in libello quem intitulauit: Vincit Veritas, Radio 5. ex Declarationibus* Nicolai, *& Clementis*, in quibus modò declarant substantiam præcepti, modò qualitatem, modò obligationem. Facilè autem deduci potest ex naturà intentionis Legũ; quæ non tantum aliquid simpliciter præcipere intendunt, sed modos præfigunt, & obligationem addunt.

Hi porrò sensus multũ notandi sunt ad perfectam Regulæ Fratrũ Minorum expositionẽ: Non enim tantum refert quid per præceptum mandetur; sed interest multum qualiter mandetur, & sub quâ obligatione.

QVÆSTIO IV.

Quis Regulam Fratrum Minorum exponere possit?

DVplex hic iterum statui potest expositio: Alia est conuincens, & cui necessario

ſario eſt aſſentiendum. Alia eſt Probabilis, & cui nemo tenetur in Conſcientiâ aſſentiri.

CONCLVSIO I.

DVo tántum ſunt qui exponere poſſunt Regulam Fratrum Minorum Expoſitione conuincente, & in conſcientiâ obligante, Nimirum, Sanctus Franciſcus Fundator, & Papa ſiue Concilium tamquam Approbator. Ratio eſt: quia illius ſolius eſt Regulam obligatoriè & ſecundum certam intentionem explicare, cuius eſt Regulam condere; ſoli autem iſti duo condere poſſunt; alter quidem vt Fundator; alter vt Approbator (Omnis enim Regula ſaltem pro hoc ſtatu Eccleſiæ non tantum requirit inſtitutionem, ſed multò magis approbationem, quam ſolus Papa vel Concilium dare poteſt.) Sicut igitur *iſti* ſoli Regulam condere poſſunt, ſic ſoli intentionem Regulæ certò declarare poſſunt, ſub quâ, & Regula tradita fuit, & approbata.

Dixi (Papa ſiue Concilium): Duplex autem hic deſignari poteſt Concilium: *Aliud* Apoſtolicum; quod non eſt aliud quam: Congregatio Cardinalium cum *Summo* Pontifice: Aliud. Catholicum & *Vniuerſale*; quandò videlicet vniuerſalis

Eccle-

Ecclesia saltem in Capitibus & Prælatis congregatur. Et cum penes eos sit Ecclesiæ potestas & Regularum approbatio, similiter & explicatio penes illos erit, quomodò in Concilio Constantiensi declaratum est modum viuendi Fratrum Minorum de Obseruantiâ esse secundum Regulam ad litteram.

Dixi, duo tantum, &c. Omnes enim cæteri Doctores si qui exponunt Regulam; quidquid præter certam & probatam intentionem S. Francisci, & Pontificum Declarationes receptas dicunt, sub opinionem cadit, nec tenetur quis necessariò eis assentiri.

Petes. An Generalis Minister Ordinis, aut Capitulum generale, non possit Regulam exponere obligatoriè & conuincendò. Respondeo quod non. Ratio est: quia nec generalis Minister nec Capitulũ generale succedunt S. Francisco vt fundatori, sed vt primo Ordinis Ministro & Capiti. Vnde & eorum declarationes siue Regulæ interpretationes non cogunt ad assensum nisi quatenus intentionem claram Fundatoris continent, vel Pontificiam declarationem.

Aliud est de Summis Pontificibus qui cum succedant in Cathedram Petri, & Vicariatum Christi, succedunt consequenter

in

in iure approbandi vel interpretandi Regulas Religionum & Ordinum quorumcumque.

Vnde aduertendum est quod quandò Capitulum generale vel Generalis Minister aliquid statuunt per modum præcepti, in dubiis quæ ad Regulam spectant: hæc in ratione quidem interpretationis non obligare: obligare tamen nonnunquam in vi præcepti seu statuti quandò materia sub illorum potestatem cadit. Exempli gratiâ: Variant Interpretes: An sub equitatione prohibitâ in Regula contineantur etiam bigatio, vel quadrigatio: Si Minister Generalis per modum præcepti vel Capitulum generale per modum Statuti prohibeat bigationem; obligat ipsorum interpretatio, quia nouum præceptum vel statutum est; non quia interpretatio Regulæ est. Quod est valdè notandum.

Aduertendum 2. Cæteris paribus reuerendas esse Interpretationes quæ à Ministro Generali & Capitulis Generalibus naturê fiunt: quia piè præsumendum in anto Superiorum cœtu peculiarem esse ssistentiam Spiritus Sancti, & Beati Fundatoris.

CON-

CONCLVSIO II.

EXpoſitiones aliorum in Regulam ſicut ſunt tantum probabiles, ſic opinionem tantum generant cui aſſentiri nemo tenetur: niſi vbi claram Fondatoris vel Summi Pontificis Regulam declarantes expoſitionem adducunt. Concluſio patet ex ſupradictis.

INCIPIT REGVLA ET VITA FRATRVM MINORVM.

CAPVT PRIMVM.

TEXTVS I.

Regula & vita Minorum Fratrum hæc est, ſcilicet, Domini noſtri Ieſu Chriſti Sanctum Euangelium obſeruare, viuendo in obedientia, ſine proprio, & in Caſtitate.

TITVLVS VNICVS.

De Obligatione S. Euangelij.

QVÆSTIO VNICA.

An ad omnia in Euangelio contenta ex vi voti & Regulæ Fratres Minores ſub peccato mortali teneantur.

CONCLVSIO.

FRATRES Minores ex vi voti non tenentur ad omnia quæ in Euangelio continentur, ſed tantum ad ea, quæ in Regula ſub verbis obligatoriis ponuntur. Ita *Nicolaus* 3.*à*.1. *Cum enim*

(inquit) *Beatus Franciscus aliqua Euangelicæ consilia inducat vt consilia, sub verbis monitionis, exhortationis, & consilij: non nulla verò sub prohibitione & verbo præcepti; non fuit instituentis intentio, quod Fratres ex professione, eiusmodi Regulæ ad omnia consilia, sicut ad præcepta Euangelica teherentur, sed solum ad ea quæ præceptoriè, inhibitoriè, seu sub verbis æquipollentibus exprimuntur:* Et sub finem articuli, *Cæterorum* (inquit) *obseruantiam, quæ sub verbis monitoriis, exhortatoriis, informatoriis, instructoriis, seu quibuscumque aliis continentur, eatenus magis decet de bono & æquo prosequi, quo imitatores tanti Patris effecti, Christi semitas arctius elegerunt. Totum itaq;* (ait supra) *ad ipsius Regulæ modificatum seu specificatum principium reducatur, &c.* Hæc Nicolaus.

Et hanc Sanctæ Sedis declarationem subtiliter deducunt 4. *Magistri, in* C. I. *Reg.* ex testamento S. Patris vbi sic loquitur de Regula: *Et ipse Altissimus reuelauit mihi, quod ego deberem viuere secundum formam Sancti Euangelij; Et ego eam paucis & simplicibus verbis feci scribi, & Dominus Papa confirmauit mihi. Ex hoc*(inquiunt)*S. Franciscus determinasse videtur, quantum ad hoc quod sanctum Euangelium fuerat obseruandum, quia, scilicet, quantum ad ea quæ simpliciter fecit scribi. Consilia igitur Euangelica, quæ scribuntur* in

Regula

Regula ligant Fratres. Hæc 4. Magiſtri.

Idem eodem modo deducit, c. 1. Regulæ Hugo de Dina; qui & latè oſtendit, & ſi in omnibus non obligatoriè, omnia tamen Euangelij conſilia in moribus Fratrum Minorum effulſiſſe. Quæ rogo Lector conſulat vt diſcat ex iis effigiem veri Fratris Minoris. Nec minori delectatione leget quæ habet Bartholomæus Piſanus eodem loco. Et quidem (& veri Euangelici) Fratres Minores particulariter ſemper Euangelium & Apoſtolicam vitam ſectati ſunt. Vnde *Gilbertus Nicolai in ſuo opuſculo quod intitulatur veritas vincit*, narrat quemdam Archiepiſcopum Cantuarienſem quando primò Fratres ad Angliam iuerunt illos vocari ſolitum: *Fratres de Ordine Apoſtolorum.* Et idem refert quorundam opinionem, qui aſſerebant: *Regulam Fratrũ Minorum in Eccleſia Dei poſitam fuiſſe vt ſuſcitarentur Apoſtoli.*

ADMONITIO.

EX verbis poſterioribus Summi Pontificis innuitur qualiter præ cæteris Religioſis Fratres Minores ad perfectionem Euangelicam proſequendam ex condecentiâ teneantur. Vnde etiam *Corduba q. 3. in c. 1. Reg.* docet ex cõmuni ſententia Theo-

logorum, quod omnis Religiosus, & præsertim Frater Minor, & si perfectus esse non teneatur, teneri tamen sub peccato mortali non reuocare voluntatem à studio perfectionis, aut contrariam illi voluntatem habere.

TEXTVS II.

Frater Franciscus promittit Obedientiam & reuerentiam Domino Papæ Honorio & successoribus eius Canonicè intrantibus & Ecclesiæ Romanæ.

TITVLVS VNICVS.

De obedientia ad Romanum Pontificem.

QVÆSTIO VNICA.

An Fratres Minores speciali voto teneantur Romano Pontifici, seu etiam Romanæ Ecclesiæ obedire super alios Religiosos & Christianos.

Ratio dubitandi est, quia hæc promissio siuè votum videtur tantum personale Sancti Francisci, ergò eius tantum personam, & non Fratres obligat.

CON-

CONCLVSIO I.

OMnes Chriſtiani tenentur obedire ſummoPontifici in iis quæ ſunt communis Eccleſiæ ſtatus. Hæc Concluſio ex terminis conſtat: Quia Pontifex eſt Chriſti Vicarius, & Eccleſiæ Summus Paſtor, & Paſtor Paſtorum.

CONCLVSIO II.

REligioſi communi voto Obedientiæ tenentur Summo Pontifici obedire etiam in his quæ ſunt ſui Ordinis & Religionis. Ratio eſt quia iuxta communem Doctorum ſententiam ſummus Pontifex eſt ſupremus Generalis omnium Ordinum & Religionum, influens in omnes; In non exemptos quidem, mediantibus Epiſcopis: In exemptos autem mediantibus Prælatis Generalibus, Prouincialibus & Localibus. Vnde qui vouet obedientiam Prælato non exempto cenſetur illam vouere per Prælatum Epiſcopo, & per Epiſcopum Papæ: qui autem vouet obedientiam exempto Prelato, ex. gr. Qui in Ordine noſtro Minorum vouet Obedientiam Guardiano, cenſetur eam vouere Prouinciali Miniſtro, Generali, & Papæ.

CONCLVSIO III.

FRatres Minores ſuper commune obedientiæ votum, tenentur voto ſpeciali

obedire Summo Pontifici Canonicè Electo & Ecclesiæ, vacante Sede: ità vt Frater Minor non obediens Summo Pontifici in materia sufficiente tribus titulis peccat mortaliter: contrà communem obligationem omnium Christianorum: contrà communem obedientiam omnium Regularium: contrà Votum speciale à Fundatore emissum, nomine omnium Fratrum præsentium & futurorum.

Hanc conclusionem innuit *Clemens V. in prologo suæ Declarationis*, cum dicit: *Fratres Minores pedibus Ecclesiæ & Sanctæ Sedis per ipsam Regulam esse subiectos.*

Illam porrò docent Expositores omnes: *S.Bonauentura c.1. Et si* (inquit) *totus Clerus & Religiosorum vniuersitas teneatur firmiter Apostolico Domino obedire; tamen Sanctus huic debito adiicit votum speciale, sciens voto superuenire, & fortificari Sacri Ordinis vinculum, & meritum geminari.* Hæc ibi.

Eodem modo exponit *Hugo de Dina ibidem*: qui proptereà dicit S.Franciscum in hoc quod se & suos Ecclesiæ speciali Obedientiæ promissione subiecerit, *proprium Filium Ecclesiæ* dici posse.

Et quidem hæc est Prima Regula quæ vmquam à Summo Pontifice approbata fuit. Hic est primus Religionis Fundator qui

qui Summo Pontifici & Ecclesiæ obedientiam explicitam deuouit: vt notarunt *Illustriss. Cardin. Bellarminus l. 2. de Monachis c. 4. Carthag. de Antiq. Carmel. tract. 1. c. 4.*

Ad rationem itaque dubitandi initiò propositam respondetur negando antecedens: Hoc enim votum non fuit personale Sancti Francisci, vt Francisci, sed vt Capitis Ordinis totius: factus est enim sic vouendo totius Ordinis Procurator, vicem gerens omnium Fratrum tam præsentium quam futurorum (*vt ait S. Bonau. citatus à Corduba c.* 1.

COROLLARIVM.

EX his porrò infert *Bartholomeus Pisanus in cap.* 1. *Regulæ* ratione huius obedientiæ promissæ, & non tantum ratione Summi Pontificij, Papam posse Regulam declarare, glossare, constitutiones in Ordine facere prout statui nostro viderit oportunum.

Infert 2. Fratrem Minorem teneri specialius Summo Pontifici & Ecclesiæ obedire. Caueant itaque qui mandata Pontificia pro sua libertate contemnunt, aut Ordinationibus Pontificiis non acquiescunt.

TEXTVS III.

Et alij Fratres teneantur Fratri Francisco & eius successoribus obedire.

TITVLVS VNICVS.

De Obedientia ad Generalem.

QVÆSTIO VNICA:

Quis Sancti Francisci successor sit dicendus, & cui vt successori obedientia debeatur?

GRauis aliquandò fuit quæstio initio Reformationis Ordinis propter Regularem Obseruantiam, super Generalibus, & Vicariis Generalibus, item Prouincialibus & Vicariis: Aliis asserentibus maximè qui de Coletana reformatione erant: esse contrà Regulam viuere sub Regimine Vicariorum Generalium, & Vicariorum Prouincialium; cum S. Franciscus in suâ Regulâ reuelatione diuinâ non agnouisset alios Superiores quam Generales, & Prouinciales, quibus tamquam suis successoribus obediri omninò volebat. Quam disputationem latè deductam Lector videre pòtest *in speculo Fratrum Minorum tract. 3: in*

in impugnatiuo statu Fratrum Minorum de Obseruantia & Apologia defensiua subsequente. Modo verò eadem difficultas moueri à nonnullis posset super moderno statu Ordinis, in quo tria Capita reperiuntur: Minister Generalis Totius Ordinis S. Francisci, qui solam regit Regularem Obseruantiam cum membris suis: Vicarius Generalis Fratrum Minorum Cappucinorum, Magister Generalis Fratrum Minorum Conuentualium.

CONCLVSIO I.

VErus successor S. Francisci in Officio Generalis simpliciter est solus Generalis Minister qui Fratres Minores Reg. Obseruantiæ: cum omnibus Congregationibus suis reformatis gebernat.

Patet conclusio. Quia solus ille vocatur Minister Generalis totius Ordinis, quem titulum ei soli reseruauit Leo X. volens etiam vt Magister Generalis Conuentualium ab eo confirmationem acciperet; vt videre est *in Bulla Leonis X. quæ incipit, Omnipotens Deus, cuius perfecta sunt opera, &c. Data Romæ apud S. Petrum anno Domini* 1517. *Pridie Idus Iunij. Pontificatus eius anno* 5. Quo etiam anno sigillum antiquum totius Ordinis Ministro Generali Obseruantiæ vt Legitimo Successori S. Francisci est assi-

gnatum, & omnes Reformati qui Regulam ad litteram ſeruare prætendebant, ſub vno nomine *Obſeruantes* vocati ſunt, relictis nominibus particularibus quibus alij vocabantur, *Fratres de Familia*, alij *Coletani*, *Clareni*, *Amadæi*, *Fratres de Capucio*, *de Euangelio*, *&c.* Ratio verò principalis huiuſmodi ſucceſſionis, non ſolùm ſumenda eſt à facto Pontificis, & velut fauore Apoſtolico, ſed quia ſolus Generalis Miniſter, qui Fratres Minores Regularis Obſeruãtiæ cum Congregationibus intra Regularem Obſeruantiam reformatis gubernat continuâ & non interruptâ ſerie à S. Franciſco deſcendit, ſicut & fratres ſui continuâ hæreditate Obſeruantiæ & non interruptâ, à tempore conditæ Regulæ vſque ad præſens tempus perſeuerarunt. Ita latè docet *Leo X. in Decretali, quæ incipit: Licet alias ſtatueramus*, &c. *Motu (inquit) proprio & ex certa ſcientia ac de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine declaramus... Quod ipſi Fratres de Obſeruantia & reformati, veri & indubitati Fratres S. Franciſci & eius Regulæ obſeruatores ſemper fuerunt, ac diuina fauente gratia ſint futuri, ſine aliqua interruptione ſeu diuiſione à tempore conditæ Regulæ per B. Franciſcum vſque ad præſens: ac ſub ipſius Beati Franciſci Regula militauerunt & etiam ad præſens militant, ſicquè in omnibus teneri*

& obseruari, ac dici debere decernimus & mandamus, &c.

Deductio Obseruantiæ Regularis à S. Francisco vsque ad hæc tempora.

POrrò vt hæc melius intelligantur, aduertendum est, à tempore S. Francisci, vsquè ad annum 1517. & si essent plurimi fratres & domus in Ordine relaxatæ à primæua institutione & stricta obseruantia Regulæ: corpus tamen Ordinis cum capitibus semper pro Regulæ Obseruantia stetisse nec priuilegia manifesta contra Regulam agnouisse, aut recepisse, etsi tamen (vt dixi) in membris esset multa relaxatio. Vnde ad conseruandam Regulæ Obseruantiam plurimæ Reformationes intra idem Ordinis Corpus sub eodem Ministro Generali surrexerunt, & aliqui Conuentus ac Prouinciæ pro eiusdem Regulæ Obseruantia stricta zelauerunt, in quibus vt in pretiosori parte Corporis Spiritus S. Francisci conseruabatur, sine tamen diuisione corporis, cum sub vno eodemque capite S. Francisci successore omnes militarent. Donec tandē relaxati omnes vt membra à corpore toto dissona per Leonem X. rescinderentur in aliud cor-

pus,

pus, & ſub alio capite: quando nimirum Priuilegiati Priuilegiis Regulam relaxantibus in Conuentualitatis nomen & formam redactis, ſpoliati Miniſteriatu & aliis officiis Ordinis Magiſtrum Generalem habuerunt, & ſic à primo ſtipite ſeparati ſunt. Omnes verò qui ſub Miniſtro Generali pro purâ & ſtricta Obſeruantia Regulæ pugnabant, vt veri S. Franciſci filij agniti, in eadem familia conſeruati ſunt, ſub eodem Capite & Miniſtro Generali S. Franciſci ſucceſſore, vt deinceps eodem nomine habitarent vnius moris in domo. Ita non mutata, ſed repurgata eſt & integritati reſtituta, vera familia filiorum S. Franciſci, ex eodem ſtipite deſcendentium continua & non interrupta, vt ſupra dictum eſt ſucceſſione. Hæc verò ita ſe habere docet latè *Leo X. in decreto, quod incipit: Ite & vos in vineam meam, dato Anno* 1517. *Pontificatus ſui anno* 5. *vbi ſic loquitur.*

Volumus (*ait*) *& ordinamus prout in dicta Regula B. Franciſci continetur: Vnum Miniſtrum Generalem totius Ordinis cum plenaria poteſtate quæ ex Regula ſibi cõpetit præfici*, &c. Vt autem oſtendat ex quibus & à quibus eligi debeat, vt legitimis filiis & membris corporis, his verbis mandat: *Et ne*(inquit) *caput*

caput suis membris difforme appareat, volumus ac etiam ordinamus quod nullus frater poßit eligi in Ministrum Generalem, nisi vitam ducat reformatam, & pro reformato à Communitate reformatorum habeatur, &c. Quibus similia habet *in decretali, Omnipotens Deus.* Qui verò sint Reformati declarat vbi supra: *Volumus & declaramus sub nomine Reformatorum ac purè ac simpliciter Regulam obseruantium, comprehendi omnes & singulos infrascriptos, videlicet: Obseruantes tam de familia quam Reformatos sub Ministris, ac Fratres Amadæi, de Colletanis, Clarenis, de S. Euangelio seu de Capucio, ac discalceatos nuncupatos, aut alios similes quocumque alio nomine nuncupentur, & Regulam ipsam B. Francisci purè & simpliciter obseruantes; ex quibus omnibus supradictis vnum corpus in simul facientes ad inuicem perpetuo vnimus. Ita quod de cætero omissa diuersitate Nominum supradictorum: Fratres Minores S. Francisci Regularis Obseruantiæ, vel simul vel disiunctiuè nuncupentur & nuncupari poßint & valeant.* Hæc ibi.

Hic itaquè aduertat Candidus Lector: vnum corpus Ordinis perseuerasse sub vno eodemque capite: nec tam corpus Ordinis immutatum fuisse, quam ex selectioribus membris quæ in corpore reperiebantur, integritati restitutum. Separatis iis qui priui-

priuilegiis contra Regulam vti volebant in Corpus aliud Anomalum, quod sub S. Francisci quidem Patrocinio militaret, non nisi tamen multum truncatam eius Regulam obseruaret, quales sunt qui dicuntur Conuentuales. Demum sic restitutum integritati Corpus Ordinis sub nomine Regularis Obseruantiæ (*ab obseruatione Regulæ sine Priuilegiis Relaxatiuis sic nuncupatum*) vsque modo Reformationibus nonnullis illustratum perseuerat.

Deductio successionis Ministrorum Generalium à S. P. Francisco vsque hæc tempora.

POrrò iterum Ministros Generales qui Regularem Obseruantiam cum Congregationibus Reformatis gubernant, non tantum totius Ordinis Generales, sed etiam successores veros S. Francisci habendos esse: patet ex decursu totius Bullæ, quæ incipit, Omnipotens Deus, in qua ordinatur: *Quod de cætero perpetuis futuris temporibus Minister Generalis totius Ordinis S. Francisci à solis & de solis Reformatis Fratribus dicti Ordinis, viuentibus absque priuilegiis bona temporalia concernentibus eligi debeat*, cui omnes & singuli Fratres secundùm Regulam eiusdem B. Francisci subiici & obedire

e teneantur: & ibidem iterum concluditur, vt Magiſtri Generales Fratrum Conuentualium petere teneantur *confirmationem à Miniſtro Generali, & ſucceſſoribus eius Miniſtris Generalibus totius Ordinis, quemadmodum Vicarij Generales tunc de familia petere tenebantur.*

Iterum: Cum Miniſter Generalis diuertit ad domos Conuentualium (*& ſi in illos nullam iuridicam actionem exercere poſſit*) permittitur tamen *vt eos paternè viſitet, &* indicitur vt Fratres Conuentuales, eundem Miniſtrum Generalem *tanquam totius dicti Ordinis Superiorem in omni charitate & dilectione recipere debeant, &c.* Tandem mandat Pontifex vt Conuentuales Obſeruantibus *digniorem locum cedant in Proceſſionibus.* Quæ omnia ſigna ſunt hereditariæ poteſtatis & ſucceſſionis ad primum Generalem. Vt vero hæc ſucceſſio plenius conſtet & appareat, hic apponam Chronologiam omnium Generalium Miniſtrorum à primo ſtipite vſque ad modernum Reuerendiſſimum P. Bernardinum de Senis.

PRI-

PRIMVS GENERALIS.

B. P. N. Franciſcus approbata Regula ab Innocentio 3. anno 1212. *& ab Honorio 3. an.* 1223. *Pontif. an.* 8.

Anno	*Succeſſores.*	
1227.	F. Ioannes Parens.	Gener. 2
1230.	F. Helias de Cortono.	3
1239.	F. Albertus de Piſis.	4
1239.	F. Haymo Anglus.	5
1244.	F. Creſcentius Eſius.	6
1248.	F. Ioannes de Parma.	7
1256.	S. Bonauentura.	8
1274.	F. Hieronymus de Eſculo.	9
1279.	F. Bonagratia.	10
1285.	F. Antholotus de Prato.	11
1287.	F. Mattheus de Aquaſparta.	12
1289.	F. Raymundus Gaufredi.	13
1296.	F. Ioannes de Muro.	14
1304.	F. Gundiſaluus Gallecus.	15
1313.	F. Alexander ab Alexandria.	16
1316.	F. Michael de Ceſena.	17
1329.	F. Gerardus Oddonis.	18
1343.	F. Fortanerius Vaſalli.	19
1348.	F. Guilhelmus Farinerij.	20
1356.	F. Ioannes de Bucco.	21
1359.	F. Marcus de Viterbio.	22
1367.	F. Thomas de Ferigiano.	23

1373. F. Leonardus de Giffono. 24
1379. F. Ludouicus de Venetiis. 25
1383. F. Petrus de Caſſana. 26
1385. F. Martinus à S.Georgio. 27
1386. F. Henricus Aſtenſis. 28
1405. F. Antonius de Pyreto. 29
1421. F. Angelus Saluietus. 30
1424. F. Antonius de Maſſa. 31
1430. F. Guilhelmus de Caſſali. 32
1443. F. Antonius de Ruſconibus. 33
1450. F. Angelus de Peruſio. 34
1454. F. Iacobus de Mozanica. 35
1458. F. Iacobus de Saczuela. 36
1464. F. Franciſcus de Sauona. 37
1469. F. Zanettus de Vtino. 38
1475. F. Franciſcus Samſon. 39
1500. F. Ægidius Delphini. 40
1506. F. Regmaldus de Cotignola. 41
1510. F. Philippus Bagna Cauallus. 42
1512. F. Bernardinus de Prato. 43
1517. F. Chriſtophorus de Forliuio. 44

Hic aſſumptus eſt ex Vicario Generali Obſeruantiæ, Conuentualibus in Corpus alterum ſub Magiſtro Generali ſeparatis totius Ordinis Miniſter Generalis.

1518. F. Franciſcus Lichetti. 45
1520. F. Paulus de Soncinno. 46
1523. F. Franciſcus de Angelis. 47

1528. F. Ioannes Pifottus. 48
1534. F. Vincentius Lunellus. 49
1540. F. Ioannes Caluus. 50
1547. F. Andreas Infulanus. 51
1553. F. Clemens à Monelia. 52
1559. F. Francifcus Zamorenfis. 53
1565. F. Aloyfius de Puteo. 54
1571. F. Chriftophorus à Capite Fontium. 55
1579. F. Francifcus Gonzaga. 56
1587. F. Francifcus à Tolofa. 57
1593. F. Bonauētura à Calatagirona. 58
1600. F. Francifcus à Sofa. 59
1606. F. Archangelus de Meffana. 60
1612. F. Ioannes del Hierro. 61
1618. F. Benignus à Genua. 62
1625. F. Bernardinus de Senis. Gen. 63 qui hodiè cum fcribo Ordinem feliciter gubernat electus Epifcopus Vifetenfis, in regno Portugalliæ.

Annotationes in fuprafcriptam Chronologiam.

ADuertendum primo hic eft, nos in hac Chronologia fecutos R. P. Francifcum Gonzagam in fua Hiftoria Seraphica, quamuis alij quinquaginta quinque, alij 56, Nos etiam alias 60 Generales ex non-

nonnullis manuſcriptis recenſuiſſemus. Putauimus verò in hoc negotio cedendum Reu. P. Franciſco Gonzagæ, quod exiſtens Generalis Miniſter Arcana Ordinis & ea quæ ad hiſtoriam pertinent penitius & certius introſpicere potuerit.

Aduertendum 2. Omnes Generales in hac Chronologia recenſitos etiam ante tempora F. Chriſtophori de Forliuio 44. Generalis, fuiſſe Regulam S. Franciſci purè & ſine Priuilegiis profeſſos, & pro veris iſtius Regulæ obſeruatoribus habitos: & vbi de contrario conſtitit ab officio Generalatus fuiſſe abſolutos & depoſitos. Quomodo F. Helias 3. Generalis, zelantè contra illum S. Antonio Paduano, & aliis veræ regulæ obſeruatoribus, & F. Antonius de Maſſa 31. Generalis, eo quod relaxationi faueret, ab officio ſunt abſoluti. De hoc Memoriale Ordinis in firmamento 3. Ord. 1. p. f. 33. *Qui* (inquit) *relaxatus, Ordinem relaxauit, & bonis fratribus ſui ſtatus obſeruatoribus & zelatoribus contrarius fuit.... Qui tandem Aſſiſij fuit Generalatu priuatus honeſtò modo, quia ſub eo Ordo nimis relaxabatur.*

Aduertendum 3. Indiſtinctè nimis aliquos dicere Generales omnes antè F. Chriſtophorum de Forliuio fuiſſe Conuentua-

les. Hoc enim nomen *Conuentualis* dupliciter ſumitur 1. Generaliter pro fratribus qui Collegialiter in Conuentibus formatis habitabant, vt diſtinguebantur contra fratres etiam ſtrictius in eremitoriis & locis pauperculis ac paruis oratoriis viuentes, & hoc modo vt plurimum Generales aſſumpti fuerunt ex illis. 2. nomen *Conuentualis* ſumitur pro iis qui Priuilegiis contra Regulam vtuntur & ex diſpenſatione reditus, ac bona poſſident, & nullus talis Generalis totius Ordinis fuit, aut pro tali habitus, toleratus, minus profeſſionem Regulæ ſub huiuſmodi diſpenſationibus vllus emiſit ante an. 1517. quo nomen *Conuentualium* ſub hac ſignificatione poſtrema, cum nouo mandato Pontificio, noua ſignificatione euulgatum eſt, vt patet ex Bullis *Leonis X. Ite & vos in vineam meam, &c.* & *Omnipotens Deus*, in quibus non vocantur ſimpliciter *Conuentuales*, ſed: *Conuentuales ſecundum Priuilegia viuentes, ac reditus, ac poſſeſſiones aliauè bona temporalia ſecundum huiuſmodi priuilegia retinere volentes.* Alioquin Generales omnes huiuſmodi Priuilegia repudiarunt, immò & fratres talibus vtentes, vt præuaricatores condemnarunt. Vt ſingulariter conſtat de F. Gundiſaluo 16. alias 15. Generali, de quo dicit Aluarus de planctu Eccleſiæ

relatus

relatus in Memoriali Ordinis f. 33. quod: *Totum Ordinem evpropriauit in vita sua, sententiam excomunicationis ferens contra omnes fratres subditos & Prælatos, nisi infra certum terminum illis à quibus habebant reditus vel eorum hæredibus resignarent.* Sed de his latè agam c. 8. tit 2. vbi de integritate, & Ordinis scissione.

OBIECTIO NOTABILIS I.

DIces: A Concilio Constanciensi *anno* 1415 Fratres de familia qui & nunc de Obseruantia Regulari sunt, subfuerunt Vicariis Generalibus & Prouincialibus ad *Annum* 1517 quo eorum Vicarius F. Christophorus de Forliuio electus est Generalis Totius Ordinis, Ergo fuit in illis interrupta series successionis à B. Francisco desumptæ. R. neg. conseq. Ita enim fuerunt sub Vicariis Generalibus & Prouincialibus, quod Vicarij Generales Ministris Generalibus subessent & ab illis confirmarentur, ac auctoritatem & iurisdictionem velut participarent: etsi enim Vicarij Generales ad euitandas inquietudines fratrum Reformatorum independenter regerent: nunquam tamen se à Capite separauerunt: Eratque similis eorum auctoritas quæ modo est Commissariorum Generalium fa-

miliæ, quæ nullam omnino diuisionem à Capite dicit, & si in subditos & ordinaria & plena sit

OBIECTIO II. NOTABILIS.

Dices 2. Fratres ab initio Ordinis tempore Innocentij 4. Vocati sunt *Conuentuales*, ergo falso reducitur initium Fratrum Conuentualium ad tempora *Leonis X*. Antecedens patet *ex Bulla Innocentij 4 data Lugduni Nonis Aprilis, Pontificatus an.7*, & altera *data Perusij* 12. *Kalend. Septembris, Pontificatus anno* 10.

Respondeo. Hoc nomen *Conuentualis* diuersimodè à principio Ordinis fuisse vsurpatum. 1. enim attributum est Ecclesiis Fratrum Minorum apud quas erant Conuentus siue Monasteria Fratrum; quæ *Conuentuales* siue etiam *Claustrales* dictæ sunt, vt distinguerentur ab eremitoriis & locis: vbi Fratres solitariè magis quam conuentualiter habitabant, & parua Oratoria, non autem Ecclesias habebant. Quæ significatio constare potest *ex antiquis Constitutionibus Farinerij in Capitulo Generali Assisij Anno* 1354.*editis, capit*.8. Vbi, distinguuntur domicilia siue loca Fratrum Conuentualium à non Conuentualibus, & decernitur, vt Visitatores: *In Locis Conuentualibus*

infra

infra septem dies, in non Conuentualibus infra tres ad plus suum Officium exequantur. Huius verò nominis origo fuit: quod cum Fratres diuersas molestias paterentur ab Ecclesiarum Prælatis, eo quod non permitterentur in Ecclesiis suis S. Euchariſtiam asseruare, nec fratres defunctos ibidem inhumare, nec campanam habere, &c. quia eorum Ecclesiæ priuata loca & oratoria reputarentur, nec haberentur pro Ecclesiis Collegiatis siue Conuentualibus, quæ solæ huiusmodi priuilegiis gaudebant: Summus Pontifex declarauit Ecclesias Fratrum Minorum esse *Conuentuales*. Hæc omnia patent *ex Bulla supracitata data Perusij: Cum* (inquit) *tanquam veri & fideles Christi Ministri elegeritis vobis in domo Domini mansiones, dignum esse credimus, vt habitacula vestra, inter alias honorabiles Congregationes fidelium statuamus. Hinc est igitur quod vestris supplicationibus inclinati, præsentium auctoritate decernimus, vt Ecclesiæ vestræ omnes, vbi Conuentus existunt, Conuentuales vocentur, concedentes Vobis nihilominus licentiam vt in ipsis Ecclesiis ad opus fratrum vestrorum habere liberè coemiteria valeatis.* Hæc Pontifex.

2. Igitur ab Ecclesiis nomen deriuatum est ad Fratres, vt illi *Conuentuales* siue *Claustrales* nuncuparentur, qui in Conuentibus

siue Claustris formatis collegialiter siue conuentualiter habitabant, ad distinctionem eorum qui in Eremitoriis, locis, domibus quasi solitariè & priuatim degebant, & ob paucitatem ac loci angustiam Conuentum siue Collegium non faciebant.)

3. Exurgentibus variis reformationibus intra Ordinem, vt Fratrum de Familia, & aliis iam sæpè repetitis, quorum reformatores (vtique pauci in principio) eligebant loca paupercula in locis separatis & quasi desertis; factum est, vt ad eorum distinctionem Fratres in Conuentibus remanentes vocarentur Conuentuales, & alij alia nomina assumerent, quamuis semper omnes sub vno Generali militarent: ita vt nomen *Conuentualis* communem quemdam modum collegialiter viuendi diceret distinctiuum, vt prius, à Reformatis, qui in locis pauperculis & derelictis ac velut Eremitoriis reformationes suas auspicabantur, humili quidem fundamento.

4. Tandem omnibus Reformatis, vt dictum est, in vnum corpus Ordinis ex sanioribus membris constitutum adunatis, sub vno nomine *Obseruantiæ Regularis:* Conuentualitatis nomen Fratribus omnibus Regulam cum priuilegiis relaxãtibus profitentibus remansit, & datum est, ita vt

iam

iam *Conuentuales* non à vita collegiata, siue à modo viuendi conuentualiter dicantur præcisè, sed translatum est, auctoritate Pontificia nomen ad significandos Fratres qui reditibus viuunt & Regulam priuilegiis in suo rigore relaxatã profitentur. Et ita loquuntur, passim *Bullæ Pontificum*, vbi distinguunt Conuentuales ab Obseruantibus. Ad obiectionem itaque neganda est consequentia: etsi enim nomen *Conuentualis* in Ordine sit antiquissimũ, non tamen in ea vsurpatione qua modò corpus illud Conuentualium à Pontifice stabilitum sub Magistro Generali & Magistris Prouincialibus significat, sed sub significationibus suprà relatis. Vide quæ diximus suprà in Annot. ad Chronologiam Generalium.

DVBIVM PRIMVM INCIDENTALE.

Quomodo se habeant respectu Ordinis totius Fratres Minores Conuentuales, & eorum Magistri Generales?

RESpondeo: vnum corpus separatum facere institutione Apostolica. Vnde & alia eis professio est assignata, & aliud caput sub nomine Magistri Generalis. Et

quamuis Magiſtri Generales teneantur vi iuris communis, ſeu mandati Pontificij, petere confirmationem à Miniſtro Generali totius Ordinis, illam tamẽ iam à Summo Pontifice per præuentionem inferioris poteſtatis poſtulant, velut totaliter à communi corpore ſeparati:

DVBIVM SECVNDVM.

Quid de Congregatione Fratrum Minorum Capuccinorum & eorum Superiore Generali?

RESpondeo primò: etſi non ſit dubium quin Fratres Capuccini ſint veri Fratres & filij S. Franciſci, quia eius Regulam ad litteram obſeruant abſquè priuilegiis relaxantibus, ita vt ex Regulæ Obſeruantia velut ex ſemine nati ſint, nihilominus nullam habent aut habuerunt cum ſtipite ſiue cum arbore communicationem: ſed ſicut extra corpus Ordinis inceperunt, ſic extra illud multiplicati ſunt, & vſquè nunc perſeuerant.

Pro cuius intelligentia aduertendum eſt primò Patres illos qui inceperunt Congregationem Patrum Capuccinorum, etſi in Regulari obſeruantia eſſent profeſſi, corpus tamen Regularis Obſeruantiæ deſc-

ſeruiſſe, & ad obedientiam Magiſtri Generalis Conuentualiũ transiuiſſe, receptos à Magiſtro Prouinciali Marchiæ Anconitanæ, ſub quo iuncti ſunt Conuentualibus. Secundò, ex Conuentualibus receſſiſſe vt ſtrictius viuerent & Eremiticam vitam ducerent, vnde Congregatio Patrum Capuccinorum incepit ſub titulo Eremitarum. Tertiò, quia *in Bulla, Omnipotens Deus*. præcipiebatur, vt Fratres Conuentuales, qui ſe reformarent ſigno diſtinctiuo notabili, diſtinguerentur à Fratribus Regularis Obſeruantiæ, capucium acuminatum accedens aliquo modo ad formam qua primi Patres in initio Ordinis vſi ſunt, acceperunt, & longiores barbas more Eremitarum nutrierunt. Hæc autem omnia ſic ſe habere patet ex *Bulla Clementis* VII. quæ incipit: *Religionis zelus*, &c. Sic vero Pontifex primos Patres qui Congregationem Capuccinorum inceperunt, alloquitur. *Sanè* (inquit) *pro parte veſtra nobis nuper exhibita petitio continebat: quod vos olim feruore ſeruiendi altiſſimo, Ordinem Fratrum Minorum de Obſeruantia nuncupatorum ingreſſi, in eo profeſſione emiſſa per certum tempus permanſiſtis; & deinde de licentia veſtri tunc Superioris (iuxta formam litterarum Apoſtolicarum ſuper vnione & concordia inter prædictos, & Conuen-*

uentuales nuncupatos dictiOrdinis confectarum) ad ipsorum Fratrum Conuentualium consortium vos transtulistis, & à tunc Prouinciali Magistro Prouinciæ Marchiæ dictorũ Fratrum Conuentualium benignè recepti, ac aliorum fratrum Conuentualium eiusdem Prouinciæ numero & consortio aggregati fuistis; & deinde vobis desiderantibus pro animarum vestrarum salute, &c. Eremeticam vitam ducere, & quantum humana patitur fragilitas, Regulam B. Francisci obseruare, dictus Magister Prouincialis Licentiam vobis ad Romanam Curiam adeundi, &c. concessit. Quæ prosequitur. Et quidem hæc adduntur & dicta sunt, non ad diminuendum institutum huius Congregationis quod pium & sanctum est, & quod prius magis Mariæ in locis separatis meliorem partem, quam Marthæ laboriosæ elegit, sed ad sopiendas verborum lites & contentiones, quæ à personis initium huius Congregationis ignorantibus miscentur.

Consule si placet quæ habet *Marcus de Lisboa Episcopus Portuensis in suis Chronicis 3. pl. l. 9. c. 15.* Horum igitur Patrũ superiores Generales auctoritatem Ordinariam, & independentem auctoritate Pontificia habent, quibus tenentur Fratres obedire, quia ex institutione Pontificia accommodè & interpretatiuè sub nomine successorum

rum S.Francisci & pro ista Congregatione comprehenduntur, quamuis propriè & serie continuata non successerunt.

Dices, *Vrbanus* 8. *in Bulla* quæ incipit: *Saluatoris & Domini nostri, data Anno* 1627. docet: *Fratrum Capuccinorum originem seu principium illorum esse realiter & cum effectu computandum à tempore primæuæ & Originalis Institutionis Regulæ*: & decernit: *Fratres Capuccinos esse ex vera & nunquam interrupta linea, & veros ac indubitatos Fratres Ordinis S. Francisci*: ergo ex prima radice prodierunt & ad arborem spectant.

Respondeo distinguendo. Fratres enim Capuccini dupliciter considerari possunt. 1. vt personæ particulares, quæ Regulam S.Francisci ad litteram sine priuilegiis relaxatiuis vouent: & hoc modo ex linea rectâ & non interruptâ prodierunt, eorumque origo à tempore primæuæ & Originalis institutionis Regulæ computari debet. Ratio est: quia primi Patres qui hancCongregationem instituerunt, in recta linea in obseruantia Regulari professionem emiserunt, & quamuis Corpus Ordinis reliquerint: nihilominùs in obseruantia rigida Regulæ permanserunt, & cæteros sequentes in eodem rigore Regulæ receperunt, & hoc vult Summus Pontifex. 2. Fratres Capuccini

puccini considerari possunt vt Congregationem dimembratam & habitu, Constitutionibus, & superioribus independentibus à Corpore communi distinctam sub titulo Eremitarum instituerunt. Et hoc modo non possunt dici ex vera, & non interrupta linea procedere. Ratio est quia vt dictum est, & vt docet *Clemens VII.* à communi corpore Ordinis per *Leonem X.* restituto recesserunt, & Conuentualibus incorporati sunt & consequenter quoad rationem regiminis & Hierarchiæ à linea defecerunt, Congregationem instituentes particularem. Nec de hoc loquitur S. D. Vrbanus qui à Regulæ Obseruantia lineam tantum deducit; & qui noluit contrariari *Paulo V.* qui de consilio S. R. E. Cardinalium Concilij interpretum prius asseuerauerat Capuccinos *tempore S. Francisci minimè fuisse institutos*: nimirum: quoad modos huius Congregationis: quia quoad Regulæ viridem obseruantiam, non est dubium quod sua principia debent repetere ab ipsa institutione Regulæ, sicut & reliqui veri Regulæ Obseruatores. Et hæc omnia patere possunt ex facto, & Historiæ siue Annalium veritate. Quomodo enim Congregatio Capuccinorum dicatur semper fuisse, cum sub *Clemente VII. circa*

Annum

Annum 1526 primum inceperit? Aut quomodo Congregatio dicetur recta & non interrupta linea processisse, cum ex Conuentualium separata per *Leonem* X. Hierarchia emerserit. Agnoscendi sunt itaquè quantum ad Regulæ Obseruantiam veram à S.Francisco per Regularem Obseruantiam in qua primi Patres professi sunt recta linea descendere: non tamen in ratione Congregationis, nec per lineam Hierachicam totius corporis Ordinis.

ANNOTATIO AD TEXTVM.

EX hoc capite Regulæ colligit *Gilbertus Nicolai l.*qui intitulatur, *Pastor bonus p.*1.*sub Prologo.*S.Franciscum obligasse Fratres ad tres velut Ordinis Fundatores, quibus obedire debent: *Ad Christum in Euangelio suo loquentem. Ad Honorium Christi Vicarium Regulam approbantem & declarantem, & ad S.Franciscum pro Vniuersis fratribus loquentem. Et qui in omni dubio Regulæ suæ* (inquit) *non adspicit ad istos tres, cæcus est & non videns ea ad quæ se obligauit.*

CAPVT

IN CAPVT SECVNDVM.

TEXTVS I.

Si qui voluerint hanc vitam accipere & venerint ad Fratres nostros, mittant eos ad suos ministros Prouinciales, quibus solummodò & non aliis, recipiendi Fratres licentia concedatur.

TITVLVS I.

De conditione Nouitiorum & eorum admissione.

QVÆSTIO I.

An Fratres teneantur omnes petentes admitti ad Ordinem, mittere ad Ministros?

PRo resolutione huius Quæstionis notandum Primò, *Clementem 5. in sua Extra. Exiui de Paradyso c. 1.* declarasse: *Quod omnia quæ ponuntur in Regula ad formam habitus tam Nouitiorum, quam Professorum, nec non ad Professionem & receptionis modum spectantia, nisi recipientibus quoad habitum Nouitiorum sicut dicit Regula secundùm*

ſecundum Deum aliud videatur: hæc inquam eſſe à Fratribus tamquam obligatoria ſeruanda. Hæc ibi.

Notandum ſecundò fuiſſe hactenus controuerſum inter Regulæ interpretes: An illud quod in textu dicitur: *Si qui voluerint hanc vitam accipere,* &c. *Fratres mittant eos ad ſuos Miniſtros Prouinciales*: ſit vnũ ex iſtis obligatoriis de quibus *Clemens*: Aliis dicentibus eſſe tantum vtilem inſtructionem, *& ita 4. Magiſtri, & Hugo de Dina in hunc textum*: Aliis aſſerentibus contineri quoddam obligatorium, & non tantum inſtructorium: *Et ita expoſitio Sanctorum Patrum ſine titulo*: Aliis, denique interpretantibus illud obligatoriũ de iure naturali diuino eſſe: aliis addentibus obligatoriũ eſſe, ex vi æquipollentis in Regula iuxta *declarationem Clementis V.*

CONCLVSIO I.

FRatres non tenentur mittere ad Miniſtros eos qui patenter vel idonei non ſunt; vel ſubſiſtente aliquo certo & claro impedimento, ratione cuius non reciperentur. Ratio clara eſt: quia vbi ceſſat ratio finis, ceſſat ratio operandi propter finem; ſed finis propter quem debent mitti eſt vt recipiantur, ergò ſi ratione incapacitatis, aut certi impedimenti certum ſit

non posse recipi, cessat ratio eos mittendi, cum frustrà mitterentur. Hoc clarè indicat *Nicolaus* 3. *in declar. a.* 1. vbi demonstrat: Non indifferenter omnes ad Ordinem admittendos; *Sed tantum* (inquit) *illi qui suffragantibus eis litteraturâ, idoneitate, vel aliis circumstantiis, possint esse vtiles Ordini, sibique per vitæ meritum, & aliis prodesse per exemplum.* Hæc ille. Infero: ergo soli tales mittendi sunt, & qui tales non præsumuntur, frustrà mitterentur.

CONCLVSIO II.

IVre diuino, & etiam probabiliter ex vi huius textus Regulæ tenentur Fratres non retrahere; seu prohibentur impedire eos qui aliàs idonei sunt & veniunt vt admittantur, quin potiùs eos iuuare debent mittendo ad Ministros. Hæc est securior sententia, quam docet expresse *Expositio breuis Sanctorum Patrum quæ est sine titulo:* vbi ad illa verba: *Mittant eos*, &c. Sic dicunt: *Hoc instructorium est quid agere debeamus circà idoneos: & nihilominus obligatorium est; quod iuuent idoneos, & non retrahant eos amore carnali vel odio. Et hoc importat verbum, Mittant.* Ex quo infertur hæc verba si æquipolleant præcepto iuxtà *declarationem Clementis V.* esse negatiuè exponenda, nimirum vt *Mittant.* 1. non impediant, retrahant, vel

quouis

quouis mōdo arceant si idonei sint. Quamuis etiam aliquis non improbabiliter hoc negatiuum possit elicere: *Mittant eos ad suos Ministros Prouinciales.* Non præsumant per se recipere cum non possint, sed ad Ministros Prouinciales destinent, ad quos solummodo spectat Nouitiorum receptio.

QVÆSTIO II.

An soli Ministri Prouinciales possint recipere venientes ad Ordinem?

CONCLVSIO

SOli Ministri Prouinciales ex vi Regulæ ordinariam potestatem habent recipiendi Nouitios seu personas ad Ordinem venientes. Patet ex verbis expressis Regulæ: *Quibus* (id est Ministris Prouincialibus) *& nō aliis recipiendi Fratres licentia concedatur.* Dixi (*soli Ministri Prouinciales*) per quam particulam non excluduntur Ministri Generales, qui eminenter totam potestatem Prouincialium velut in digniori & nobiliori continent: Vndè & iuxtà *Nicolaum* 3. infrà citandum, potestatem recipiendi Nouitios in Prouincialibus arctari possunt, prout iudicauerint expedire. Dixi (*ordinariam potestatem*) possunt enim alios delegare & committere, etsi non passim & sine

delectu & diſcretione. Hæc omnia latiſſimè declarat Nicolaus 3. in Extra. Exiit & a. 10. *Concedimus* (inquit) *& præſenti ſtatuto firmamus, licere non ſolum Generali ſed etiam Prouincialibus Miniſtris perſonas à ſæculo fugientes in fratres recipere; quæ Miniſtrorum Prouincialium licentia per ipſum Generalem (ſicut expedire viderit) poßit arctari. Vicarij verò Miniſtrorum Prouincialium ex officio Vicarij hanc licentiam ſibi nouerint interdictam, niſi per Miniſtros eoſdem (quibus hoc poſſe committere Vicariis, & aliis licere decernimus) hoc ipſis Vicariis ſpecialiter committatur. Caueant tamen ipſi Prouinciales, quod hoc non indiſcretè, non paßim, ſed ſic conſideratè committant, ſicque illos quibus committi contigerit fidelibus conſiliis fulciant, quod omnia diſcretè procedant*: Hæc Nicolaus.

Hanc porrò praxim committendi, interdum aliis poteſtatem recipiẽdi venientes ad Ordinem fuiſſe antiquitus in ordine obſeruatam probant 4. *Magiſtri, S. Bonau. & Hugo de Dina in hunc locum*, idque ob multitudinem Fratrum, & longam abſentiam Miniſtrorum. Aduertendum tamen eſt in noſtra familia Ciſmontana vi conceſſionis ſiue declarationis *Nicolai* 3. Miniſtrum Generalem cum toto Capitulo generali per ſtatutum coarctaſſe poteſtatem

Pro-

Prouincialium prohibendo ne deinceps committere possint hanc facultatem seu potestatem Guardianis, aut aliis, sed quod ipsi in conscientia teneantur per seipsos personaliter venientes ad Ordinem examinare: Ex quo infero, Ministros Prouinciales, vbi est hoc statutum in vigore, peccare mortaliter, qui post sic arctatam potestatem, illam iterum committere præsumunt. Et illi (vbi potestas non est arctata) qui indiscretè & passim committunt, cum sit res grauissimi periculi, vt in nonnullis mundi partibus experientia docuit. Vide statuta Barchinonensia Segouiæ recognita *c.* 1. §. 2. *n.* 1. 2. 3. Cautelas porrò in receptione Nouitiorum adhibendas videre quis potest apud *S. Bonau. q.* 10. *super Regulam*, quas, quia prolixiores sunt prætereo.

TEXTVS II.

Ministri verò diligenter examinent eos de Fide Catholica, & Ecclesiasticis Sacramentis.

QVÆSTIO III.

An Ministri teneantur examinare omnes venientes, de Fide Catholica, & Sacramentis.

CONCLVSIO.

NOn tenentur Ministri examinare venientes ad Ordinem de Fide Catholica & Sacramentis, nisi vbi aliquod dubium subesse potest, eo quod patria vel genus esset aliqua labe infectum.

Ita expressè *S. Bonauentura in hunc Locum. Hoc* (inquit) *pro illis dicitur partibus vbi contigerit aliquos Hæreticos inueniri.*

Ratio verò huius dicti petenda est ex natura ipsius præcepti: Cum enim examen sua natura feratur ad rem occultam inuestigandam, vbi res moraliter & absolutè manifesta erit, frustrà examen fiet. Nam cessante fine præcepti, ipsum ex natura rei cessare intelligitur.

TEX-

TEXTVS III.

Et si hæc omnia credant, & velint ea fideliter confiteri & vsque in finem firmiter obseruare, & vxores non habent, &c.

QVÆSTIO IV.

Quæ sint conditiones requisitæ ex parte Regulæ ad ingressum Religionis.

CONCLVSIO.

TRes tantum conditiones requirit Regula ad ingressum Religionis.

1. Vt qui petit hanc vitam sit fidelis & Catholicus paratus fidem confiteri, & vsque in finem obseruare. *Ex quo* (inquit *S. Bonau.*) *verè patet, quod recipiendi ad Ordinem, debent parati esse ad Martyrium.* Quod intelligendum puto non de positiuâ & actuali præparatione aut voluntate, sed tantum de virtuali. 1. Quod voluntatem contrariam non habeant, & confiteri fidem velint, & si in speciali & formaliter sibi martyrium non proponant. Hæc enim multiplicatio verborum *Credere, Confiteri, vsque in finem obseruare,* Veritatem & soliditatem

ratem Fidei requiri potius designant, quàm formales eius actus.

2. Vt qui ingreditur Vxorem non habeat. 1. Vt consummato Matrimonio non sit ligatus vxori; Ingressus enim Religionis secundum Ius commune dissoluit & Sponsalia de futuro, & Matrimonium ratū de præsenti, vt etiam communis Schola Theologorum docet. Addit verò S. Franciscus; vt si ingrediens Matrimonio consummato sit ligatus, obtineat licentiam ab vxore, auctoritate Dioecesani Episcopi, Religionem prius ingrediente, vel continentiæ voto emisso, ità tamen vt Vxor sit talis ætatis, vt de ea non possit oriri suspicio. De quibus conditionibus latius infrà agendum erit.

3. Conditio principalis est, vt omnibus bonis temporalibus renuntient, dando ea pauperibus si potuerint, vel ad hoc promptam voluntatem habendo, si non potuerint. Et hæ solæ conditiones requiruntur ex parte Regulæ de aliis verò aliundè requisitis aliquid tangam post harum conditionum examen.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

An necessariò requiratur licentia vxoris ad hoc vt maritus Religionem ingrediatur?

CONCLVSIO.

SIne licentia Vxoris stando in communi iure non potest vir validè ingredi, & profiteri Religionem; nisi obiiciat & probet adulterium Vxoris. Ratio est quia vinculum Matrimonij consummati est mutuum, ità vt alterutro dissentiente, solui omninò non possit. Vnde virum sic sinè licentia ingredientem potest vxor quoties vult reuocare, & tenetur vir redire.

Dixi (nisi probet & obiiciat adulterium Vxoris) si enim obiiciat & probet adulterium, iam liberè sicut thorum sic & cohabitationem in perpetuum negare potest, & in Religione validè profiteri.

Aduerte tamen quod si vxor viro adulterium similiter obiiceret & probaret, tunc suo æquali iuri restitueretur, nec posset vir illam relinquere aut Religionem ingredi sine licentia eius.

Quod verò dixi de adulterio eodem modo intelligendum existimarem de per-

petuo diuortio inter Coniuges iuridicè declarato & decreto: tunc enim à communi thoro & cohabitatione absoluuntur.

Petes. An Ministri possint ad Ordinem recipere sic recidentem ab Vxore post probatum adulterium, si Vxor reclamet & licéntiam dare nolit. Respondeo quod non possint recipere, sed quod & Minister recipiens ad habitum & Fratres ad Professionem admittentes peccarent mortaliter. *Ità Corduba in c.2.q.4.* Cuius ratio est, quia etsi talis iuxtà probabiliorem opinionem ingredi possit Ordinem, & profiteri, vxore reclamante, essetque valida professio: Fratribus tamen Minoribus per hoc æquipollens prohibetur ne recipiant sine licentiâ Vxoris.

QVÆSTIO VI.

Vtrum necessariò teneatur Vxor intrare Religionem, vel Continentiæ votum emittere, antequam Maritus Ordinem Fratrum Minorum ingredi poßit, & Quare?

CONCLVSIO.

MAritus post consummatum Matrimonium etiam de licentiâ vxoris, non

non poteſt ingredi vel profiteri Ordinem Fratrum Minorum, niſi vxor aut Religionem ſit profeſſa, aut votum Continentiæ perpetuæ emiſerit.

Patet ex verbis Regulæ. Ratio verò eſt quià ſi Vxor Religionem aut continentiam non profiteatur, cum nullo vinculo Voti, vel iuramenti ſit ligata conceſſio, poteſt conſenſum & licentiam reuocare datam, ex cauſis legitimis, & vir tenetur ad eam redire?

Neque enim dando licentiam cenſetur continentiam vouere, vt docet *Roderiguez tom.3.q. 13. a. 2.*

Hæc enim eſt vnica cauſa cur ad profeſſionẽ Religionis vel profeſſionem continentiæ vxores obligentur, quia *Varium, mutabile, & periculoſum ſemper Foemina.*

Et hæc iterum eſt cauſa cur etiam ætatis rationem voluerit haberi S. Franciſcus, ne ex tali ingreſſu viri etiam conſentiente Vxore, maiora pericula incontinentiæ animæ Vxoris imminerent, & ſcandala in Eccleſia Dei orirentur.

Petes 1. Quæ ætas requiratur in Vxoribus, vt non poſſit de eis oriri ſuſpicio?

Reſpondet *S. Bonauentura hoc Loco. Ætas* (ait) *iſta non minus ſtabilitate virtutis, quam tractu temporis menſuranda videtur, quia dicitur*

tur Sap.4. Senectus venerabilis est non diuturna, neque annorum numero computata; Cani sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Hæc ille. Ergo ætas non tempore, sed morum maturitate est æstimanda cæteris paribus.

Petes 2. Quid si vbi Vxor vouit continentiam, vir in Nouitiatu non perseueret, sed ad sæculum reuertatur. Respondet *Gregorius Lopez in c. 1. de Conuers. Coniug.* Citatus ab *Emanuele Roderiguez tom. 3. q. 13. a. 2.* cessare obligationem voti; quia cum supponatur tantum factum ob causam Religionis Mariti eo ipso quo causa cessat, votũ cessare censebitur. Quod intellige nisi votum ità sit absolutè factum, vt omnem suppositionem ingressus Religionis excludat, quod vix videtur fieri in simili casu.

Petes 3. Cur ad votum Continentiæ emittendum in hac causa requirat. S. Franciscus auctoritatem Dioecesani Episcopi. Ratio quia qui consummato Matrimonio sunt iuncti, iam sunt in statu, qui ex naturâ subiicitur Episcopis, vnde si separari debeant omninò necessarium est vt auctoritate Episcopi fiat: quemadmodum eius Auctoritas requiritur in diuortiis.

TEX-

TEXTVS IV.

Dicant eis verbum S. Euangelij, vt vadant, & vendant omnia sua, & ea studeant pauperibus erogare.

QVÆSTIO VII.

Quid in hoc æquipollente, substantialiter præcipiatur.

CONCLVSIO.

TRia potissimum sub hoc æquipollente præcipiuntur. Primum est: Renunciatio omnium bonorum temporalium, quæ à Nouitio fieri debet, nihil omninò sibi siue suæ dispositioni retinendo. Vnde si Nouitius disponens de rebus suis aliquid in futurum retineat, directè, vel indirectè, & contrariam voluntatem suæ professioni secuturæ habere præsumatur, & ipse in puncto professionis peccatum mortale incurrit, Deoque mentitur, vtpotè paupertatem sine proprio vouens, & nihilominus aliquid sibi retinens: Et superiores qui hoc permittunt eodem modo lepra mortalis peccati se inficiunt.

Secundum est: Vt dicta Renuntiatio quantum commodè & rationabiliter fieri

potest,

poteſt, fiat per venditionem bonorum, & eorundem in pauperes elargitionem liberalem.

Tertium: Vt hæc obligatio eis à Superióribus intimetur per verbum *S. Euangelij: Quod vadant & vendant omnia ſua, & ea ſtudeant pauperibus erogare*, vt in textu continetur.

Et hæc Apoſtolica renuntiatio eſt à Chriſto Apoſtolis demandata *Matth.* 19. iuxtà quam nudi nudam crucem ſequuntur: *Non tantum* (ait *S. Bonau.*) *nudati chlamyde cum Ioſeph, ſed ſpoliati etiam ſyndone quo amicti erant ſuper nudo.*

QVÆSTIO VIII.

Quomodò qui necdum ſunt profeſsi, hoc æquipollenti præcepto de bonorum renuntiatione, venditione, & diſtributione obligari poſſunt.

DIco 1. Simpliciter non obligari. Ratio clara eſt, quia necdum vouerunt, & per illos ſtat, & bona ſua retinere, & ad ſæculum remeare ſi velint: iuxta illud Petri ad Ananiam, de agro vendito, *Act.* 5. *Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate.*

Dico

Dico 2. Obligari ſub conditione; Si nimirum profeſſionem in Ordine emittere velint. Cum enim Profeſſio Fratrum Minorum omnimodam abdicationem omnium rerum, tam in communi, quam in ſpeciali contineat; quicumque hanc profeſſionem facit, iam aut verè renunciaſſe omnibus quæ poſſedit cenſetur, aut blaſphemè Deo & *Spiritui Sancto mentitur.* Obligantur igitur Nouitij hoc præcepto tamquam neceſſaria conditione ad profitendum.

Dico 3. Directè hoc æquipollens Miniſtros obligat, ne videlicet vllum, niſi ſub his conditionibus venientem recipere præſumant ſub mortali peccato.

QVÆSTIO IX.

Quando debeat fieri hæc renunciatio?

RAtio dubitandi eſt quia textus Regulæ videtur indicare illam antè receptionem, ſiue habitus ſuſceptionem fieri debere.

CONCLVSIO.

HÆc bonorum renuntiatio & diſtributio non debet fieri ante habitus probationis ſuſceptionem. Ratio eſt quia diſtributio tunc temporis facta multis Noui-

Nouitium laqueis irretiret, cum de ſua perſeuerantia, nec ex parte ſua, nec ex parte recipientium ſit ſecurus. Imo iure noui *concilij tridentini ſeſſ. 25. c.* 16. *de Regular.* Cautum eſt ne à Nouitio vlla fieri poſſit renunciatio bonorum etiam in fauorem cuiuſcumque piæ cauſæ, niſi infrà duos menſes antè profeſſionem: Quæ nihilominus etiam ſic facta nullum habeat effectum niſi profeſſione ſecuta. Annullat porrò & caſſat Concilium omnem renuntiationem, aut obligationem aliter factã, etiamſi iuramento firmata eſſet.

Et ad hoc Concilij Tridentini decretum regulanda ſunt & Regulæ verba, & ea quæ à Sanctis Patribus Expoſitoribus antiquis pro ſua pietate, & zelo fuerunt in hac materia dicta.

QVÆSTIO X.

An omnibus venientibus ad Ordinem teneantur dicere verbum S. Euangelij?

CONCLVSIO.

ILlis ſolis Superiores tenentur dicere verbum S. Euangelij, qui liberè poſſunt vendere bona ſua & dare pauperibus. Ratio

Ratio breuis & clara eſt: Quia fruſtrâ verbum illud diceretur ei, qui vel bona non haberet, vel illa vendere & pauperibus diſtribuere non poſſet; quales ſunt illi de quibus Quæſtione ſequenti.

TEXTVS V.

Quod ſi facere non potuerint ſufficit eis bona voluntas.

QVÆSTIO XI.

Quando cenſeatur Nouitius non poſſe bona ſua dare pauperibus, ad hoc vt ſufficiat illi bona voluntas?

CONCLVSIO.

TVnc Nouitius cenſetur non poſſe bona ſua dare pauperibus, quandò rationabilis cauſa in contrarium ſuppetit; vtpote ſi ex iſtâ diſtributione, lites, difficultates, odia, ſcandala inter propinquos oriunda præuiderentur, aut ſi loci diſtantia, aut temporis mora diuturnior ad hoc requireretur, in damnum ſpirituale diſtribuentis.

Ità ferè *S. Bonauentura. Quod ſi facere* (inquit) *non potuerint propter loci diſtantiam, vel propter litium implicationem, ſufficit eis bona*

 volun-

voluntas, quia licitè ceditur, & omnia contemnuntur iuxtà illud Hieronymi: Si habes res tuas vende; si non habes proiice. Nemo renuntiaturus sæculo potest benè vendere, quæ contempsit vt venderet. Hæc ibi.

Eodem loco loquitur *Bartholomæus Pisanus ad hunc textum* qui superioribus ferè verbis relatis, generaliter de omnibus similibus impedimentis infert, idem esse iudicium. Quod manifestum fiet ponderando verba S. Patris: *Quod si facere non potuerint*; quæ de possibilitate non omnimodâ, sed commoda intelligenda sunt: Multa enim sunt quæ possunt commouere nouitium vt sua Parentibus relinquat vtpotè 1. quia Parentes pauperes sunt, & sic ordine charitatis eis primò tenetur.

2. Quia etsi omnino pauperes non sint, considerato tamen statu & gradu suo, ac familiæ constitutione, illis bonis indigent, ad statum conseruandum, ad debita soluenda, quia ære alieno grauati, ad Liberos honestè educandos, & promouendos intrà statum suum.

3. Quia bona multis ligitiis implicantur, vnde odia & rancores suborirentur.

4. Quia ista distributio Parentibus facta, illis prodesse potest magis, vt Deo vacent, &c.

Hæc

Hæc & his ſimilia ſecurum reddunt Nouitium vt Parentibus ſua relinquere poſſit: Modò tamen ſemper bonam voluntatem habeat, & ratione carnali ad parentes non moueatur.

Vnde benè notat Roderiguez *Tom.3.q.16.a.6.* Subſtantiam abdicationis illius cōſiſtere maximè in abſoluta renuntiatione bonorum, omnia relinquendo, vt Chriſtum ſequamur, quomodò ex *Ianſenio* aduertit: Apoſtolos in Euangelio non dici pauperibus ſua dediſſe, ſed tantum reliquiſſe. Quod quidem verum eſt; ſed cautè legendus omninò, quod dicat non plus obligari Nouitios ad ſua Pauperibus diſtribuenda quam reliquos Chriſtianos. Aduertant enim primò omnia quæ ponuntur ad receptionem Nouitiorum (*iuxtà Clementem V.*) æqui valere præcepto, cumque imponatur Miniſtris hoc intimare, correlatiuè huic conditioni obligantur Nouitij, ſi potuerint, commodè, vt ſuprà probatum fuit.

ABVSVS.

EX ſuperioribus conſtat quantis peccatis ſe intricant 1. Qui interdum ſub titulo Studiorum Pariſienſium & Academiarum penſiones nonnullas, & velut do-

tes ſibi reſeruarunt, quibus poſt profeſſionem vti poſſent, & Superiores qui hoc ipſum aliquando permiſerunt.

2. Qui Parentibus & propinquis ſua relinquunt velut ſub onere, quod illis ad ſuas neceſſitates & recreationes dum profeſſi fuerint velut reſtituent, & ſimilia quæ ſenſualitas & natura comminiſcitur, corpore tantum mundum relinquentes, affectu mundo inhærentes.

3. Qui ad hæredes ſuos per mendicationis viam poſteà recurrentes, quoddam ius quamuis non ciuile, naturale tamen prætendunt.

Quemdam ingredi Ordinem poſtulantem repulit S. Pater Franciſcus in Marchia Anconitata, quia parentibus ſuis ſub ſpe talium bona ſua diſtribuerat: Sed Ioanni Simplici permiſit, vt bouem hæreditarium Parentibus relinqueret, vt ex pietate eorum indigentiæ ſubueniret.

TEX-

TEXTVS VI.

Et caueant Fratres & eorum Ministri ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, vt liberè faciant de rebus suis quidquid Dominus inspirauerit eis.

QVÆSTIO XII.

Quæ sollicitudo prohibeatur Fratribus & eorum Ministris in temporalibus bonis Nouitiorum?

CONCLVSIO.

OMnis sollicitudo, inductio, postulatio, omnisque actio quouis nomine dicatur, quæ aliquo modo præiudicat aut præiudicare potest libertati Nouitij in dispositione bonorum suorum per hoc præceptum æquipollens, in Regulâ Fratribus & Ministris prohibetur.

Patet ex verbis Regulæ: *vt liberè* (inquit) *faciant de rebus suis*; ergò quidquid libertati præiudicat illud cauere mandatur.

Et ita clarissimè *Clemens V. c. 2. Dicimus* (inquit) *omninò debere tam Ministros quam Fratres cæteros à dictis inductionibus ad sibi dan-*

dum, & suasionibus, nec non à dandis circà distributionem consiliis abstinere. Cuius ratione attulerat suprà cum ait S. *Franciscum per hac verba:* Caueant *Fratres & eorum Ministri ne solliciti sint de rebus suis temporalibus, &c. Intendisse sua Regula Professores quos in maxima paupertate fundauerat, ab affectu temporalium rerum ipsorum ingredientium specialiter & totaliter elongare, vt quantum est ex parte Fratrum ipsorum receptio sancta & purissima appareret.* Hæc Clemens.

ABVSVS.

EX his constat quod Fratres cauere debent. 1. Ne formaliter & directè se intromittant suadendo & consulendo super bonorum distributione.

2. Ne indirectè necessitates suorum Conuentuum Nouitiis exponant, vt videri possint Nouitios inducere ad sibi dandum.

3. Ne Parentes aut ex Parentibus vnum præ aliis commendent, aut ad dandum his vel illis pauperibus inducant. Quia ex reuerentia quam habent ad Fratres cum quibus viuere proponunt, facilè libertati suæ cedunt vt eorum propensionem sibi indicatam sequantur, quod præiudicat libertati. Possunt tamē pauperes commendare, cum contineatur in verbo S. Euangelij, vt

studeant

ſtudeant bona ſua pauperibus erogare. Sciant igitur ſe in his iuxtà inductionis qualitatem mortaliter peccare poſſe, vndè & materiæ quantitas, & libertatis præiudicium, in ſimilibus ſunt ponderanda.

QVÆSTIO XIII.

An liceat liberè oblata à Nouitio recipere.

CONCLVSIO.

Licet Fratribus liberè oblata à Nouitiis cum moderamine recipere. Ita expreſſè *Clemens V. c. 2. Non videtur* (inquit) *quin liceat recipere conſideratis ſcilicet neceſſitatibus, ſi quid de bonis ſuis intrans ſicut cæteris pauperibus per modum eleemoſynæ velit dare. Cauere tamen in oblationum talium acceptione debent Fratres, ne ex receptorum quantitate notabili, præſumi poſſit ſiniſter oculus contra ipſos. Hæc Clemens V.* Ex quibus verbis patet tres eſſe cauſas huius prohibitionis in Regula factæ. 1. Vt libertas omnimoda Nouitiis ſeruetur. 2. Vt Fratres ab affectu temporalium elongentur. 3. Vt omnis ſcandali ſeges reſcindatur.

QVÆSTIO XIV.

An Nouitio iam determinato, & eleemosynam Conuentui offerenti, liceat necessitates aliquas per modum consilij offerre?

CONCLVSIO.

NOuitio iam volenti & determinato Eleemosynam dare Conuentui, licet necessitates declarare, imò vnam præ aliis suadere, etiamsi ad aliam iam esset inclinatus.

Ratio conclusionis est: quia nihil in hoc facto fini præcepti contrariatur, neque enim libertati præiudicatur, nec affectus ad res ipsius præsumitur, aut oculus sinister ad Fratres haberi potest, sed meritò eius & Conuentus bono consulitur dum præcipua necessitas minori præfertur. Ex. gr. Vult Nouitius eleemosynam dare pro aliquo ornamento Ecclesiæ decori magis quam necessitati seruienti: Indiget verò Conuentus vestitu pro Fratribus, necessitatibus pro infirmis aut id genus: potest Guardianis firmiter persuadere, vt quantum vult in ornamentũ insumere, illud in Fratrum vestitum vel infirmorum necessitates elargiatur.

Dices

Dices. In hoc præiudicat libertati. Respondeo negando assumptum. Libertas enim in præsenti attenditur in dare vel non dare, dare illi vel dare alteri, &c. Sed vbi determinauit se vt Conuentui elargiatur, vt res magis meritoria sit, consilium bonum liberæ suæ determinationi vtiliter deseruit, non præiudicat.

Eodem modo arbitrarer quod vbi Nouitius iam determinauit dare aliqua bona pauperibus: indifferens autem est in quos elargiatur, quod tunc externos aliquos veros pauperes ex mera charitate possint Fratres offerre, & commendare, modò tamen & importunitas absit, & animus alias benè determinatus à proposito non arceatur. Ratio est quæ supra. Quia libertati de qua Regula loquitur per hoc ipsum non præiudicatur, cum res nec Fratrum gratia, nec ad ipsos fiat.

Dubitatum etiam ab aliquibus est: Si liceat à Nouitiis petere, vt vestes sæculares cum quibus ad Ordinem accesserunt, alicui determinato pauperi donent.

Respondeo 1. Detestandos illos Nouitios qui saltem has vestes pauperibus non dant, cum vix minus dare possint, & relinquere in vtilitatem pauperum. Respondeo 2. Ipsos nihilominus liberos esse cuiuis

pauperi indigenti iuxtà ordinem charitatis elargiri, adeoque isti libertati relinquendos. Respondeo 3. Vbi indifferentes sunt cui pauperi largiantur, vt suprà, Fratres posse aliquem offerre verè pauperem intuitu solo charitatis. Moneo verò quod quia interdum Parentes in memoriam iuxta naturæ instinctum, & sæculi modos istas vestes in se recipere procurant & desiderant: vt saltem valorem spoliorum curent Nouitij in pauperes erogari.

TEXTVS VII.

Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant Ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur.

QVÆSTIO XV.

Quid obseruandum cum mittitur Nouitius ad aliquos Deum timentes.

CONCLVSIO.

TRia potissimùm requiruntur in persona, ad quam Nouitius pro consilio distributionis bonorum suorũ destinatur.

1. Vt

1. Vt sit alterius status, & non Frater Ordinis. Ita *Clemens V. c. 2.*

2. Vt sit vir timens Deum, qui videlicet nec cupiditate, nec aliquo respectu humano facilè moueatur, sed secundum Deum consulat.

3. Vt non sit Fratrum consanguineus, vel syndicus, vel similis conditionis. *Ne* (inquit *Clemens V.*) *aliquo modo Fratres videantur oculum habere ad eorum bona*, &c. vtique quia illi ex affectu rem Fratrum promouere viderentur.

QVÆSTIO XVI.

An illi ad quos mittuntur debeant dare consilium, vt bona sua pauperibus erogentur.

CONCLVSIO.

Consilium viri timentis Deum est, vt secundum Deum sub moderaminibus supra allatis quæst. 11. Nouitius bona sua maturè distribuat. Repetit autem semper Regula erogationem in Pauperes, vt inculcet præcipuum hunc actum, & maximè meritorium.

QVÆ-

QVÆSTIO XVII.

An illi Consultori possint Fratres prius exponere necessitates suas.

CONCLVSIO.

NOn possunt. Ratio est quia hoc ipsum esset simpliciter inducere & sollicitare Consultore mediante Nouitium, pro suis bonis temporalibus contrà puritatem Regulæ, & Fundatoris intentionem.

QVÆSTIO XVIII.

An præter has conditiones ex parte Regulæ requisitas, sint aliæ aliundè requisitæ.

CONCLVSIO.

SVnt plures aliæ conditiones, tum à iure communi, tum ex Pontificum decretis, tum ex Ordinis Statutis requisitæ, quæ quia longiores sunt, & hoc scriptum in Regulam non contingunt apud Auctores videantur maximè apud *Emanuelem Roderiguez tom 3. q. 10. & 11. per totum*, vbi examinat constitutiones Sixti V. Gregorij XIV. *& Clementis VIII.* Videantur etiam *statuta Barchinonensia Segouiæ in Congregatione Generali Anno 1621. recognita c. 1. §. 1. & 2.*

TEX-

TEXTVS VIII.

Posteà concedant eis pannos probationis, videlicet, duas tunicas sine capucio, & cingulum & braccas & caparonem vsque ad cingulum, nisi eisdem Ministris aliud secundum Deum aliquando videatur.

TITVLVS II.

De habitu Nouitiorum & eorum Professione.

QVÆSTIO I.

Quis sit habitus Nouitiorum?

CErtum est apud omnes habitũ Nouitiorũ consistere in duabus tunicis, caparone vsque ad cingulũ, cingulo, & braccis, clara enim sunt verba Regulæ. Sed non parua difficultas est in quo consistat ratio Caparonis? Aliis dicentibus Caparonem prout est habitus Nouitiorũ nihil aliud esse quam Caputiũ dissutũ, quia Professi tenentur assutum habitui gestare, adeòque mortaliter peccare Professos qui dissutũ caputium portant, eo quòd habitũ Nouitiorum portent & non professorum. Sed de hoc alias,

alias: Aliis asserentibus Caparonem esse Caputium quod in figura ab vtraque parte, à tergo, & ante pectus, ad cingulum producitur quale ferè est Minimorum. Cuiusmodi ferunt in his Regionibus Nouitij Cappucinorum, & in pluribus Prouinciis Hispaniæ Nouitij Obseruantiæ: Aliis tandem distinguentibus Caparonem à Caputio per peciam panni ante pectus vsque ad cingulum pendentem. Quam quæstionem agitari vidi in Congregatione Generali intermedia Segouiæ Anno 1621. in vtramque partem Patribus abeuntibus.

CONCLVSIO.

IN re tam incerta quæ opinione definiri non potest, nec historia aut traditione certò constat, placet resolutio Patrum data in Capitulo generali Palençuelensi in Prouincia Castellæ Anno 1470. Pontificatus Pauli II. Anno 7. in flore obseruantiæ in quo sic conclusum est.

Vlterius cum secundum declarationem D. Clementis V. omnia spectantia ad formam habitus tam Nouitiorum quam Professorum æquipolleant præcepto, statuit & vult R. Pater Vicarius cum Capitulo vniuerso, vt de cætero in omnibus Prouinciis habitus Nouitiorum patenter sit dinstinctus ab habitu Professorum; ità vt dissu-

dissutura Caputij non sufficiat, sed oportet portare Caparonem iuxtà Regulam, vel aliam petiam panni ante pectus, nisi quoad aliquas personas notabiles aliud secundum Deum aliquando videatur.

Ex quibus verbis colligitur quod secundum Regulam sit magis propriè Caputium quod vtrimque ad cingulum pertingit, vel magis proximè cui petia panni ante pectus dependet.

Petes. Quando censeatur secundum Deum posse in habitu Nouitiorum dispensari? Respondetur duas adferri ab Auctoribus causas. Nimirum s Si Nouitius sit Sacerdos aliquis grauis: aut si sit persona Illustrissimæ Nobilitatis.

TEXTVS IX.

Finito verò anno probationis recipiantur ad obedientiam, promittentes vitam istam semper & Regulam obseruare.

QVÆSTIO II.

Cuius sit recipere Nouitios ad Professionem?

CONCLVSIO I.

SOli Ministro Prouinciali competit ordinario iure recipere Nouitios ad Profes-

fessionem. Est constans doctrina omnium antiquorum Patrum. Ita 4. Magistri. *Si enim* (inquiunt) *quod minus est nimirum recipere ad habitum non conceditur, Guardianis* (iure scilicet ordinario) *nec quod maius est concedetur, nimirum recipere ad Professionem.* Cui tamen addunt. *Custodes in absentia Ministrorum posse recipere ad societatem Fratrum, Ministri verò cum venerint, ad obedientiam.* At Hugo de Dina propter periculum absentiæ Prouincialium, putat non tam strictè reseruari Prouincialibus, quin in eorum absentia Custodes & alij Superiores recipere possint. *Nisi* (inquit) *prohibeatur.* In quibus verbis agnoscit id fieri à Guardianis & Custodibus velut Epikeiam & interpretatiuam commissionem.

CONCLVSIO II.

EX communi Ordinis consuetudine, statutis & concessionibus, Guardiani omnes in quorum Conuentibus sunt Nouitij, possunt illos recipere ad Professionem. Ita expressè statuta Barchinonensia recognita c. 2. §. 14. Ratio est, quia qui dat licentiam vt habitus probationis concedatur, censetur consentire in professionem si idoneus reperiatur. *Hoc tamen notetur* (ait Corduba hoc loco) *quod si per alios quam per Ministros Generales, Prouinciales, sine eorum licentia*

licentia tacita vel expressa seu sine eorum auctoritate saltem implicita quis recipiatur ad Professionem, talis Professio non est valida saltem in foro Ecclesiæ, vt videre est apud Summistas, verbo Religio, & recipientes peccant, & secundum ius debent puniri. Hæc Corduba.

Dices. Regulæ verba nemini reseruant, sed simpliciter dicit *Recipiantur.* Respondeo verbum *Recipiantur* debere referri ad Ministros, de quibus solis facta est mentio in isto capite, in ordine ad Receptionem Nouitiorum.

QVÆSTIO III.

Quid iuris habeat Conuentus Fratrum siue Fratres in Conuentu Nouitiatus ad receptionem Nouitiorum.

CONCLVSIO I.

FRatres nullum habent ius ad receptionem Nouitiorum ad Professionem. Ratio est quia Professio siue receptio pertinet ad Ministros iure ordinario, & ex delegatione tacita ad Guardianos, consuetudine sic legem interpretante.

CONCLVSIO II.

EX statutis Ordinis Fratris habent iudicium de idoneitate Nouitiorum, iuxta

quod ſuffragium tenentur ferre, vt ad profeſſionem admittantur vel remittantur. *Patet ex ſtatutis Barchinonenſibus recognitis c. 1. §. 21. & praxis communis ſic ſe habet.*

Ex quo infero 1. Fratres teneri ſub peccato mortali ſuffragium ferre pro Nouitio, ſi alias idoneus iudicetur nec habeant iuſtam cauſam denegandi. *Ita habet expreſſè Expoſitio breuis Sanctorum Patrum vbi ad hæc verba. Recipiantur ad obedientiam: Præceptum eſt* (inquiunt) *quod recepti ad Nouitiatum ſi ſint idonei, non repellantur odio vel amore, vel malitia retardentur.*

Infero 2. Similiter peccare mortaliter eos qui certò iudicatum non idoneum ſiue ineptum, admittunt. Ratio eſt quia Ordinem in re graui iniuſtè onerant.

Infero 3. Miniſtrum Prouincialem ſi certò aduertat monopolia aliqua iniuſta, ſiue pro Nouitio ſiue aduerſus Nouitium, poſſe de ordinaria ſua poteſtate prout iudicauerit prouidere. Ratio eſt: quia ipſius eſt ex Regula ad profeſſionem admittere, ergò & remittere, & quod amplius eſt de examine ad Profeſſionem, vt benè fiat prouidere. *Hoc indicant ſtatuta Barchinonenſia recognita c. 1. §. 12. n. 4. vbi ſic legitur: Ante vltimum examen ſiue receptionem Nouitij conuocet Pater Guardianus diſcretos Conuentus, & con-*

consulant seriò super Nouitij receptione, & si non omnes consentiant vt recipiatur statim, remittat Pater Guardianus causam ad iudicium Ministri. Hæc ibi. Quæ remissio ad iudiciũ Ministri vix intelligi aliter potest, quam vt discretis iam in diuersa abeuntibus, ipse prouideat de communitatis debita suffragatione.

Infero 4. Suffragia Fratrum potius dari super idoneitate quam super receptione. Vnde & in Congregatione Generali Segouiensi anno 1621. sententia erat doctissimorum Patrum quod admissum à maxima parte Fratrum Nouitium, Prouincialis possit ad sæculum remittere si alias iudicet ineptum.

QVÆSTIO IV.

An annus probationis debeat esse finitus quoad horam.

CONCLVSIO I.

EX natura verborum Regulæ non necessariò debet esse annus finitus in momentis & horis, sed sufficit vt dies anniuersaria recurrat. Ex. gr. Non est necessarium vt præcisè qui Anno 1628. die 27. Septembris, hora 12. meridiana habitum as-

assumpsit, anno 1629. die 27. eadem hora 12. completa profiteatur, sed potest ista die anniuersaria hora 11. profiteri. Ratio est quia in re morali indiuisibilia aut momenta physica, artificialia siue etiam arithmetica, quærenda non sunt, nec verisimiliter à Regulæ Fundatore sunt quæsita. Alias omnes Professiones antè aliquot annos emissæ in his Prouinciis Belgicis dubiæ essent, cum consueuerint fieri die anniuersaria. Quis enim dicat vltimam horam vel horæ momentũ expectatum fuisse: maximè cum frequenter horâ prandij in Capitulo Fratrum Nouitij habitum sumerent, & anno sequenti die anniuersaria sub summa Missa profiterentur. Quis asserat etiam horâ expectatâ horologia æquali gressu & gradu vtroque anno processisse, imò cum quilibet annus vltrà suos dies 6. horas habeat & aliquot momenta ex quibus bissextilis annus die vno addito componitur, semper sex horis Professio differri debuisset quod nusquam factum esse; est compertum plus satis. Sic mille scrupuli & difficultates sine modo nascerentur. Cum igitur in moralibus quod parum distat nihil distare videatur, opinarer ex vi Regulæ, finem anni moraliter accipiendum, nimirum vt professio die anniuersaria receptionis

ptionis habitus fieri possit. Quamuis plurimi huic Conclusioni contradicant. Consule verò pro pleniori huius nostræ opinionis intellectu quæ habet *Emanuel Roderiguez t.3.q.15.a.4.& 5.* Vbi ex variis legibus probat 1. in fauoralibus hos terminos mathematicos non requiri, secus in odiosis, Professionem verò Religiosam esse in materia fauorabili. 2. Generaliter ostendit annum probationis non debere esse annum solarem & naturalem, qui necessario requirat 365. dies & sex horas, sed tantum debere esse annum ciuilem siue politicum à Republica ita designatum, qui à die ad diem anniuersariam voluitur, non habita ratione horarum & momentorum.

CONCLVSIO II.

AD euitandas difficultates, nouissimè in statutis Barchinonensibus Segouiæ recognitis *c.1.§. 11.n. 3.* cautum est vt in familia Cismontana Fratrum Minorum de Obseruantia professiones Nouitiorum non fiant, nisi saltem die sequente anniuersarium, vt si Nouitius habitum receperit die 4. Octobris sequenti anno emittat professionem die 5. Dixi (ad difficultates euitandas) quia ex natura rei tenet professio simpliciter facta anniuersaria die.

QVÆSTIO V.

Vtrum Professio possit differri vltrà, vel accelerari citrà annum probationis.

CONCLVSIO I.

NOuitiorum professio ex causa rationabili aliquantum potest differri vltrà annum probationis. Ratio est quia non est contrà Regulam; qui enim finito anno dicit recipi debere, tantum intendit dicere vt antè annum omninò finitum non recipiatur, nec post annum finitum irrationabiliter producatur..

CONCLVSIO II.

PRofessio Nouitiorum antè finitum annum non potest simpliciter fieri. Est Concilij Tridentini & Regulæ: ità vt antè finitum annum non sit valida. Dixi (simpliciter) propter nonnulla priuilegia quibus ad consolationem animarum permittitur, vt qui durante Nouitiatu extremè decumbunt, professionem emittant, sed illa conditionalis est, & si tunc Nouitius non decedat, non tenet, nisi finito anno probationis omninò repetatur.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

An teneatur Nouitius promittere vitam istam semper & Regulam obseruare.

CONCLVSIO

Nouitius si verus Frater Minor velit esse, tenetur simpliciter, sine adiecto, & priuilegio, vitam istam & Regulam promittere. *Vide quæ diximus in Quæstionibus Proœmialibus.* Vbi & docuimus nec ignorantiam posse suffragari, nec vllum modò Priuilegium in Familia Obseruantiæ Regularis contrà puritatem Regulæ patrocinari posse.

TEXTVS X.

Et nullo modo licebit eis de ista Religione exire iuxtà mandatum Domini Papæ, quia secundum Sanctum Euangelium, nemo mittens manum ad aratrum & aspiciens retrò aptus est regno Dei.

QVÆSTIO VII.

An Professi de ista Religione exire possint.

CONCLVSIO.

Professi Regulam Fratrum Minorum duplici iure prohibentur exire. Primò

vi voti & Regulæ. Secundò iure Pontificio siue mandato Pontificis. Plura porrò habét S. Bonauentura & alij Expositores de iis qui ad Episcopatus assumuntur, Item de Incorrigibilium expulsione, quæ quia non Regulam sed ius commune tangunt, lubens prætereo, ne hæc expositio in immensum excrescat.

TEXTVS XI.

Et illi qui iam promiserunt obedientiam habeant vnam tunicam cum caputio, & aliam sine caputio qui voluerint habere.

TITVLVS III.

De vestimentis Professorum.

QVÆSTIO I.

Quid intelligatur per vnam tunicam cum Caputio, & aliam sine Caputio.

CONCLVSIO.

TVnica cum Capucio supponit pro habitu externo cui respondet Capucium; tunica sine capucio pro tunicâ inferiori, seu quæ sub externo habitu gesta-

ri

ri poteſt. Ità Sanctus Bonauentura in hunc textum. Qui idem ferè eodem modo exponit in eodem cap. cum agit de Tunicis nouitiorum. Vndè & 4. Magiſtri. *Habere duas tunicas & non plures, regularis eſt formæ, plures verò duobus, diſpenſationis eſt Regulæ, auctoritate eorum quibus eſt commiſſa cura Fratrum.*

Idem ferè eiſdem verbis repetunt Hugo de Dina, Piſanus, Expoſitio Sanctorum Patrum, ac Serena conſcientia.

Petes: An tunica Profeſſorum cum Capucio requirat neceſſario Capucium ſibi aſſutum? Reſpondeo. 1. Ex vi verborum Regulæ neceſſariò non requirere quia nullum eſt verbum quod illud apertè inſinuet. Geſtare enim tunicam vnam cum capucio, nihil eſt quam ſimul cum tunica habere capucium, ſi non aſſutum ſaltem moraliter annexum, vt forma quidem artificialis habitus, quæ ex naturâ ſuâ requirit aliquam coniunctionem, ſed non neceſſariò per aliquam vnionem ſiue realem connexionem. Reſpondeo. 2. Antiquam laudabilem & ſanctam conſuetudinem Ordinis ab initio fuiſſe vſque ad relaxatorum tempora, vt Capucium tunicæ primæ aſſueretur. Et ita probat ea quæ ſupra de diſtinctione Capucij Profeſſorum à Caparone Nouitiorũ

per aſſuturam retulimus: eſtque res clara ante tempus quo Maſoretta vel Moſetta noſtro Capucio adiuncta fuit, tunc enim non poterat càpucium non aſſui, niſi inhoneſta appareret nuditas pectoris. Credo itaque iſtam laudabilem conſuetudinem vbique reſtituendam vt ſaltem aliquo nexu Capucium tunicæ iungatur: etſi enim talis coniunctio ſiue nexus Capucij ad peccatum non obliget, laudabilem tamen & antiquam hanc conſuetudinem Religionis præuaricari indiſciplinati eſt animi.

Aliqui hic neceſſitatem aſſuturæ voluerunt probare ex eo quod dicat Regula: *Habeant vnam tunicam cum Capucio*: vim facientes in præpoſitione(*Cum*) quaſi aſſuturam indicaret. Verum hoc nimis quæſitum eſt: Nam & in Teſtamento dicitur. *Eramus contenti vna tunica, &c.* Cum cingulo & *braccis*: nemo tamen tunicam cum cingulo & braccis congruè aſſuendam aſſerat.

QVÆSTIO II.

An Liceat omni tempore has duas tunicas portare.

RAtio dubitandi eſt: quia Sanctus Franciſcus in Teſtamento dicit. *Et eramus contenti vna tunica intus, & foris repetiata*

tiata, cum cingulo & braccis, & nolebamus plus habere. Et Hugo de Dina narrans consuetudinem antiquorum Fratrum initio Ordinis qui vnâ tantum tunica vtebantur: *In subsidium* (inquit) *penuriæ tunicarum quas antiqui Fratres propter paupertatem & Euangelij formam simplicius intellectam multiplicare nolebant, vna sæpius tunica intus & foris repetiata contenti erant. Hac Sanctus Consuetudine vsus fuit, &c.*

CONCLVSIO I.

SAnctum & pium vna tunica cum Capucio contentum esse: Hoc declarant Regulæ verba: *Habeant alteram sine Capucio qui voluerint habere.* Et in testamento S. Patris in quibusdam exemplaribus legitur. *Et eramus contenti vna tunica intus & foris repetiata qui volebant.* Quibus verbis indicatur libertas ad hanc sanctam penuriam: Et hoc solum concludunt rationes, dubitandi: Sanctos scilicet Patres pro sua deuotione contentos fuisse vt plurimum vna tunica, ij nimirum qui robore corporis illam penuriam ferre poterant.

CONCLVSIO II.

OMni tempore licet Fratribus duabus tunicis vti, altera cum capucio, altera sine capucio. Hoc clarè Regula indicat,

& Expoſitores omnes citati præcedenti Quæſtione.

Dices: Euangelium prohibet duas tunicas habere. Reſpondet Hugo de Dina, prohibere tantum mutatorias: *Neceſsitati* (inquit) *conſulitur duplicibns ſeu mutatoriis derelictis, quæ Apoſtolis duarum nomine Tunicarum Dominus interdicit.*

ABVSVS.

VNde peccant contrà regulam qui ſic duos habitus habent vt pro ſola commoditate vnum de die, alterum de nocte induant: vnum in Feſtis, alterum in ferialibus, vnum in cubiculo, alterum quandò debent in publico comparere.

QVÆSTIO III.

An Fratres numquam poßint plures duabus tunicas habere.

CONCLVSIO.

POſſunt Fratres ex diſpoſitione Miniſtrorum vbi neceſſitas vel cauſa legitima requirit plures duabus tunicas habere & eis vti. *Ita 4. Magiſtri ſuprà cum cæteris expoſitoribus ibidem allegatis. Plures* (inquiunt) *duabus tunicas habere diſpenſationis eſt Regulæ, aucto-*

auctoritate eorum quibus est commissa cura Fratrum.

Et hunc articulum expressis terminis definiuit Nicolaus 3. *a.* 4. *Declaramus* (inquit) *quod possint Fratres de licentia Ministrorum Prouincialium & Custodum, coniunctim, & diuisim in administrationibus sibi commissis, cum eis videbitur, pensatis necessitatibus & aliis circumstantiis, quæ secundum Deum & conscientiam attendenda videbuntur, vti pluribus, nec per hoc videantur à Regula deuiare, cum in ipsa dicatur expressè, quod Ministri & Custodes de infirmorum necessitatibus & fratribus induendis sollicitam curam gerant secundum loca & tempora & frigidas regiones, &c.* Idem ratificauit Clemens V. in sua declaratione.

ABVSVS.

Videat Superior nè ad solam commoditatem & sensualitatem plures tunicas indulgeat: sed necessitatem & circumstantias, non secundum hominem tantum, sed secundum Deum, & conscientiam attendat, si peccatum vitare velit.

Vide & tu Relaxate Frater, nè sinè licentia pluribus tunicis vtaris, aut nè licentiæ tuam sensualitatem sub colore necessitatis supponas.

Petes

Petes quæ censeatur necessitas sufficiens ad dispensandum in pluralitate tunicarum aut etiam mutatoriis. Respondeo, Infirmitatem Fratris, frigoris acerbitatem & intollerantiam, debilitatem & senectutem, imò interdum necessariam honestatem, maximè vbi Fratres sordidis quibusdam laboribus implicari debent, quos sine mutatoriis non nisi magna inhonestate adimplere possent: Quod Superioris iudicio relinquendum.

QVÆSTIO IV.

An præter duas tunicas licitus sit Fratribus Minoribus vsus mantelli.

FInxerunt quidam mantellum habere rationem tunicæ secundæ quæ est sine capucio; adeòque non licere eo cum duabus tunicis vti.

CONCLVSIO I.

MAntellus non habet vllam rationem tunicæ, vndè nec debet, nec potest nomine tunicæ intelligi. Ratio est, quia hoc est manifestam ponere Glossam in Regulà contrà intentionem Sancti Patris. Imò contraria sentẽtia S. Patrem arguere mendacij conuincitur: cum enim in Testamento

to ſuo dicat, quod eſſet *contentus vna tunica intus & foris repetiata cum cingulo & braccis, & nollet plus habere*: ſi mantellus debeat aut poſſit pro altera tunica ſumi, cum S. Pater mantellum geſtauerit, iam non vna tunica contentus fuit, ſed ſecundam portauit.

CONCLVSIO II.

Licitum eſt cum duabus tunicis omni tempore mantellum portare. Ratio eſt quia mantellus inter tunicas vel habitum non reputatur, eò quod amictus ſit dumtaxat honeſtatis, qui pro libitu ponitur & deponitur: adeòque nec Sanctus Franciſcus mantellum inter habitum reputauit, ſed ſe vna tunica contentum fuiſſe & nihil amplius voluiſſe habere aſſeuerauit. Porrò conſuetudo laudabilis à principio Ordinis fuit mantellum geſtandi, vt ex Chronicis conſtat, ſiue ad honeſtatem, ſiue ad arcendam pluuiam. Laudabilis verò eorum ſine dubio paupertas, qui vbi neceſſitas non vrget, vna tunica contenti mantello velut in ſupplementum vtuntur: Nam ſicut dicit Hugo de Dina hic: *Ex petiis mantellos, paupertatis vſus & neceßitas adinuenit, in ſubſidium tunicarum, quas antiqui Fratres propter paupertatem & Euangelij formam ſimplicius*

plicius intellectam multiplicare nolebant. Hæc Hugo.

Igitur portare duas tunicas cum mantello licitus vſus eſt, mantellum cum vnica tunica imitationis vitæ SS. Patrum: nullum mantellum penuriæ, & ſimplicitatis, ſi vnica ſola tunica aliquis ſit contentus. Nec mantelli antiquitus ab omnibus geſtabantur, ſed fortè tantum ab iis qui foris egredi cogebantur.

QVÆSTIO V.

An Fratres poßint licitè vti camiſeis lineis, vel ſtamineis.

CONCLVSIO I.

CAmiſeæ lineæ prohibitæ ſunt Fratribus Minoribus non ſolum ex Regula, ſed etiam ex iure communi. Prior pars patet quia vltrà duas tunicas camiſeæ lineæ ſuperfluunt, nec tunicarum ratione camiſeæ lineæ vllatenus ſupplere poſſunt, quia tunicæ ex panno neceſſariò ſunt: quod expreſſè declaratur in habitibus Nouitiorum qui panni probationis dicuntur, fruſtrà enim Nouitij in pannis probarentur ſi profeſſi panno veſtiri non deberent.

Poſterior pars habetur *Extra de ſtatu Mo-*

Monachorum c. cum ad Monasterium, vbi cuicumque Religioso prohibetur ad carnem portare camisias lineas.

ABVSVS.

PEccat itaque Frater Minor mortaliter, qui sine dispẽsatione camisiam lineam ad carnem gestat. Nec minùs qui truncatis manicis camiseæ, toto corpore subtus lino vestitur. Delitias enim lini aspernari debet,cui pro tegumento corporis solus pannus in tunicis est concessus. Vndè nimis generaliter Iacobus de Graffiis asseruit, Religiosos non nisi venialiter peccare qui camisias lineas gestarent, etsi enim hoc de aliis asserere potuit, Fratres tamen Minores, quibus ex Regula prohibetur ab hac Licentiosa sententia excipere iustum fuit.

CONCLVSIO II.

CAmisias stamineas aut laneas absque dispensatione & necessitate licitè ferre Frater Minor non potest. Ratio est quia etsi de lana & panno essent, vltrà duas tamen tunicas superfluunt, & consequenter dispensationem requirunt iuxtà necessitatis apices & modos. Hæc omnia expressis terminis Fratribus Minoribus prohibuit Vrbanus VIII. in decreto quod ad verbũ inseruimus tit. 1. Proemiali q. 7.

ABVSVS.

CAueant igitur qui interulis laneis & id genus veſtimentis vtuntur ſine legitima diſpenſatione.

QVÆSTIO VI.

An liceat Fratribus Minoribus duplicia caputia, galeros, & id genus tegumenta geſtare?

CONCLVSIO I.

REgula præciſè duplicia caputia aut galeros non agnouit. Patet ex ipſis verbis in quibus vltrà tunicas, braccarum tantum, & chordæ mentionem facit, & vni tunicæ vnum tantum caputium adnectit.

CONCLVSIO II.

LIcet & galeros, & duplicia caputia in itineribus geſtare, ad propulſandas aëris incommoditates. Ratio eſt, quia iſta inter veſtimenta non computantur, ſed tantũ inter itinerantium communia remedia, vnde & ſine diſpenſatione feruntur, & in voluntate Fratrum eſt eis vti vel non vti.

Aduerte igitur nihil perfectionis eſſe ſiue

ſiue caputium ſecundum quis ferat, ſiue galerum, quamuis prius fortè ſimplicius, quia galerus ad communem ſæcularium morem accedit, niſi quod ſecundum caputium cappis aut cappotis nobilium ſit affinius, & aliquando maioris pretij quam galerus, & veſtimentũ duplicatum, cum Regula vnum caputium vni tunicæ tantum aſſignet. *Antiquus certè modus* (inquit ex Neotericis Rouſſerius) *Ordinis fuit, vt pileis laneis non curioſis ſed religioſis & ſanctæ paupertati conſentaneis vterentur*: Hæc ille.

Quidquid verò de antiquitate conſuetudinis ſit geſtandi caputium ſecundum, vel galerũ, ſicut neutrum contrà Regulam eſt, ſic neutrum religioſæ honeſtati derogat ſi curioſitas omnis abſit: vtrumque autem neceſſitati deſeruit. Caueant tamen qui in caputiis vanitatem, & in galeris curioſitatem fouent. Caueant inſuper qui bireta & almutias introduxerunt, quia (vt inquit Hugo de Dina) *S. Franciſcus dictas vt ferunt almutias nullatenus extrà caputium publicè ferri ſinebat: Aliàs Almutiæ oſtentatio, ſignare faſtum vel impudentiam ſolet*. Pondera verba.

QVÆSTIO VII.

Ad quam formam vel figuram habitus Fratres Minores obligentur.

PLures (eheu) modò Quæſtiones de figura caputij quam de forma regulariter viuendi: nec huius diſputationis terminus eſſe poteſt, vbi opinionis & diuerſa ſentiendi terminus deeſt. Dicam vero breuiter quod ſentio.

CONCLVSIO I.

NEc Regula Fratrum Minorum, nec declarationes Pontificum, nec certa Ordinis traditio ab antiquo, formam aut figuram habitus ſiue caputij Fratrum Minorum expreſsè tradiderunt. Patet concluſio legenti tum Regulam, tum Declarationes. Inconſtans etiam eſt traditio ex hiſtoriis Ordinis eruta: quamuis enim caputium Sancti Franciſci aliquantulum acuminatum velut ex quadrato puluinari reſultans, probent caputia quæ viſuntur in Italia, & quæ in picturis antiquis repræſentantur, non vnius tamen modi omnia caputia ſunt, nec oblongam illam pyramidem etiam ex dimidio oſtendunt, quam aſſertores habitus S. Franciſci Cappucini geſtant.

CON-

CONCLVSIO II.

PRO qualitate habitus Regula ſolius vilitatis meminit. Hoc iterum clarum eſt ex textu.

CONCLVSIO III.

ILla eſt vera forma & figura habitus Fratrum Minorum, quæ per Eccleſiam Romanam pro Ordine eſt approbata, ſiue illa fuerit talis à principio ſiue non. Ratio eſt quia eſt S. Sedis reſoluere dubia Regulæ, & quæ ex Regula minus conſtant pro bono Religionis firmiter inſtituere & ordinare.

CONCLVSIO IV.

FIgura habitus & caputij qua modò vtitur communiter Regularis Obſeruantia, eſt ab Eccleſia ſiue à ſummo Pontifice ordinata & approbata. *Patet ex Bulla Ioannis* **22.** *data Auinione, Pontificatus ſui anno* **2.** *& incipit: Quorumdam exigit*, in qua Pontifex volens imponere finem multis altercationibus de forma, figura, longitudine, latitudine, groſſitie tunicarum, & caputiorum, declarat figuram & formam determinatam à Patribus Generali Miniſtro & Prouincialibus eſſe ſeruandam vt habitum Ordinis, præcipiens in virtute S. Obedientiæ, & ſub pœna excommunicationis omnibus vt illum deferant, & alios qui ad

instar non sunt, deponant. Hanc porrò esse formam quam modò tota Regularis Obseruantia defert, patet ex antiquissimis ad illa vsque tempora Constitutionibus. Quam etiam formam habitus reducit ad tempora S. Bonauenturæ R.P. Lucas Wadingus in suis Annalibus ad annum Christi 1260. Religionis annum 53. ipsumque S. Bonauenturam ex diuersorũ Auctorum testimonio, formæ habitus qua nunc vtimur facit institutorẽ quoad caputij figurã, & eius orbicularitatem ad modum colaris. Quod etsi ita esse potuerit, à Ioanne tamen XXII. forma prædicta vniuersaliter pro toto Ordine est approbata & vniuerso Ordini demandata.

Dices. Illa videtur esse magis congrua forma habitus & caputij quam Sanctus Franciscus & primi Patres portauerunt.

Respondeo tantam fuisse ante illa tempora inconstantiam in figura, & forma habitus, vt Pontifex ipse in re ista ad solam Regulam recurrat *in qua* (vt inquit) *nihil est determinatum*: vndè verisimile est cum non esset tanta circà figuram caputij cura, nihil fuisse omninò stabile.

Sanè P. Lucas Wadingus in Annalibus suis ad annum 1208. n. 7. ex antiqua Legenda & Petro Rodolphio, ac B. Angelo Cla-

Clareno, ante trecentos annos Auctore vetusto, docet: Tunicam S. Francisci fuisse cinerei & pallidi coloris, cuius longitudo terram non attingebat (maximè succincta) eius grossitiei quod corpus foueret, & posset sano Fratri vna tunica sufficere: Longitudo manicarum ad extremas digitorum partes perueniebat non excedebat, latitudo tanta erat vt manus liberè, & intrare, & exire possent: Caputium quadrum, & tantæ longitudinis, quod faciem operiret. Hæc ex illis Authoribus qui ferè in omnibus conueniunt. Et hanc referunt formam habitus qui ostenduntur provt ego vidi.

Narrat porrò P. Lucas Wadingus suprà n. 5. R. Patrem Antonium Daça, nuper Romanæ Curiæ Commissarium, extractum ex arca crystallina, in qua asseruatur Florentiæ in Hetruria, habitum S. Patris, quo indutus sacra stigmata recepit, considerasse attentius: totum verò (ait) habitum tam in qualitate panni quam in forma & figura omnino correspondere ei quem gestant communiter Fratres Regularis Obseruantiæ ex (Sayal) siue panno rigato vel cordato, excepto quod manicæ à cubito ad corpus latiores sint. Quod spectat verò ad caputium, illud fuisse qua-

dratum abſque illa orbiculari parte ad pectus pendente (quam Maſorettam Itali vocant) ità vt ſi caputium diſſuas ab habitu & plices duangulum faciat, cuius angulus à parte poſteriori acutior erit.

Itaque hæc eſt figura communior habitus S. Franciſci, quamuis nec in habitibus omnimodam ſemper proportionem aut vniformitatem ſeruauerit. Ad quam & nos & Patres Cappucini quoad rationem tunicæ omninò accedimus. A Caputio verò diſtamus iſta orbiculari dependentia antè pectus, & poſt ſcapulas acuminata: Patres Cappucini verò per ablationem iſtius orbicularitatis magis acceſſerunt, ſed in oblonga illa pyramide exceſſerunt. Vtrúmque verò modum caputiorum approbat Eccleſia pro Regulari Obſeruantia & congregatione Fratrum Cappucinorum reſpectiuè. Diſputatio itaque tota de lana caprina eſt, ignoſcat mihi (Lector) & hanc temporis iacturam.

TEX-

TEXTVS XII.

Et qui neceßitate cogantur poßint portare Calceamenta.

QVÆSTIO VIII.

Quid nomine Calceamentorum in Regulâ intelligatur?

CONCLVSIO.

NOmine calceamentorum in primariâ ſignificatione intelliguntur conſueta pedum operimenta de corio: Ita Hugo cum 4. Magiſtris.

Dixi (in primaria ſignificatione) quia nomini calceamenti vſu venit vt intelligatur quid quid operit pedes, vt ſutônes de panno, & alia id genus, quæ & ſi non tam rigoroſè prohibeantur, extrà caſum tamen neceſſitatis ſine diſpenſatione portari non poſſunt.

QVÆSTIO IX.

An Caligæ Truncatæ nomine Calceamentorum prohibeantur?

CONCLVSIO.

CAligæ truncatæ non prohibentur nomine calceamentorum. Ita 4. Magi-

ſtri, Hugo de Dina, & Serena conſcientia. *Nec caligæ* (aiunt) *truncatæ inter calceamenta reputari videntur*. Quæ verba indicant etiam iſto tempore qui erat Chriſti annus 1242, & Religionis 35. quando 4 Magiſtri in Regulam ſcripſerunt, nimirum F. Alexander Alenſis, F. Ioannes de Rupella, F. Robertus de Baſtia, & F. Richardus ſiue Rigandus, patet (inquam) tunc temporis iam pridem aliquos Fratres conſueuiſſe caligas truncatas portare.

QVÆSTIO X.

An ſandalia inter Calceamenta prohibeantur?

CONCLVSIO.

SAndalia inter calceamenta nec ſunt nec reputantur. Rationem adferunt omnes Antiqui expoſitores ex Apoſtolorum facto, qui & ſi abſque calceamentis mittantur ad Euangelij prædicationem, iubentur tamen ſandaliis vti. Marci 6. vbi mittit, *Calceatos ſandaliis*. Lege Hugonem de Dina, S. Bonauenturam qui latius de calceamentis & Apoſtolorum ſandaliis loquuntur. Ego verò quod ad naturam rei ſpectat, ex ipſa ſandaliorum forma demonſtro inter cal-

calceamenta reputari non debere, neque enim pedem vllo modo cooperiunt sed tantum plantæ tabellam supponunt, quæ siue sit ex corio, siue ligno, siue altera materia parum refert, cum pes super aliquo calcare debeat, adhibeaturque magis ad remouendam iniuriam læsionis quam ad pedis aliquod operimentum. Vnde superstitiosum iudico disputare de calepodiis ligneis, aut ex corio, in ratione calceamenti. Item de ratione talorum aut corrigiarum in sandaliis cum illa ad continendum firmiter pedem tantum pertineant. Imò Hugo de Dina soleas inter calceamenta non reputat, quas putamus etiam fuisse calceos duplici aperturâ latâ superius apertos, ita vt pes ferè totus pateret, quales in antiquis picturis visuntur.

QVÆSTIO XI.

Quid sit portare Calceamenta?

CONCLVSIO.

PORTARE Calceamenta propriè dicit vsum. Ita Hugo de Dina. *Consueta* (ait) *pedum operimenta de corio videntur propriè calceamenta vocari, & portatio vsum dicit.*

Ex quo infero per vnum aut alterum diem velut per accidens calceari, item ad Missam

Miſſam celebrandam, item ad pedes ex ſiccandos vel reſtaurandos poſt iter crepidis aut ſimilibus vti, non eſſe propriè vſum habere Calceamentorum, nec per Regulam prohiberi.

QVÆSTIO XII.

Quæ neceſſitas requiratur vt Calceamenta portentur?

CONCLVSIO.

NEceſſitatem deſcribit Hugo de Dina: *Cogens* (ait) *neceſſitas eſt, quam non carnis prudentia, ſed rationabilis, & vrgens conciliat cauſa, vt quando debitum impeditur officium, vel ſpirituale aut temporale timetur diſpendium.* Hæc ibi.

Quia vero neceſſitas reſpicit perſonam, ſimul & cauſam, valdè prudenter diuerſa neceſſitatis obiecta eodem capite enumerat poſt 4. Magiſtros: *Nota* (inquit) *neceſſitas non determinatur vno modo ſed pluribus: aliquando enim determinatur ſecundum perſonæ ſtatum, quia debilis vel infirma: aliquandò ſecundùm tempus, quia vehemens frigus: aliquandò ſecundum locum, quià nudis pedibus ſine detrimento tranſiri non poteſt:* aliquandò *ſecundum iter vel officium iniunctum, quod non poſſet*

nudis

nudis pedibus, sine personæ detrimento, vel causæ propter quam iniunctum est perfici. Hæc iterum Hugo, qui fere omnes causas paucis complexus est, & ad quas cæteræ reduci possunt Qui tamen amplius monet: *Multa* (inquit) *debent potius negligi, vel differri, quam Regulæ ab Antiquis mira districtione seruata sine causa euidenti laxari, cum minus aliquando ædificet prædicationis verbum, vbi deest vitæ regularis exemplum:* Hæc Hugo.

Aduerte hic nonnullos ex erroneis impressionibus Cordubæ voluisse tumorē pedum non esse causam sufficientem ad calceamenta portanda quia in antiquæ impressionis Louaniensis textu legitur: Nec superfluus tumor quibus dicendum est (superfluum tumorem) poni pro (superfluo timore) ideò vide & caue errorem, & corrige illum iuxta textum Vbertini in Serena conscientia q. 35. ad finem.

CAVTELÆ ET PRAXES.

PRima: Qui despensat aduertat illam necessitatem prout est descripta, habita ratione personæ & causæ. Secunda: vbi causa rationabilis suppetit, non sit nimis scrupulosus, sed charitatiuus.

Tertia: Qui dispensatur in necessitate rationabili, non sit etiam nimis scrupulosus

sed

ſed ſtet iudicio ſuperiorum. Vnde Hugo: *Vbi cogit neceßitas non minus calceatus quam diſcalceatus ſeruat regulam. Quidam in niue & glacie perdurantes grauia incurrunt incommoda: melius eſt beneficium Regulæ cum humilitate recipere, quam periculum ex ſuperſtitione incurrere. Semper tamen ſtudendum eſt, vt indigentiam comitetur modeſtia, & honeſtas.*

Quarta: Qui diſpenſatur *caueat* (vt ait Hugo) *ne ex indulgentia faciat vſum.* id eſt, vt quia vno tempore indiget & indulgetur omni tempore vtatur, & quia hoc anno vel hyeme fuit ei neceſſarium vti calceamentis, inde ſibi conſequentiam faciat ſemper vtendi. Qui enim hodie infirmatur cras firmior eſſe poteſt, & qui hac hyeme coactus fuit calceamenta portare, ſequenti poteſt nudis pedibus ambulare.

Quinta: Vbi calceamenta indulgentur ſeruetur honeſtas & modeſtia, ita vt quantum cauſa propter quam indulgentur patitur, non publicetur. Clarè & præclarè Hugo: *Attende* (ait) *quod talia ſi quandò indulgentur, cum fieri poteſt, celanda ſunt: ne vitæ formam omni Religioſo ſtudioſè ſeruandam, publicata deforment; & materiam indiſcretis iudicandi miniſtrent. Irregulare aliquod quandoque habetur, ſed non publicatur honeſtè.* Hæc ille. Ex quo patet quod non ſit hypocriſis

ſed modeſtiæ & honeſtatis ſi quis aliquando in cubiculo & non per Conuentum, domi & non foris, per campos & non per ciuitates calceamenta in neceſſitate portet, ſeruans propter indiſcretos diſcretionem.

Reprehendit tamen Hugo de Dina nonnullos qui cum ſint in veſtibus & calceamentis completi, alios Fratres iuxtà Regulā in nuditate & penuria ambulantes quaſi inhoneſtos & irreligioſos deſpiciunt: *Nulla*(ait) *maior honeſtas quam Chriſtū & eius Apoſtolos imitari: Paupertatis & humilitatis honeſtas, per quam ſanctiſſimè & nudè nudo ac pauperi Chriſto ſeruitur, quantalibet veſtium & calceamentorum honeſtati præfertur.* Hæc Hugo.

QVÆSTIO XIII.

Cuius ſit in calceamentis diſpenſare?

SVperiorum tantum eſt in calceamentis diſpenſare vbi eorum præſentia commodè haberi poteſt. Ità Clemens V. *Quorum etiam* (inquit) *Miniſtrorum, Cuſtodum & Guardianorum iudicio eodem modo relinquimus* (*eorum conſcientias ſuper hoc onerantes*)*pro qua neceſſitate poſſint Fratres calceamenta portare.*

Dixi (vbi præſentia eorum commodè haberi poteſt): vbi enim haberi commodè

non

non poteſt, vt in itinere vel quia abſunt, ſufficit ex natura rei cognita rationabilis neceſſitas. Diſpenſatio enim huiuſmodi neceſſitatis, potius declaratio nominanda eſt quam diſpenſatio.

QVÆSTIO XIV.

An æqualis diſpenſatio requiratur in omnibus quæ vel calceamenta ſunt, vel ad calceamenti rationem accedunt.

CONCLVSIO II.

NOn requiritur in omnibus æqualis diſpenſatio ſed quo magis ad calceamenti rationem accedunt, vel recedunt, maior vel minor.

Ità paſſim 4. Expoſitores, Hugo de Dina, Serena conſcientia & alij. Diſtinguunt porrò diſpenſationem in maximam, maiorem, minimam. Minimam ponunt vt in ſoleis, aut etiam caligis truncatis. Vndè & Corduba. *Caligæ* (inquit) *truncatæ, quæ non operiunt pedes, ſed crura tantum à poplite vſque ad genua, ſine diſpenſatione aliquali, licet minori, non portantur. Et quidem propter honeſtatem videtur quod deberent portari, quodque honeſtas eſt cauſa ſufficiens ad talia diſpenſatiuè portandum, & ſi ſit diſpenſatio generalis ſiue implicita.* Hæc Corduba.

Ex

Ex quibus verbis colligo primò illam diſpenſationem dici minimam quæ ferè implicita eſt, ita vix requiratur expreſſa licentia, vbi ratio ſubeſt talibus vtendi.

Secundò: Honeſtatem eſſe cauſam ſufficientem, vtpotè ne tempore pluuioſo aut loco lutoſo tibiæ diſcoopertæ contra honeſtatem appareant, in quo caſu credit Corduba, debere portari, niſi aliundè nuditati ſit benè prouiſum.

Maiorem iterum diſpenſationem ponunt in ſutonibus & ſoccis panneis, quæ totum pedem ambiunt, in quibus ſine dubiò explicita diſpenſatio & neceſſitas requiritur, qualis & in ſoleis.

Maximam autem in calceis ponunt quia illi propriſſimè nomine calceamentorum intelliguntur. A quibus non differunt qui ridiculè calceos vno paruo foramine deſuper gerunt.

CAVTELÆ ET PRAXES.

CVi igitur diſpenſatur attendat vt juxtà qualitatem neceſſitatis his diſpenſationibus gradatim vtatur. Vbi enim neceſſitati ſatisfieri poteſt per ſolum tibiarum operimentum, caligis tantum truncatis vtatur: Vbi verò & operimentum pedis requiritur addat ſutones laneos. ſi quibus

tandem ad satisfaciendum vrgenti necessitati illa non sufficiant, ad Superiores recurrant pro calceamentis integris, idque tantum quantum temporis vel loci necessitas exigit, & non aliter.

Porrò Auctores hic solent controuerti de caligis & forma braccarum quæ femora circumdant, & sub crura extenduntur, de quibus clarè non loquuntur antiqui Expositores, etsi sæpè caligarum mentionem faciant; sequendus est disciplinatorum vsus cum Regula non exprimat formam aut figuram. Cauendum autem ab iis quæ seculare indumentum sapiunt.

TEXTVS XIII.

Et Fratres omnes vestimentis vilibus induantur.

TITVLVS IV.

De vestimentorum vilitate & repetiatione.

QVÆSTIO I.

Quæ vilitas requiratur in Fratrum Minorum vestimentis?

CONCLVSIO.

IN duobus potissimum attenditur vilitas vestimentorum, nimirum in prætio & colo-

colore. *Ità Clemens V. Vilitatem* (inquit) *vestium tam habitus quam interiorum tunicarum illam intelligi debere dicimus, quæ secundum consuetudinem vel conditionem patriæ, debeat quantum ad colorem panni & prætium vilitas meritò reputari: Non enim quoad regiones omnes potest determinatus vnus modus assignari in talibus. Huiusmodi etiam vilitatis iudicium Ministris & Custodibus seu Guardianis duximus committendum, eorum super hoc conscientias onerantes: ita tamen quod seruent in vestibus vilitatem.* Hæc Clemens. In quibus verbis Pontifex quatuor docet:

1. Vilitatem attendi penes prætium & colorem:

2. Æstimationem prætij & coloris pendere à conditione & consuetudine regionis.

3. In dubiis committi iudicio & conscientiæ Superiorum.

4. Vbi manifesta est transgressio iudicium Superiorum non habere locum.

Et has ferè conditiones exprimunt aliqui Expositores. Consulendus maximè Hugo de Dina, qui prætio & colori iungit honestatem religiosam quæ in nonnulla asperitate vestis consistit: *Attendenda est* (ait) *vilitas in prætio pariter & colore secundum æstimationem hominum regionis in qua*

Fratres verſantur, ſeruatâ non minus honeſtate, ne mollitie, ſubtilitate, vel ſpecioſitate, notabiliter pannus appareat delicatus: Qui enim mollibus veſtiuntur in domibus Regum ſunt. Plus curanda eſt panni honeſtas quam prætium; quod pro fori varietate magis in malo panno, minus in meliori vel Fratribus inhoneſto, inueniri contingit. Hæc Hugo. Quæ vltima verba benè ponderanda ſunt propter eos qui ſub titulo vilioris prætij, pannos delicatos Religioſæ aſperitati inhoneſtos portare ſolent.

ABVSVS.

Ex dictis conſtat iuxtà materiæ & exceſſus qualitatem peccare.

1. Qui in quibuſdam Prouinciis pannis vtuntur quorum vlna ad quinque vel ſex florenos pertingit: hi enim panni pro. prætioſis habentur. Nec eos excuſat quod maioris durationis ſint: ſi prætium commune excedunt regionis, contrà Declarationes.

2. Qui patenter habitus de lanis tinctis, & coloratis textos ferunt, qui vel ad cæruleum vel ferè ad viridem colorem perueniunt.

3. Quiità mollibus & delicatis veſtimentis ex delicato panno vulgò (Rache) amicti incedunt, chordulas gerentes modò

laneas

laneas, modò ex candidulo filo ſplendidas & graciles. Hæ enim veſtes etſi pretium & colorem non excedant, honeſtati tamen & religioſæ aſperitati omninò repugnant. Nec eos excuſat quod ità à ſuperioribus prouideatur, & quod eorum inter quos viuitur mores ſic ſe habeant. Nam vt benè Hugo de Dina: *Conſtanter perfectio eſt habenda regulari: & religioſi pauperis, cum Regula ſit pauper, veſtis pretioſa & curioſa confuſio eſt.* Infrà. *Primis quidem Authoribus imputatur abuſus; ſequaces tamen vitij, auctoritas non excuſat exempli.* Hæc Hugo.

Et quidem prima illa habituum curioſitas, prætioſitas, caputiorum longitudo, &c. cepiſſe ab Elia Vicario Generali latè refert ex Mariano & Speculo S. Franciſci R. P. Lucas Wadingus ad annum 1220. n. 20. vbi acceptum & indutum primò F. Eliæ habitum Sanctus Pater longius proiecit, aſſerens habitum eſſe ſpuriorum & non filiorum.

Hic quæri poſſet de colore habitus, ſed omnibus iam in confeſſo eſt cinereum colorem eſſe, & magis accommodum vilitati, & magis honeſtum Religioni.

TEXTVS XIV.

Et poßint ea repetiare de saccis & aliis petiis cum benedictione Dei.

QVÆSTIO I.

Ad quem finem repetiatio vestimentorum in Regula sit permissa.

CONCLVSIO.

DVplici ferè fine repetiatio in vestimentis Fratrum Minorum est instituta.

Prior: Ad maiorem paupertatem ne vbi lacera fuerint noua statim procurentur, sed per repetiationem diutius conseruentur. Ita Bartholomeus Pisanus: *Subinfert* (inquit) *B. Franciscus si contingat tunicas lacerari quid faciendum: Non debet* (inquit) *statim noua præparari, vel procurari, sed ipsa antiqua repetiari de saccis, vt ipse faciebat.* Et hic est huius facultatis finis primarius, quẽ etiam primò indicat Hugo de Dina. Clarius etiam intelligitur ex testamento S. Patris Francisci: qui asserit se & socios *vnâ tunicâ intus & foris repetiatâ* fuisse contentos: Repetiationem vero interiorẽ non alteri fini,

ni, quàm vestis melioratiοni & conseruationi seruire, consideranti manifestum est.

Posterior: ad quemdam sæculi despectum & panni vilitatem. Vndè Vbertinus citatus à Serena conscientia q. 27. *Vult* (inquit) *his verbis, indicare tantam vestium vilitatem: quod inter pannum quo Fratres debent indui, & vilitatem sacci sit vicina conformitas: Et sic seruauit* (ait) *Pater noster Franciscus & socij sui, vt apparet in vilitate tunicarum suarum; qui portabant habitus exterius repetiatos de saccis, sicuti aliqui ex nobis portantes oculis conspexerunt.* Hæc Vbertinus.

Consonant passim Expositores. Vndè S. Bonauentura. *Tertium* (inquit) *additur, vt sæculi stultitia in Fratrum habitu ostendatur, vndè subdit. Possint ea repetiare de saccis, &c. Additur autem huic vestimento Benedictio Dei, quoniam qui se stultum & despicabilem exhibet huic mundo, ipsi Deo efficitur pretiosus. Hæc est Benedictio eius qui apparuit in rubo, &c.* Hæc S. Bonauentura. Idem infrà *Et nota quod Fratribus nulla vestimenta pellicea concedantur.*

QVÆSTIO II.

Qualis repetiatio in vestimentis Fratrum Minorum permittatur?

Ratio dubitandi mouetur ab Hugone de Dina. 1. Ob reputationem quæ fit per assuturam siue consuturam duarum tunicarum, vtpotè vnius veteris cum noua.

Secunda, à quadam consuetudine qua quidam ad dorsum, & antè pectus solum tunicas repetiant, aut in certis locis.

CONCLVSIO I.

Licet vnam tunicam cum altera consuere etiam per modum diploidis, siue etiam per modum suffulturæ totam tunicam replicare per consuturam.

Ita expressè Hugo de Dina: *Potest* (inquit) *vetus tunica cum noua* (*vt æstimo*) *sine regulæ præiudicio per consuturam vniri; sicut duas cappas habere non dicitur qui habet pellem panno inuolutam*: Hæc Hugo.

Qui etiam addit, posse quis suffulturam tunicæ in æstate auferre, & ad hyemem reseruare, sine præiudicio Regulæ. Verba eius sunt. *Nec penam in æstate diuisam habens, prohibetur vsque ad frigoris necessitatem seruare, nisi per superiorem aliud ordinaretur.* Hæc ibi.

CON-

CONCLVSIO II.

OMnis repetiatio quæ ad conseruationem vestimenti spectat licita est. Hæc constat ex natura primarij finis repetiationis prout suprà explicatur.

CONCLVSIO III.

REpetiatio quæ ad vilitatem & despectum siue asperitatem spectat, etiam licita est & meritoria, modò religiosæ decentiæ limites non excedat.

Prior pars conclusionis patet ex fine secundario repetiationis q. 1. assignato. Vnde & Hugo de Dina: *Possunt* (inquit) *repetiare de saccis ad litteram contrà delicata & subtilia vestimenta. Quod antiquis multùm in vsu fuit, vt eos iuxtà Apocalypsim saccis indutos, Christi non ambigas esse testes.*

Dixi in posteriori parte (modò Religiosæ decentiæ limites non excedant) Nam vt benè Martinus V. in Constitutionibus: *etsi in vestimentis Fratrum debeat relucere paupertas & asperitas, non tamen adeò, vt videntes ad horrorem vel ad derisum prouocent.*

CONCLVSIO. IV.

PVræ hominum opinionis & inuentionis est, repetiationis forma in iis quæ vilitatem demonstrant. Ita Hugo de Dina: vbi dicit quod antiqui noua vestimenta aliis

aliis petiis veterizabant; *paruis* (inquit) *vel magnis cum regula non distinguat.*

QVÆSTIO II.

An cuiuslibet particularis Fratris bëneplacito repetiatio sit relicta, & an Prælati illam prohibere poßint?

Ratio dubitandi est quia articulus de repetiatione est libertatis regulæ, & benedictione Dei cumulatur.

CONCLVSIO I.

Repetiatio prout vilitatem spectat superiorum iudicio. 1. Ministrorum, Custodum, & Guardianorum relinquitur. Patet 1. ex declaratione Clementis V. in C. Exiui de Paradyso. Qui vilitatem relinquit dictorum superiorum iudicio, ergò & accessoria, scilicet modos siue accidentia vilitatis, cuius generis est repetiatio.

2. Expressè probatur ex decreto Ioannis XXII. cuius initium est: Quorumdam exigit. Datum Auinione nonis Octobris Pontificatus Anno 2. vbi postquam declarauit in huiusmodi accidentibus vilitatis, totaliter subditos sequi debere superiorum iudicium & confirmauit declarationes

suorum

ſuorum prædeceſſorum : *In virtute obedientiæ & ſub excommunicationis pœna mandat per Apoſtolica ſcripta, vt Fratres qui aliàs curtos ſtrictos & difformes habitus contrà omnium aliorum Fratrum normam geſtarent, vt ad mandatum Generalis eos ſtatim deponant, & aliis iuxtà ipſius Generalis arbitrium, & determinationem ſiue iudicium induantur:* Hæc Pontifex.

CONCLVSIO II.

POſſunt ſuperiores prohibere vel limitare repetiationem, in iis quæ ad vilitatem & aſperitatem ſpectant: Hæc concluſio immediatè infertur ex priore, quia nimirum illa ſuperiorum iudicio committitur.

Dixi (in iis quæ vilitatem ſpectant) nam in iis quæ ſpectant ad conſeruationem vel ſimplicem veſtis paupertatem, ſicut Superiores tenentur ad paupertatem in ſe ſeruandam, ſic in aliis prohibere non poſſunt. Et in hoc ſenſu intelligi debet quod in expoſitione breui SS. Patrum ponitur ad hæc verba: *Et poßint ea repetiare de ſaccis & aliis petiis. Hoc* (inquit) *non eſt licentia volentibus ſed eſt prohibitio & præceptum ne tales impediantur ab iis qui horrent in ſe & in aliis vilitatem Regulæ, impoſitam, vel conceſſam.*

Hoc ipſum indicant declarationes Clementis

mentis V. vbi cum vilitatem vestium reliquerunt, iudicio superiorum, velut reduplicatiuè resumunt: *Ità tamen quod in vestibus seruent vilitatem.*

Ad rationem igitur dubitandi respondeo: Esse libertatis Regulæ simpliciter repetiare, modum tamen, formam & rationem seruandam intrà limites decentis & congruæ vilitatis: vnde & quod additur, (*Cum Benedictione Dei*) id ad totum complexum refertur, nimirum vt Fratres vilibus induantur, & ea repetiare possint.

CAVTELÆ.

1. CAueat Frater Minor ne in suis vestimentis appareat mollis, delicatus, splendidus, curiosus, in panno molli, alba chordula siue filacea, siue laneâ: Nam vt notat Auctor Conformitatum, & ex eo Serena Conscientia, solebat de similibus dicere S. Franciscus, *Quod signum extincti spiritus esset, quandò Fratres multiplicibus & mollibus induerentur, & contrà eos ad tentandum diabolum fortius animari.* Idem Pisanus: *Ad verecundiam verè est Fratris Minoris deferre mollem & pretiosam vestem, qui præ cunctis Religiosis arctius promisit seruandam paupertatem, & totaliter à vestigiis Patris exorbitare est, quem sequendum coram Sanctis deuouit: Et vbi*

aliorum

aliorum exemplorum deficeret copia, cuilibet vestrum Paupertas obiicitur Christi, & suæ Matris Beatæ. Hæc ille.

2. Caueat Frater Minor ne in vilitate & repetiatione vestium sit superstitiosus, aut proprij iudicij assertor obstinatus. In his enim superbiam & vanitatem non rarò dæmon seminat, & quod pro vilitate & humilitate institutum est, pro superbia & vanitate contrà vilitatem & humilitatem pugnat. Vndè S. Hieronymus ad Rusticum Monachum: *Vilis Tunica contemptum sæculi probat; ita dumtaxat ne animus tumeat, ne habitus sermoque dissentiant.*

Optimum est gratia stabilire cor, & meo quidem iudicio sequi sanctarum Congregationum sanctos modos. Repetiatur suæ congregationis approbatis à superioribus modis, meritoriè, Frater Minor Capucinus: Repetiatur approbatis à Patribus modis meritoriè Frater Minor Obseruans seu Recollectus. Vanè & supèrstitiosè ac demeritoriè repetiatur, qui proprio aut aliquot Fratrum similis farinæ iudicio repetiatur, contrà Superiorum iudicium, quibus vestimentorum vilitas & asperitas est commissa, & communitatis aliàs reformatæ laudabilem vsum.

3. Caueant qui delicato suo sensu asperitatem

ritatem in vestimentis Fratrum horrent, & sub colore honestatis, repetiationem & vilitatem prohibent, suæ sensualitatis & apparentiæ sæcularis assertores. In omnibus seruanda est hæc Sancti Bonauenturæ Regula in hunc locum. *Quæcumque sunt in vsu verorum pauperum, sunt iuxtà paupertatis regulam mensuranda.*

TEXTVS XV.

Quos moneo & exhortor, ne despiciant, neque iudicent homines quos viderint mollibus vestimentis & coloratis indutos, vti cibis & potibus delicatis, sed magis vnusquisque iudicet & despiciat semetipsum.

QVÆSTIO I.

Quæ sit S. Patris Francisci in his verbis intentio?

CONCLVSIO.

SAnctus Franciscus in his verbis exhortatoriis suam intentionem aperit super vilitate supià indictâ, nimirum sui despectum & humilitatem.

Vnde duo hic notant Sancti Patres Expositores: Primum: supposuisse Sanctum Fran-

ciscum ex prædictis quod quamuis non attigisset in singulari qualitatem panni, intellexisse tamen, quod non obstante vilitate prætij & consequenter panni; cum vilitate coniunctam debere esse asperitatem, & abesse mollitiem: pannum etiam naturalis & cinerei coloris esse debere, non autem quouis modo coloratum; Quomodo enim monentur non iudicare homines quos vestibus mollibus & coloratis vident indutos: si ipsi mollibus vestiantur (quamuis vilibus,) & ad quandam apparentiam, colores panno induci permittant ac verè coloratis induantur? Et hoc est argumentum quo vtitur S. Bonauentura: *Hic color* (inquit) *naturalis & non artificialis in veste haberi debet, alioquin frustrà monerentur Fratres minimè iudicare vtentes vestimentis coloratis.*

Et alij Expositores eodem modo argumentantur.

Secundum: supposuisse iterum S. Patrem: Fratres non debere vti delicatis cibis & potibus ex condecentia sui status, nam vt iterum eleganter Sanctus Bonauentura in ista verba (*vti cibis & potibus delicatis*): *sicut nec vestibus vti coloratis. Hoc enim ad ius pertinet altissimæ paupertatis, quod quantò est altius tantò arctior debet esse victus.*

Vnde

Vnde in Conuiuio Christi inuenti sunt panes hordeacei (Ioan. 6.) & hoc in deserto. Hæc S. Bonau.

Grauiter admodum Hugo de Dina: *Si quis Regulæ huius Professor, qui suam debet crucem iugiter baiulare, Christique mortificationem in suo corpore deferre delitias iterum in molli veste, in cibis & potibus diligit, aut (quod inexcusabiliter Ordinis honestati & Regulæ aduersatur) pannos coloratos in almutius vel aliis corporis indumentis admittit, damnat se magis quam alios his vtentes, quos ipse turpiter imitatur.* Hæc Hugo.

Qualibus verò cibis & qualiter vti debeant Fratres Minores suo loco dicetur. Hoc sufficiat modò asseruisse, intentionem planam Sancti Patris Francisci fuisse, vt & Fratres à mollibus & coloratis vestimentis abstinerent, & quantum per sanitatem corporis liceret, cibis & potibus delicatis communiter non vterentur.

CA-

CAPVT TERTIVM.

TEXTVS I.

Clerici faciant diuinum Officium secundum Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ excepto Psalterio, ex quo habere poterunt Breuiaria.

TITVLVS I.

De Officio diuino Clericorum.

QVÆSTIO I.

An Clerici teneantur sub peccato mortali recitare Officium diuinum secundum Ordinem Romanum.

CONCLVSIO.

FRATRES Minores Clerici ex vi Regulæ tenentur sub peccato mortali legere horas Canonicas, iuxtà ritum Romanum.

Ratio est quia verba Regulæ æquipollent præcepto vt constat ex verbo (*Teneantur*) Ex quo infero quod si Frater Minor Clericus omittat horas suas, aut notabi-

lem partem earum, etsi Ordinibus sacris non sit insignitus peccat mortaliter.

Quæ autem pars notabilis censeatur, & an distractio voluntaria similem culpam inducat, consule Canonistas & Theologos, eadem enim est ratio quæ Clericorum, quoad hanc materiam.

QVÆSTIO II.

An mutatio Ordinis Romani in Officio diuino sit peccatum mortale?

SEnsus est. An Frater Minor legens horas ad vsum Leodiensem, aut contrà Rubricas Romanas, faciens officium de festo in die feriali, aut de duplici, loco semiduplicis peccet mortaliter? Ratio verò dubitandi: quia Frater Minor non tantum vouet dicere Officium, sed dicere illud secundum Ordinem S. Romanæ Ecclesiæ, ergò si Ordinem immutat contrà Regulam & votum peccat mortaliter.

CONCLVSIO.

MVtatio Ordinis Romani in Officio diuino non est peccatum mortale, nisi in casu in quo Clericus Romanus obligatus mortaliter peccaret, & non alias. Ratio fundamentalis quia qui vouet Ordinem Romanæ Ecclesiæ in Horis Canonicis,

cis, vouet ſub illa obligatione tantum qua Romana Eccleſia illum Ordinem præfigit & præcipit. Ergò tantum peccat mortaliter, vbi ſub peccato mortali præcipit, & vbi ſub veniali venialiter, &c. quemadmodum (ait Corduba) qui Euangelium vouet, vouet præcepta vt præcepta, conſilia vt conſilia.

Dices: Clericus Romanus tantum obligatur ex vi præcepti Ordinibus vel Beneficio annexi, ſed Frater Minor obligatur ex vi voti, ergò magis obligatur Frater Minor. Reſpondeo negando conſequentiam, ſequitur enim tantum quod Frater Minor alio titulo obligatur, & fortè maiori, ſed non ſequitur quod magis vel ad plura.

Ad rationem dubitandi reſpondeo ſimiliter negando conſequentiam: ita enim vouere ſecundum Ordinem Romanæ Eccleſiæ nihil eſt aliud quam vouere ſecundum quod Romana Eccleſia præſcribit, & eo obligationis modo quo præſcribit.

Ex dictis examinanda ſunt quæ nimis rigoroſè & ſcrupuloſè ab Expoſitoribus ponuntur ad limam Theologorum, & eorum ſententias pro Clericis Romanis, in lectione horarum in genere. Ex quorum ſenſu dico.

1. Leues aliquas cæremonias vel rubricas omittere vel immutare non eſt niſi vel leuiſſimum vel nullum peccatum.

2. Omittere Pſalmos Pænitentiales, Graduales, Officium Defunctorum, Officium Deiparæ in diebus ſtatutis in Rubricis, non eſſe peccatum.

3. Tranſmutare ſine contemptu, ex inaduertentia vel negligentia, officium feriale faciendo de feſto, vel de vno ſancto, loco alterius non eſt niſi veniale.

Et ſimilia paſſim occurrentia ſunt regulanda eodem modo pro Clericis Romanis & Fratribus Minoribus ex ſententia Theologorum & Summiſtarum prout eſt dictum.

QVÆSTIO III.

An Fratres Minores ſub peccato obligentur ad Miſſale Romanum?

RAtio dubitandi ſumitur ex 4. Magiſtris & Hugone de Dina, qui vbi dicitur: (*Ex quo habere poßint Breuiaria*): Breuiaria in plurali diuidunt in diurnũ quod eſt Miſſale, & nocturnum quod eſt Horarũm: vndè ad vtrumque Fratres obligari affirmant.

CON-

CONCLVSIO I.

FRatres Minores non tenentur ex vi Regulæ ad Missale. Ratio petenda est ex proprietate nominis (*Breuiarium*) quod in se & vsu communi pro officio Horarum semper supponit.

Ad rationem dubitandi: Respondeo Breuiaria in plurali supponere pro pluralitate exemplariorum, neque enim vnum Breuiarium multitudini sufficere posset. vndè & ex eo colligunt passim Expositores, Fratres posse habere vsum Breuiarij in speciali, vt etiam notauit Nicolaus in declaratione sua.

CONCLVSIO II.

EX condecenti tenentur Fratres Minores ad Missale Romanum: Ratio est, quia sequitur & concordat cum Breuiario.

QVÆSTIO IV.

Quid intelligatur per illud excepto Psalterio?

CONCLVSIO.

PEr Psalterium Romanæ Ecclesiæ quod excipitur intelligitur Psalterium Translationis septuaginta Interpretum, quod est peculiare Ecclesiæ Romanæ, & quo Car-

 dinales

dinales vtuntur, nec extra Vrbem Romanam eius eſt vſus.

Ità ferè Sanctus Bonauentura:

QVÆSTIO V.

An teneantur Fratres ad Officium in Choro?

NOnnulli Expoſitores cum Serena conſcientia volunt teneri. Vndè ſunt verba Expoſitionis SS. Patrum ſine titulo: *Ordo* (inquit) *Romanæ Eccleſiæ eſt, quod Clerici conueniant ad Chorum Eccleſiæ, & ibi dicant horas Canonicas, & ideò omnes Fratres tenentur ad Chorum conuenire niſi rationabiliter impediantur.*

CONCLVSIO.

FRatres Minores in particulari non tenentur ad Officium in Choro. Ratio eſt: quia ex ſimplici verborum intellectu tenentur tantum dicere officium Romanum. Atqui Ordo Romanæ Eccleſiæ per ſe, ſingulas & quaſlibet in particulari perſonas ad Chorum non adſtringit, ſed eas tantum qui ratione Beneficij vel Officij adſtringuntur. ergò Fratres ex generali verborum tenore non adſtringuntur.

Dico (in particulari) quia ob laudabilem conſuetudinem, & continuam traditionem,

tionem, omitti non posset sine scandalo, quin in Conuentibus formatis Officium in Choro à communitate Fratrum recitaretur. Et de hoc tantum loqui debuerunt Expositores, qui ad summum nonnulla citant Ordinis statuta, & Pontificum Ordinationes ad decorem Ordinis pertinentes.

Huc pertinent quæ de cantu fracto, & aliis nonnullis tractant, quem prohibent, quod per Ecclesiam cantus fractus non sit institutus: Non distinguentes ea quæ de ratione Officij horarum ab Ecclesia præcisè instituta sunt, ab his quæ in consuetudinem & decorem præter officij rationem sunt introducta, quæ tamen multum differunt in ratione obligatoriâ.

TEXTVS II.

Laici verò dicant viginti quatuor Pater noster pro matutino, &c.

TITVLVS II.

De diuino Officio Laicorum.

QVÆSTIO I.

An Laici sub peccato mortali teneantur ad Officium Orationum Dominicarum?

RAtio dubitandi: Quia Clemens V. non refert hoc præceptũ inter æqui-

 pol-

pollentia, & aliàs ostendit non omnia quæ sub verbis imperatiui modi in Regula continentur sub præcepto obligare.

CONCLVSIO.

FRatres Laici tenentur sub peccato mortali Officium Orationum Dominicarum in Regula præscriptum persoluere.

Ratio est: quia sic Ordo à principio intellexit, declaratumque est auctoritate Apostolica per R. P. Franciscum de Angelis Ministrum Generalem anno 1523.

Ad rationem dubitandi dicendum est Clementem Quintum non specificasse de Officio Laicorum, quod & paritate rationis, & contextu verborum Regulæ idem esset in substantia præceptum cum præcepto de Officio Clericorum, etsi in modo Officium variet.

QVÆSTIO II.

An teneantur addere Ave Maria *& orare pro defunctis?*

CONCLVSIO I.

NOn tenentur ex vi Regulæ addere Ave Maria ex consuetudine tamen dicunt. Vide speculum Frattum Minorum.

CON-

CONCLVSIO II.

Tenentur aliquam particularẽ orationem fundere pro defunctis. Quæ verò & quantà debeat esse illa oratio eorum arbitrio relinquitur. Additum verò id putat Serena Conscientia q. 43. vt Laici orent pro defunctis: *quia* (inquit) *tam in officio diurno quam nocturno, semper oratur pro defunctis à Clericis, sed non sic in officio Laicorum Fratrum.*

De qualitate peccati in officio Laicorum iudicium sumendum est ex quantitate materiæ vel qualitate negligentiæ, quod prudenti Confessario est relinquendum.

TEXTVS III.

Et ieiunent à Festo omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini, &c.

TITVLVS III.

De Ieiuniis & abstinentia.

QVÆSTIO I.

Quæ sint ieiunia obligantia vi Regulæ?

CONCLVSIO.

Ieiunia ex vi Regulæ hoc ordine in Regula enumerantur.

1. A festo Omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini.

2. Quadragesima omnibus Christianis communis à die Cinerum, vsque ad Resurrectionem.

3. Singulis Feriis Sextis.

Petes 1. An quadragesima communis ex vi Regulæ addat obligationem super communi obligatione Christianorum. Respondeo probabilius addere, patet ex verbis Regulæ simpliciter intellectis: *Sed aliam vsque ad Resurrectionem Domini ieiunent.* Quæ verba quamuis intelligi possent magis per modum additionis quæ tacitæ obiectioni responderet, quam per modum præcepti, tamen per modum superadditi præcepti Pontifices intellexerunt. Vnde Clemens Quintus c. 3. *Deinde* (inquit) *cum duobus temporibus in Regula annotatis, scilicet à Festo omnium Sanctorum vsque ad Natiuitatem Domini, & maximè Quadragesimam Fratres ieiunare teneantur.* Quæ verba resumens clarius Capitulum Generale: *Cum secundum* (inquit) *Regulam Fratres duas Quadragesimas ieiunare teneantur, & intermedia suadeatur, &c.* Ex quibus verbis constat Quadragesimam inter obligatoria Regulæ annumerari.

Petes 2. An Fratres teneantur Feriis Sextis

Sextis Quadragesimæ Benedictionis ieiunare? Dubium mouet quidam Neotericus nimisGrammaticus parum Philosophus ex eo quod in illo textu: *Aliis autem temporibus non teneantur Fratres nisi sextâ Feriâ ieiunare:* particula (*Aliis*) videtur excludere omnia tempora enumerata, inter quæ erat Quadragesima benedictionis: vt sit sensus. Aliis temporibus ab enumeratis non teneantur nisi sextâ Feriâ ieiunare: Ergò non tenentur sextis Feriis intra tempora numerata ieiunare, nisi aliundè imponantur: Cum verò Feriæ VI. ab Epiphania vsque ad 40. dies, aliundè non imponantur, manebunt in libertate ieiunij Fratribus, sicut & ipsa Quadragesima. Et consequenter nisi Feriæ Sextæ à Festo omnium Sanctorum & Quadragesimæ communis impositæ essent sub præcepto speciali non obligarent.

Respondeo nihilominus quod etsi Fratres teneantur ad Quadragesimam Benedictionis, teneri tamen Feriis Sextis ab Epiphania vsque ad 40. dies ieiunare. Ratio est quia verè continentur sub particulâ discretiuâ (*Aliis*) Nam apud Logicos particula separatiua siue discretiua solet separare & discernere inter ea quæ sunt eiusdem generis, vt cum dico. Libri Hæreticorum primæ Classis etiam de materia Fidei

dei non tractantes prohibentur, libri verò aliorum de materia Fidei non tractantes permittuntur: particula (aliorum) ſeparat alios Hæreticos, vt ſit ſenſus aliorum Hæreticorum. Ità in propoſito cum dicitur: *Aliis autem temporibus non teneantur niſi Sextâ Feriâ ieiunare:* Senſus eſt: *Aliis temporibus* (non ſimpliciter enumeratis) ſed: Aliis temporibus ab enumeratis ad ieiunium obligantibus: ità vt particula (*Aliis*) ſecernat inter tempora non ſimpliciter enumerata, ſed quæ eiuſdem generis ſunt, nimirum quæ ad ieiunium obligant.

Et ſic ordo ſemper intellexit vt non ſit opus nouas Grammaticas fingere, vt videamur aliquid noui ſubtiliter inueniſſe.

Petes 3. An Adoleſcentes infrà vigeſimum primum annum excuſentur à ieiunio? Reſpondeo quod non, quia Regulam ſunt profeſſi & voto ſe adſtrinxerunt.

QVÆSTIO II.

In quibus cibis debeant ieiunia Regulæ obſeruari?

EXpoſitores nonnulli antiqui ſimpliciter docent debere obſeruari in cibis quadrageſimalibus abſtinẽdo à lacticiniis,

ouis,

ouis, &c. Ità expositio breuis Sanctorum Patrum: *Et debet intelligi* (inquit) *quod debemus ieiunare in cibis Quadragesimalibus, quia sic intellexit Auctor, & seruari fecit, & sic in illa regione communiter fit à sæcularibus.* Bartholomæus Pisanus idem asserit, sed rationem refert in statuta Ordinis. Et hanc opinionem conatur omnibus modis stabilire Ludouicus Parisiensis Capucinus in hunc Regulæ textum.

CONCLVSIO.

Ieiunia Regulæ seruari debent iuxtà morem Patriæ & ieiunantium communem formam, ità quod si mos Patriæ & ieiunantium communis consuetudo in ieiuniis extrà Quadragesimam, sit abstinere à Lacticiniis & ouis, Fratres abstinere debeant, sin consuetudo ieiunantium oua & lacticinia non prohibeat, ab iis abstinendum non erit.

Ità expressè 4. Magistri, *Ieiunent ergò* (inquiunt) *debet intelligi cibo ieiunantium secundum consuetudinem hominum, & maximè Religiosorum terræ in qua morantur.* Clarissimè Hugo de Dina. *Forma Ecclesiæ est vt ieiunans detracto prandio cœna contentus, à carne animalium & omnibus quæ sementiua ab ea trahunt originem, scilicet lacte, caseo, & ouis abstineant. De ouis tamen & lacticiniis pro aliquo tempore*

tempore consuetudo variat regionum Ecclesiæ approbata, vbi hæc sunt honesta pro patria, homines offenduntur: cum respuimus vilia, sumptuosa recipimus: Pisces (inquiunt) *delicati & cari, sunt diuitum, lacticinia pauperum. Vbi à lacticineis abstinent ieiunantes scandalum est*, si nos morem patriæ, &c. violamus. *Iuxta Sancti Canonem: Mos Ecclesiæ siue diœcesis in qua sumus est seruandus, &c.* Infrà. *Debemus ergò in ieiuniis secundum morem ieiunantium vti.* Hæc Hugo.

Nec aliud probant quæ pro alia sententia ex Expositoribus sanctis adferuntur. Nam quod Expositio SS. Patrum dicit: S. Franciscum sic intellexisse & seruari fecisse; hoc extà controuersiam est, in locis illis in quibus viuebat, quia vt subdit, *sic in illa regione communiter fit à secularibus.* Et ità in tota Italia adhuc modò seruant Fratres, siue quod sequantur morem sæcularium ieiunantium, siue quod particulari statuto se ad hunc morem adstringant. Certum est enim quod vbi consuetudo Patriæ sic se habet, aut statutum Ordinis in aliqua Prouincia sic receptum, quod Fratres iis se accommodare teneantur. Multæ autem sunt Regiones & Prouinciæ, in quibus nec ieiunantium mos talis, nec statutum aliquod huiusmodi receptum; vt in

omnibus

omnibus Prouinciis Belgicis & Germanicis. Sufficit verò ad Regulæ expositionem, Fratres vi Regulæ ad similes abstinentias non teneri.

QVÆSTIO III.

Quæ necessitas requiratur vt Frater Minor ad ieiunia Regulæ non teneatur?

CONCLVSIO I.

Ex vi Regulæ maior necessitas requiritur, vt quis ieiunare non teneatur, in ieiuniis regulæ, quam in ieiuniis Ecclesiæ. Patet ex textu: *Tempore* (inquit) *manifestæ necessitatis non teneantur Fratres ieiunio corporali*: atqui in Ecclesiæ ieiuniis non requiritur nisi probabilis necessitas, ergo in ieiuniis Regulæ requiritur maior, nimirum manifesta.

CONCLVSIO II.

Manifesta necessitas ex variis capitibus accipienda est. Ita Expositores. Quatuor Magistri: *Hæc* (inquiunt) *necessitas non vno modo sed multis est intelligenda. Contingit enim necessitas comedendi aliquandò ratione ætatis, aliquando ratione infirmitatis vel debilitatis, aliquando ratione laboris, aliquando*

do ratione sustentationis. 1. vt explicat Hugo, defectu sustentationis nimirum sufficientis.

Manifestam verò necessitatem sic definit Hugo de Dina: *Necessitas* (inquit) *dicitur manifesta, quando indigenti vel discreto cuilibet & maximè Prælato dubia non existit.*

CONCLVSIO III.

IN dubiis quantum fieri potest melius est recurrere ad iudicium Prælatorum. Ratio est quia vt ex S. Bonauentura in c. 10. docebimus: Prælati in ratione ieiuniorum, præter iudicium de necessitate, potestatem habent etiam quacumque rationabili causa dispensandi, & consequenter auctoritate supplendi prudenter, quod in necessitate minus fortè manifestum est.

QVÆSTIO IV.

An natali Domini in Feriam Sextam incidente Fratres ad ieiunium teneantur?

RAtio dubitandi sumitur. 1. Ex communi Christianorum consuetudine sancta qui nec illa die à carnibus abstinent. 2. Ex responso quodam S. Francisci facto vel B. F. Morico (vt ait Pisanus Confor. 8.) vel Monachis Conuentus montis maioris

ioris (vt ait Marianus §. 25.) nimirum: *Non tantum homines, sed & parietes si vesci possent, die natali carnibus saturandos, in signũ lætitiæ verbi Caro facti.*

CONCLVSIO.

NOn licet Feria 6. in quam Natalis Domini incidit Fratribus ieiunium soluere, minùs carnibus vesci. Ratio est: quia nulla Feria 6. excipitur in Regula, ergo nec illa excipienda. Et hoc latè probat Lucas Wadingus in opusculis S. Francisci, in scholiis ad Regulam Clarissarum quem ibi vide.

Ad rationes dubitandi respondetur: Votum Fratrum Minorum eos restringere à consuetudine & libertate communi Christianorum. Nec in ista responsione Sancti Francisci alia mens fuit quam externa emphasi & amplificatione, internum gaudium iudicare. Quod bene ostendit cum facta solemnitate Natalis Domini in Græcio, mendicans in refectorio quæ comederet; graui sermone docuit: Pauperes Religiosos dedecere lauta fercula, præcipuè illa Die, in qua B. Virgo Maria vix habebat quod manducaret, nec Christus vbi cubaret, nisi in animalium brutorum præsepi. *Festiuitates demum* (inquiens) *Christi & sanctorum melius paupertate quam*

superfluitate celebrantur, &c. Ità refert Lucas Wadingus ad annum 1223. citans Pisanum Conform 16. & speculum Sancti Francisci. c. 19.

TEXTVS IV.

Et non debeant equitare nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur.

QVÆSTIO I.

Quid prohibeatur per verbum equitare?

RAtio dubitandi sumitur ex additione S. Bonauenturæ hoc cap. in toto Ordine communiter recepta: *Et per consequens* (inquit) *nec bigare, nec quadrigare quæ maioris sunt sumptus.* Ex quo infertur non licere Fratri Minori extrà casum necessitatis bigare vel quadrigare.

Aduertendum 1. Verbum equitare in rigore Grammaticali idem esse ac equo insidendo iter facere siue equo vehi: vulgò autem equitare dicitur qui quouis iumento iter facit. Vndè Hugo de Dina: *Vulgò quoque* (ait) *equitare dicuntur quicumque animalis cuiuslibet euectione vtuntur. Sunt qui iuxtà proprietatem vocabuli, illos tantum æstimant*

mant equitare, qui equini generis insident animali.

Aduertendum 2. Duas potissimum videri fuisse causas huius prohibitionis. 1. Humilitatis & austeritatis. 2. Vsus paupertatis arctioris, ad exemplum Christi & Apostolorum. Has indicauit Hugo de Dina: *In hoc* (inquit) *Sanctus vestigia sequitur Christi, qui pedester semper (nisi cum de pullo & asina mysterium innuit, & prophetiam) creditur ambulasse: In quo Fratribus humilitatis, austeritatis, & minuendæ sollicitudinis forma datur: quæ cum Sanctus intenderet, intelligentia sui dicti ex causis est assumenda dicendi.* Hæc Hugo, vbi sub forma minuendæ sollicitudinis indicat causam vsus pauperis: qui enim equo vehitur, & pro alendo equo eleemosinas conquirat necesse est, & solicitudine multa distrahi debet.

Causam etiam illam posteriorem indicat S. Bonau. suprà: *Quæ* (inquit) *maioris sunt sumptus.*

CONCLVSIO.

EX vi Regulæ in rigore prohibetur tantum ne equo vel aliquo iumento iter faciamus. Ratio est: quia hoc ipsum vulgariter solum equitare est. Vndè in prima Regula c. 15. dicitur: *Iniungo omnibus Fratribus meis, &c. quod nullo modo apud se nec*

apud alium, & aliquo modo bestiam aliquam habeant, nec eis liceat equitare nisi infirmitate vel magna necessitate cogantur.

QVÆSTIO II.

An sit Fratribus Minoribus prohibitum bigare vel quadrigare?

CONCLVSIO I.

EX vi verborum Regulæ non est Fratribus Minoribus prohibitum bigare vel quadrigare. Hanc Conclusionem insinuat Hugo de Dina. *Verum* (ait) *etsi animalia cætera, vel honesta occurrunt vehicula equis tracta, vectari littera minus vetet: beatius tamen, tutius, & honestius nisi vrgente necessitate vitamus, pediteſque cum Domino Iesu ex itinere fatigamur: Hi in curribus & hi in equis, nos autem in nomine Domini inuocabimus.* Hæc Hugo. In quibus verbis insinuat litteram minus vetare bigationem.

Probatur verò Conclusio. Quia bigare & quadrigare nonnisi valdè impropriè nomine equitationis intelligi possunt: Regula autem simpliciter intelligenda est, prout communi sensu sonat. Nec valet: quod, qui equis trahitur, equo vehi dici possit, sic enim nec naui vehi liceret, vbi

nauis

nauis ab equis traheretur, vt in fluminibus communiter fieri ſolet.

CONCLVSIO II.

Bigatio & quadrigatio ex aliis titulis prohibetur Fratribus Minoribus extrà caſum neceſſitatis vel infirmitatis.

1. Ex ratione ſumptuum pro quibus eſſet ad amicos ſpirituales & pecuniam recurrendum. Et hanc rationem indicat S. Bonauentura dum ait, *Et conſequenter nec bigare nec quadrigare quæ maioris ſunt ſumptus.*

2. Ob ſcandalum, vel periculum ſcandali, & exceſſum grauem contrà humilitatem & vilitatem pauperrimi ſtatus Fratrum Minorum, & contrà intentionem Patris noſtri Franciſci ſuprà allegatam, Quæſtione præcedenti. Et hoc ad minus indicant Patres in ſtatutis Barchinonenſibus *c.* 5. §. 2. Vbi ſub grauiſſimis pænis & cautelis ſimilis quadrigatio prohibetur, quæ non niſi pro peccato mortali & ſcandaloſo infligi ſolent.

Hoc modò ſine dubio peccaret mortaliter qui pompaticè per vias publicas ciuitatis more ſæcularium in Rheda deambularet aut graderetur, vtique contrà honeſtũ Fratrum Minorum incedendi morem &

austeritatem, cum sæcularium iudicio & scandalo.

CONCLVSIO III.

PRæcisa ratione recursus siue sumptuũ, & materia scandali; non videtur Frater Minor peccare vbi ex causa rationabili, etsi non necessaria, vteretur biga vel quadriga. Ratio est: quia ex vi verborum Regulæ simpliciter non tenetur. & quamuis intentio Sancti Patris fuerit (vt antiqui Expositores dicunt) vt quantum fieri potest Fratres sui pedites cum Christo ambularent, istam tamen suam intentionem, quantum ad bigationem sub præcepto non proposuit, sed sub perfectionis gradibus potiùs reliquit: modò in paupertatis exemplaritate cum periculo scandali non fiat excessus, & contrà paupertatem in sumptibus extrà necessitatem non fiat recursus. Quod benè aduertendum est: facile enim in his Belgicis, & eisdem vicinis Prouinciis homines scandalizarentur, vbi Fratres reformatè viuunt, & pedites communiter ambulare solent.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Quæ sint causæ sufficientes ad equitandum?

CONCLVSIO V.

DVæ requiruntur causæ ad equitandum, nimirum: Manifesta necessitas: vel Infirmitas.

Manifesta necessitas oritur ex triplici capite. 1. Ratione prolixi itineris, quod videlicet à pedestri non nisi summa incomoditatæ, vel cum periculo probabili infirmitatis tempore debito perfici nequit.

2. Ratione impediti itineris: quod pedestri transiri non potest, vtpotè, propter aquas, lutum, niues, &c.

3. Ratione negotij vrgentis, quod premit & breui tempore peragi debet, ita vt quis vel non possit pedester loco adesse, vel non nisi graui detrimento, & magna incertitudine. *Ita communiter expositores cum S. Bonauentura.* Semper tamen præsupponenda est causa legitima quæ huiusmodi necessitatem inducat. Vnde si quis pro sola animi voluptate, & recreatione, aut ex mera libertate se committat itineri sciens aut scire debens se iter illud sine equitatio-

ne perficere non posse: huic sicut necessitas non suffragatur, sic nec licentia hæc equitandi. *Vide Cordubam q.3.*

Infirmitas etiam tunc causam sufficientem equitationi præbere censetur, quando infirmo iter agendum est, siue vt ad locum habitationis aut obedientiæ pergat aut reuertatur, siue vt ad conualescentiam, aut exercitium pro sanitate, siue aeris mutationem iter faciat. Hac enim ratione S. Franciscus infirmitatis in Regula mentionem fecit *vt bene notauit Corduba supra.*

TEXTVS V.

In quamcumque domum intrauerint, primum dicant: Pax huic domui. Et de omnibus cibis qui apponuntur eis, liceat manducare.

QVÆSTIO.

An fratres in propriis domibus possint vesci carnibus, & omnibus cibis qui eis apponuntur?

SCrupulum suggessit S. *Bona: hoc loco: istud* (air) *non conceditur nisi in prædicationis euntibus ministerio. Qui ergo pro animarum salute non circumeunt, in hac licentia ius non habent.* Hæc ille.

Alij-

Alij etiam, Fratres Minores metientes pede Ordinum S. Benedicti, Bernardi, Carthusianorum, & aliorum, qui tunc temporis carnibus non vescebantur, arbitrati sunt S. Franciscum non indulsisse suis esum carnium, cum aliis in vsu non esset.

Pro resolutione suppono 1. Hoc indultum dirigi ad euntes per mundum vt ex textu constat.

Suppono 2. Indultum accomedè intelligi debere vt *de omnibus cibis qui apponuntur eis liceat manducare* nimirum: Nisi aliquò præcepto ad ieiunium vel abstinentiam contingat illos obligari.

CONCLVSIO.

Fratres Minores in Domibus siue Conuentibus suis existentes, extra tempus ieiunij & abstinentiæ, possunt carnibus vesci, siue de omnibus quæ apponuntur eis, manducare. Ratio est: Quia nullum est præceptum in Regula quod eos ad speciales cibos restringat, aut quouis modo aliquos eis prohibeat. Vnde *S. Bernardinus Vicarius Generalis in Epistola quam scripsit ad familiam suam: In regula* (inquit) *vsus carnium in loco vel alibi fratribus non prohibetur, licet non liceat nisi moderatus & discretus.* Hæc ibi. Confirmatque hanc sententiam Historia quam narrat *R. P. Lucas VVadingus*

ſub an. Chriſti 1220. Religionis 3. ex Antiquo Chronico Mss. & S. Antonino tit. 24. c. 7. §. 4. vbi Angelus venit ad F. Heliam eique propoſuit quæſtionem: *Vtrum Euangelij obſeruatoribus liceat de omnibus quæ apponuntur eis manducare prout Chriſtus tradidit.* Et: *An alicui liceat eiſdem S. Euangelij obſeruatoribus contraria Euangelicæ indulgentiæ præcipere.* Per hanc quæſtionem (vt ait Hiſtoria) reprehendens illum quod ſtatutum in Ordine feciſſet de non veſcendo carnibus: quod S. Franciſcus ſtatim poſt dictam Angeli reprehenſionem annullauit.

Ad verba *S. Bonau.* Reſpondeo non debere ſimpliciter intelligi de carnibus, ſed vniuerſaliter de lautis & delicatis, quæ contingit euntibus per mundum apponi à ſæcularibus: qualia honeſtè non apponuntur fratribus in Conuentibus, quibus parcitas victus & moderantia communi vſu Ordinis magis competit.

Ad id quod de Religioſis aliorum Ordinum refertur: Reſpondeo Fratres Minores illis æquiparari non debere, quod iſti ſuis diuitiis abſtinentiam à carnibus, melioribus cibis, & vino ſupplere poſſint: Paupertas autem Fratrum Minorum ad certos cibos aſtringi non debuit, quæ oblatis, & mendicatis viuit.

CA-

CAPVT QVARTVM.

Quòd Fratres non recipiant pecuniam.

ANTEQVAM Textum huius capitis aggrediamur omninò necessarium iudico generalem doctrinam tradere de veritate Paupertatis Fratrum Minorum, quam nonnulli sui ipsius amantes, paupertatis Christi inimici, suæ libertatis assertores non modò antè summorum Pontificum decreta non cessarunt suis dicteriis & falsis doctrinis lacerare; sed & modò se falsorum Fratrum protectores venenatis suis sermonibus exhibent, non territi grauissimis punitionibus diuinis, quas in principio exercuit Deus contrà eiusmodi venenosos Christi & Apostolicæ doctrinæ detractores, vt constat:

Vt igitur omnibus palam fiat Fratrum Minorum paupertatem esse realem & non metaphysicam, sanctam, à Christo institutam, & non inuentionem humanam, conabor illius essentiam planè & breuiter elucidare, eo iuuante qui non habuit vbi caput reclinaret.

TITVLVS I.

De Paupertate Fratrum Minorum quoad eius essentiam.

QVÆSTIO I.

Quid sit paupertas Fratrum Minorum?

CONCLVSIO.

Paupertas Fratrum Minorum est realis abdicatio omnis iuris politici cuiuscumque rei temporalis, tam quoad rem ipsam, quam quoad eius vsum, tam in particulari, quam in communi, propter Deum.

Dicitur (*realis abdicatio*) ad excludendam illam quæ est solius affectus, de qua Psaltes: *Diuitiæ si affluant nolite cor apponere.*

Dicitur (*omnis iuris politici*) ad excludendum ius quoddam naturæ quod à B.Patre Gilberto Nicolai dicitur: *Ius quo quodlibet viuens potest & tenetur vti rebus necessariis ad conseruationem sui esse seu vitæ*: Estque ius diuinum naturale: quia omni viuenti à Deo est concessum. Et vocatur à Nicolao 3.*Ius poli*: Et huic non renuntiat Frater

Frater Minor, quin ſicut quodlibet viuens poſſit ſuſtentari cibo & potu vndequaque accepto in caſu neceſſitatis vitæ conſeruandæ; Vndè & ſupradictus Pater: *Tantum* (inquit) *habet ius auis in grano quod comedit, quantum Frater Minor in cibo quem manducat.* Vnde ſicuti ius auis in grano eſt naturale tantum, & non politicum, ſic ius Fratris Minoris in cibo ſuo.

Dicitur, (*cuiuſcumque rei temporalis*) infrà enim oſtendemus Fratrem Minorem eſſe capacem iuris rei ſpiritualis; meritorum, bonorum operum, Indulgentiarum, etiam per modum iuris politici ſeu ciuilis.

Dicitur (*tam quoad rem ipſam, quam quoad rei vſum*). Triplex porrò Ius politicum ad rem, apud Iuriſtas reperitur, nimirum: Dominium politicum, poſſeſſio politica, Proprietas politica.

Dominium dicitur ius quo quis de re ſua poteſt facere quod vult dando, vendendo, commutando, &c. Et ſi impediatur poſſit in iudicio experiri. Poſeſſio verò Dominio addit: quod in tali iure non impediatur.

Proprietas verò dicit inſuper: quo quis in tali iure parem non habeat.

Rurſum Ius politicum in vſu rei duplex eſt, videlicet, Vſus Fructus, & Vſus iuris.

Vſus

Vſus fructus eſt, quo quis poteſt pro ſe, & pro aliis, iuxtà beneplacitum Fructus accipere, vtpotè vendendo vel dando.

Vſus iuris pro ſe ſolo fructibus vtitur, vel vti poteſt, vndè vſus fructus pinguior eſt vſu iuris.

Dicitur (*tam in particulari quam in communi*) vt excludatur paupertas aliorum Religioſorum, quæ in communi ius ſiue Dominium rerum, tam in ſe, quam earum vſu ſibi acquirit & acquirere poteſt.

Dicitur (*propter Deum*) vt excludatur paupertas inuoluntaria hominum huius ſæculi, aut quam alio quouis titulo homines patiuntur.

Ex dictis patet quanta ſit paupertas Fratrum Minorum, vtique: quæ ſemper alieno vtitur, & non ſuo, alieno viuit, alieno, veſtitur, in alieno habitat.

QVÆSTIO II.

An hæc paupertas fuerit Euangelica à Chriſto & Apoſtolis prædicata?

CONCLVSIO I.

Paupertas Fratrum Minorum in ſuperioribus explicata eſt Euangelica, à Chriſto & Apoſtolis prædicata. Hanc Conclu-

clusionem docet latè S. Bonauentura in c. 4. Regulæ, & in tract. de paupertate Christi. Et Nicolaus 3. cap. Exiit qui seminat, *Abnegatio* (ait) *omnium rerum tam in speciali quam etiam in communi propter Deum meritoria est & sancta, quam & Christus viam perfectionis ostendens verbo docuit, & exemplo firmauit.*

Item ibidem in principio: *Hæc est apud Deum Patrem munda & immaculata Religio, quæ descendens à Patre luminum per eius filium exemplariter & verbaliter Apostolis tradita est.*

Ne porrò sim fusior præter intentionem consulat R. P. Cyprianum Crosers ad c. 6. Regulæ lectione Parænetica 2. de Paupertate Christi & Apostolorum, vbi hanc sententiam latissimè defendit omnes opiniones contrarias refutans.

Dices, Ioannes 22. *in extrauaganti*: *Ad Condisorem Canonum*: renuntiat omni dominio rerum quarum vsum Fratribus licet habere, & absolutè docet in rebus vsu consumptibilibus simplicem facti vsum non posse separari ab vsu iuris.

Item in Extra. *Cum inter nonnullos*: declarat opinionem quæ asserit Christum & eius discipulos nihil habuisse, & in his quæ habuerunt nullum ius eis fuisse, esse erroneam & hæreticam.

Ref.

Respondeo 1. *ex Soto l. 4. de Iustitia q. 1. a. 5. & Ledesma 2. p. 4. q. 18. a. 1. dub. 2.* Ioannem 22. lacessitum ab Ockamo & quibusdam aliis, infensum fuisse multum Ordini, adeòque minori charitate aduersus Ordinem processisse, vt ex historiis constat.

Respondeo 2. *Ex Bellarmino tom. 1. Controu. tractatu de Summo Pontifice c. 14. Concl. 2.* Ioannem 22. errasse, quamuis non in re Fidei, & morum, siue ad mores Ecclesiæ vniuersales pertinentes: sed tantum in nonnullis terminis iuris explicandis de quibus subtiliter disputat, & in partem contrariam Ordini Fratrum Minorum inclinat.

Quod vt clarius pateat, tam pro resolutione Q. de paupertate Christi, quam Q. de paupertate Fratrum Minorum pono sequentes Quæstiones.

QVÆSTIO III.

An in rei veritate possit separari vsus simplex facti ab omni vsu iuris, etiam in vsu consumptibilibus?

DIstinguendus hic est omninò duplex vsus Iuris: Alius est enim vsus Iuris Ciuilis mundani siue politici.

Alius

Alius eſt vſus iuris naturalis, vel iuris charitatis quod potiùs vocari debet, vſus rei licitus ſiue vſus non prohibitus, nullo reſpectu facto ad rationem Dominij:

Rurſum aduertendum: Vſum iuris Ciuilis duo includere. 1. Poſſe defendere etiam ciuiliter contrà quemcumque inuaſorem. 2. Poſſe rem in iudicio & extrà repetere à retentore iuxtà illud: *Ea in noſtris bonis habere dicimur quibus habitis defenſionem, & non habitis repetitionem habemus.* Vſus verò purè naturalis aut ſimplex nec iuridicam defenſionem habet, nec repetitionem, in quo eſt diſtinctio manifeſta.

CONCLVSIO.

SEcundum omnimodam veritatem vſus ſimplex facti poteſt ſeparari, & de facto ſeparatur ab vſu iuris, etiam in vſu conſumptilibus.

Hanc quidem Concluſionem docuit Nicolaus 3. *in cap. Exiit qui ſeminat.* Manifeſta eſt autem cuilibet intuenti: Nam & Filij familias vtuntur Parentum bonis, & cibis, in quorum bona ius nullum habent: & ſerui vtuntur cibo & veſtimentis conceſſis à Dominis ad eorum nutum ſine vllo iure. Vndè ius ciuile de acquirenda poſſeſſione l. Quidquid: *Quidquid Filius familias habet ex peculio, ſiue cibaria ſint, ſiue veſtes, ſiue pecunia,*

cunia, vel alia quæ vsu consumuntur, solum habet vsum facti & dominium, sed proprietas residet apud Patrem. Et Glossa. 12. q. 1. c. *Non dicatis: Numquid seruus (ait) dicitur poßidere vestem? Non videtur, quia vestis serui semper est de peculio Domini.*

Ità Frater Minor vtitur cibo, vestibus, libris, & aliis nulla proprietate, nullo iure ciuili, sed tantum licitè & velut iure naturali, vel permissione siue concessione fraternæ charitatis, nec ius defensionis habens, nec causam repetitionis.

Et in his ferè terminis credo totam Extrau. Ioannis 22. tergiuersari, quod nimirum non agnoscat alium vsum nisi cuiusdam iuris ciuilis, & velut dominij partialis siue modificati; cum tamen detur verè vsus simplex quo alieno vtor, Domino permittente, concedente liberaliter, & ex charitate sic volente: absque eò quod habeam ius aliquod ad rem vel in re, sed tantum permissionem siue licentiam.

Vndè rectè dicor licitè vti, non iure, quia iustitia nihil mihi donat in re vel ad rem, sed voluntas Domini permittit vt sua re vtar.

Petes. Vsus simplex rei supponit saluam rei substantiam quæ Domini est, quomodò ergò in vsu consumptibilibus vsus à Do-

Domino ſeparari poteſt? Reſpondeo, Antecedens non eſſe vniuerſaliter verum: datur enim vſus rerum quæ vſu non conſumuntur, & talis res non obſtante vſu, Dominorum ſunt, cum Dominus eas repetere poſſit, & conceſſionem reuocare: datur verò vſus rerum conſumptibilium, ſiue quæ vſu ipſo ex rei natura conſumuntur, & in his reſpectu perſonarum vtentium poteſt etiam ſeparari dominium ab vſu: quia Dominus ſicut rem ſuam per ſe conſumere poteſt, ſic vult per perſonas illas conſumi. Nec tamen perſonæ conſumentes in res ipſas ius aut dominium habent, ſed dependenter à voluntate Dominorum conſumunt; ſicut ſeruus qui de mandato Domini rem ex. g. veſtem conſumit, ius in rem ſiue veſtem manifeſtè non habet, ſed quod conſumptio rei ſiue veſtis cum Domini mandato ſiue licentia fiat, ipſius iure fieri cenſetur. Vndè quamdiu res exiſtit, Domini eſt, vbi deſinit, ex natura deſitionis & conſumptionis dominium perit, licitè autem perit quia de Domini voluntate perit. Et hæc cuilibet benè conſideranti ſunt manifeſta.

Ex dictis patet 1. Vſum ſimplicem facti ſine vllo iure in Ordine S. Franciſci eſſe ſanctum & pium, & ſecundum omni-

modam veritatem, in re morali, non ſubtilitate Mephaphyſicâ.

Vtuntur enim rebus nullam ex ſe & per ſe ſibi in illis vendicantes aut defenſionem iuridicam, & ciuilem, aut ſimilem repetionem. Licitè autem vtuntur rebus quidem permanentibus durante Domini permiſſione, licentiâ & voluntate,ità vt toties quoties reuocare dictam voluntatem poſſit (per accidens eſt autem quod actu non reuocet) quamuis & in facto ſæpius Pontifices reuocaſſe conſtet, & ea quæ vſibus Fratrum erant aliis tradidiſſe. In rebus verò vſu ipſo conſumptibilibus, & actu conſumendis, Fratres eas conſumunt tantum licitè, non iure, quia Domini eas tradunt, vt de voluntate & beneplacito eorum conſumantur, vt ſuprà dictum eſt. Et in moralibus de Filiis familias & ſeruis fuit exemplificatum.

Patet 2. Quod ſpectat ad paupertatem Chriſti & Apoſtolorum liberè dictum eſſe, & nonnullos interpretari ipſos in rebus quibus vtebantur ius aliquod habuiſſe: qui enim volenti perfectionem ſequi de ſeipſo dixit: *Vulpes foueas habent & volucres cæli nidos, Filius autem hominis non habet vbi caput reclinet.* Qui iterum ſuaſit: *vt tunicam tollenti non reſiſterent*: ille in ſe & ſuis

excel-

excellenter hanc paupertatem ſeruare debuit.

Cur enim non potuit Chriſtus & Apoſtoli fidelium & piarum mulierum quæ ſequebantur, imò & communis Eccleſiæ rebus, vti ad neceſſitatem ex ſolo beneplacito & voluntate miniſtrantium, ſecluſo à ſuis perſonis omni dominio? Imò, quid impedit vt diſpenſatores fuerint rerum in communem Ecelefiarum vtilitatem collatarum, & nihilominus in ſeipſis nullum ſibi ius arrogarint, ſed tantum obſequium & manum in alienis bonis impenderint, manente dominio penes Eccleſiam, & membra dominij capacia ſaltem in communi? Nec verba, eſſe, habere, diſpenſare, &c. verba dominij & iuris ſemper ſunt, ſed verba vſus etiam ſimplicis ſine vllo iure. Famulus enim certè & licitè habere dicitur quæ nomine ipſius Domini erogat, diſpenſat, conſumit.

Vndè iterum etſi Chriſtus loculos habuiſſe dicatur, non conuincit quod ius aliquod in illos habuerit, ſed ſufficit quod ex voluntate offerentium, ad doctrinam minus perfectorum qui in Eccleſia futuri erant ſolam diſpenſationem permiſſiuam habuerit: Et Apoſtoli qui ibant in ciuitatem vt cibos emerent, vt fidelium Mini-

ſtri de illorum voluntate & velut mandato (iterum ad doctrinam & condeſcenſionem minus perfectorum, qui in Eccleſia futuri erant) id feciſſe eadem libertate, imò maiori fundamento Apoſtolicæ perfectionis à Chriſto declaratæ, dici poſſunt.

Patet 3. Omnes ſubtilitates quæ in Extrau. Ioannis 22. referri poſſunt his veritatibus plenè apprehenſis cadere.

QVÆSTIO IV.

Penes quem in veritate maneat dominium, vel quæ dominij ſunt, rerum Fratribus Minoribus conceſſarum ad vſum?

CONCLVSIO.

Dominium rerum quarum vſum Fratres Minores poſſunt habere, vel eſt penes dantem ſiue concedentem, vel penes Romanum Pontificem. Patet *ex cap. Exiit qui ſeminat: de verbo: ſignis in 6. §. Ad hæc cum Fratres. Et Clement. Exiui de Paradiſo. §. Cum vir Sanctus.*

Et quidem penes dantem vel concedentem cenſetur dominium remanere, ſi ſibi reſeruauerit: ſin minùs ad Pontificem tam-

tamquam Patrē communem pauperum & ſpecialem tamen Fratrum Minorum. Hæc omnia in dictis Extrau. quæ ſpecialius poſteà enodabuntur.

Dices Ioannes 22. C. Ad Conditorem ſimpliciter huic dominio renuntiat. Reſpondeo 1. Alios Pontifices iterum reſumpſiſſe in ſe, vt Alexander 6. & alij: vt in Compendio Priuileg. verbo, Paupertas: Nouiſſimè *Vrbanus* 8. *anno* 1625. annullauit omnes declarationes & decreta ſuper ſtatu & obſeruatione Regulæ Fratrum Minorum, & voluit haberi tantum rationem declarationum *Nicolai* 3. *& Clementis* 5.

Reſpondeo 2. Etſi omnes Pontifices & totus mundus renuntiarent dominio rerum Fratrum Minorum: Frater Minor nihilominus non neceſſario fit Dominus, aut ius habet in res ſibi conceſſas, cum hoc ipſum eius acceptationem ſequi debeat: ipſe autem ſicut ſe incapacem omnis dominij agnoſcit, ſic nonniſi ad ſimplicem vſum acceptat, nec inuitè fieri Dominus poteſt, aut ius ad rem accipere.

Dices 2. Cuius ergò eſſent illa bona, ſi concedens & Summus Pontifex dominio & omni iuri renuntient? Reſpondeo: Non eſſe neceſſe vt ad alicuius dominium pertineant;

tineant; sint Dei, aut pro derelictis habeantur, sufficit mihi quod ego eis vtor simpliciter, & ius omne recuso. Vndè Hugo de Dina hoc c. *Soli* (inquit) *Deo acquiritur, cuius intuitu vel nomine offertur.*

Dices 3. Si in res vobis concessas aut vsui vestro donatas ius non habetis, cur ergò eas etiam in iudicio defenditis aut repetitis?

Respondeo 1. Fratrem Minorem non posse eas aut earum vsum nomine suo siue auctoritate repetere aut defendere.

Respondeo 2. Licere Fratri Minori prohibere volentem rapere, aut violenter auferre; imò & repetere non iure aliquo, sed naturali charitate, qua seruus Domini bona defendit, & ablata repetit, aut recuperare conatur, imò & quilibet prohibet furem, ne proximi bona inuadat, & iam ablata bona recipit, vt Domino reddat. Qualiter verò Fratres Minores debeant se gerere in similibus, suo loco dicetur.

QVÆ-

QVÆSTIO X.

An omnium rerum, quæ sunt apud Fratres Minores, Dominium Pontifex sibi assumpserit?

CONCLVSIO I.

OMnium rerum (quarum vſum facti Fratribus licet habere) Dominium Pontifex & Eccleſia Romana in ſe aſſumpſit (ſi modò dantes ſibi non retinuerint) *Ità expreſſè Nicolaus 3. C. Exiit qui ſeminat. a. 3. §. Ad hæc cum Fratres.* Vbi non tantum de vtenſilibus, libris, mobilibus, &c. ſed etiam de locis emptis, oblatis, &c. diſtinctè exemplificat: ſi ſecus donantes aut offerentes non exprimunt. Imò, vbi etiam donantes aliud expreſſerunt quoad domos & loca habitationis Fratrum, nihilominus Pontifex aſſumit in ſe Dominium & proprietatem Eccleſiæ, oratorij, & cæmiterij. Vide ibidem latiſſimè.

Dixi (quarum vſum facti Fratribus licet habere) quia *ididem §. Inſuper*, Pontifex, ſicut repudiat à ſe Dominium locorum & rerum in quibus concedentes ſibi proprietatem reſeruauerunt: ſic declarat Fratres non poſſe habere vtenſilia, aut alia ad vl-

lam ſuperfluitatem, diuitias, ſeu copiam quæ deroget paupertati, vel ad theſaurizationem, vel eo animo vt ea diſtrahant, vendant, nec ſub colore prouidentiæ in futurum, &c. ac conſequenter ea in ſuum Dominium non ſuſcipit. Iudicium tamen de ſupradictis relinquit Miniſtris & Cuſtodibus.

CONCLVSIO II.

RErum cæterarum (quarum vſum facti Fratribus licet habere) Dominium & proprietas penes donantes ſiue concedentes remanet, vbi ſuam explicauerunt voluntatem & intentionem. Ita Nicolaus III. vbi ſuprà. Quarum verò rerum vſum facti Fratribus liceat habere titulo ſequenti dicetur.

TITVLVS II.

De Paupertate quoad vſum.

QVÆSTIO. I.

An omnium rerum vſus ſimplex Fratribus Minoribus ſit permiſſus?

ADuertendum 1. Vſum pauperem, vel non pauperem, non includi in eſſentia Paupertatis. Ità expreſsè Clemens V. Cle-

V. Clement. Exiui de Paradyso. c. 11. §. *Dicere autem sicuti aliqui asserere perhibentur vsum pauperem includi, vel non includi, sub voto Euangelicæ paupertatis præsumptuosum & temerarium iudicamus.* Quæ verba sic exponit Gilbertus Nicolai *in tract. de decem plagis Paupertatis, radio* 6. Exemplo albi: Album enim nec includitur in ratione hominis, quia homo esse potest homo, & non esse albus: nec non includitur, quia potest esse albus. 1. potest adesse, & abesse; Ita vsus pauper nec includitur formaliter, nec excluditur formaliter, sed inesse & non inesse potest: Ille enim verè essentialiter pauper est, qui nullum omninò ius in rem habet.

Aduerte 2. paupertatem vsus & paupertatis vilitatem multum conferre ad perfectionem & decorem Euangelicæ paupertatis: Vnde essentiali paupertati, Regula Fratrum Minorum nonnullos arctos vsus addidit sub præcepto, reliquos relinquens consilio, & deuotioni perfectionem requirentis.

CONCLVSIO.

NOn licet Fratribus Minoribus omnium rerum vsum habere. Patet ex Regula quæ nonnullorum vsum prohibet, vt pecuniæ, denariorum: & Declarationes Pontificum latius exponunt.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Quarum Rerum vſus eſt prohibitus Fratribus Minoribus ex vi Regulæ?

CONCLVSIO I.

QVinque rerum vſus per Regulam expreſsè Fratribus Minoribus prohibetur.

Primus: abſolutè & ſine exceptione denariorum & pecuniæ c.4.

Secundus: extrà neceſſitatem: Vſus calceamentorum.

Tertius; vſus veſtimentorum prætioſorum: *Fratres omnes veſtimentis vilibus induantur.*

Quartus: Equorum extra caſum manifeſtæ neceſſitatis: *Et non debeant equitare, &c.*

Quintus: Procuratorum ad pecunias: *Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis, vt nullo modo pecuniam vel denarios recipiant per ſe vel per interpoſitam perſonam*: vbi interpoſita perſona rationem Procuratoris pro Fratribus gerit.

Ad hanc Procuratorum prohibitionem pertinet quod in Cap. 2. ponitur; Vt Fratres ſe non immiſceant diſpoſitioni bonorum Nouitiorum. Et dè his quinque vſibus loquitur Clemens V. §. *Ex præmiſſis*, vbi poſita

sita disputatione & altercationibus Fratrum de obligatione vel non obligatione ad arctos & pauperes vsus simpliciter resoluit: *Volentes itaque nos conscientiarum dictorum Fratrum prouidere quieti, & his altercationibus finem dare: declarando dicimus quod Fratres Minores ex professione suæ Regulæ specialiter obligantur ad arctos vsus seu pauperes qui in ipsorum Regula continentur, & eo obligationis modo, sub quo continet seu ponit Regula dictos modos, &c.* Hæc Clemens. Isti igitur sunt ferè modi qui sub præcepto Fratribus Minoribus iniunguntur.

QVÆSTIO III.

An ad alios vsus arctos seu modos Fratres Minores teneantur?

CONCLVSIO.

EX declarationibus Pontificum quinque sunt superaddita obligatoria ad peccatum mortale in vsu, & modis spectantibus ad paupertatem.

1. De non habendis, aut de non vtendo reditibus.

2. De non assistendo in curiis & processibus.

3. De non habendis Ecclesiis quasi Cathedralibus siue excessiuis.

4. De

4. De Exceſſu in ornamentis & paramentis Eccleſiaſticis.

5. De non exequendis teſtamentis & vltimis voluntatibus.

Hæc collecta ſunt à B. Patre Gilberto Nicolai *in tract. de decem plagis c. 3. radio 1.* ex declaratione Clementis V. *Extra. Exiui de Paradyſo.*

QVÆSTIO IV.

Quo iure dicti quinque modi Paupertatis obligent.

RAtio dubitandi eſt: quia Declarationes Pontificum non obligant nos ad culpam, niſi in quantum ex vi Regulæ obligamur, vt aliàs eſt dictum.

Neque enim Frater Minor aliter promittit ſecundum declatationes viuere, niſi quatenus Regulæ declaratiuæ ſunt.

CONCLVSIO.

EX circumſtantiis & adiacentibus Regulæ hæc 5. prohibentur & non ex mero præcepto Pontificio. Ratio eſt quia vel eſſentiæ ſtatus contradicunt, vel ſcandalum generare nata ſunt contrà Paupertatem vel modos in Regulâ expreſſos.

Ac

Ac 1. quidem: Reditus prouidentiam certam in futurum habet contrà ſtatum vt cap. 6. dicemus: Aſſiſtere in Curiis, ius quoddam & repetitionem iuridicam dicit contrà Paupertatem: Habere Eccleſias exceſſiuas & paramenta nimis ſumptuoſa vilitatem paupertatis deturpat & ſuperfluitatem, curioſitatem ac prætioſitatem includit: Immiſcere ſe teſtamentis & vltimis voluntatibus, pecuniæ & denariorum nonnullam diſpoſitionem ordinariè habet: quæ omnia, cum ſcandalis pateant, iure tamquam mala prohibentur.

Qualiter verò fieri aut non fieri poſſint in ſpeciali dicetur *c.6.Regulæ.*

Et hæc dicta ſint quoad paupertatem in genere vt ſequentia melius intelligi poſſint, & enucleatius tractari: Praxes & Abuſus ad ſingula præcepta vel eis adiacentia reponemus.

TEX-

TEXTVS I.

Præcipio firmiter Fratribus vniuerſis vt nullo modo denarios vel pecuniam recipiant per ſe vel per interpoſitam perſonam.

TITVLVS I.

De Pecunia & denariis.

QVÆSTIO I.

Quid intelligatur nomine Pecuniæ & denariorem?

DEnariorum nomine intelligi pecuniam ſiue monetam quæ ex metallis confici ſolet omnes conueniunt: de nomine verò Pecuniæ diſſenſio magna eſt inter Interpretes, & multorum ſcrupulorum ſeges conſcientiis timoratis.

Alij igitur Pecuniam dici volunt quidquid numerata pecunia eſtimari poteſt: quomodo dixit D. Auguſtinus: *Totum quod homines in terra poßident omnia quorum Domini ſunt, Pecunia vocatur, ſiue ſit ſeruus, ſiue ager, &c.*

Alij Pecuniam volunt eſſe omnem rem quæ procuratur & recipitur non vt Fratres

cà

ea vtantur immediatè, ſed eo animo vt commutetur in aliam, vendatur, vel diſtrahatur. Et ita Tab. Vic. Gen. quam ego ſententiam aliquandò ſum ſecutus in ſcripto altero in Regulam.

Alij pecuniam volunt eſſe id omne quod loco nummorum ſiue pecuniarum datur.

CONCLVSIO I.

DEnariorum nomine intelligitur Moneta, ſiue pecunia ex ſpeciebus quibuſdam metallorum publica auctoritate inſtituta, quatenus eſt formale inſtrumentum contractus emptionis.

Ità communiter interpretes nullo refragante.

Dixi (quatenus eſt formale inſtrumentum cōtractus emptionis.) Quatenus enim denarius eſt materiale quoddam metallū quod vſibus Fratrum Minorum cēdere poteſt, ſic denariorum nomine non comprehenditur, nec conſequenter eius receptio eſt interdicta. Quomodò licitè Frater Minor centum aureos recipere poteſt (ſecluſo ſcandalo & malitia omni ſepoſita) non vt genus aut ſpecies monetæ ſunt, ſed vt ex iſto auro calix conficiatur vel calices deaurentur. Quod tamen ob abuſus periculum & ſcandalum cauendum eſſet, & non recipiendum aurum niſi fractum vel fuſum.

CONCLVSIO II.

PEcuniæ nomine in Regula Fratrum Minorum non intelligitur quidquid numeratâ pecuniâ æstimari potest.

Ratio sumitur ex communi absurdo: quia sic Fratri Minori non liceret recipere vestes, cibos, ædificia, &c. Ista enim numerata pecunia æstimari possunt.

CONCLVSIO III.

NOmine pecuniæ in Regula Fratrum Minorum non potest intelligi res omnis quæ recipitur eo animo vt vendatur aut distrahatur, siue vt in aliam commutetur. Est contrà sententiam plurimorum, & maximè contrà eam quæ in Tab. Vic. Gen. reperitur.

Probatur verò 1. Ex simplici intentione Regulæ & S. Francisci; qui verba Regulæ voluit simpliciter intelligi eo modo quo communi loquentium sermone vsurpantur: atqui nomen pecuniæ communi loquentium sermone non sumitur pro eo quod recipitur vt vendatur, vel distrahatur, &c. ergò nec in Regula accipi sic debet.

Minor probatur: neque enim merces mercatorum pecunia nuncupantur, nisi fortè valdè analogicè quatenus per eas pecunia acquiri potest vel vt pecuniæ æquiualent.

Pro-

Probatur 2. ex Pontificum declarationibus: ſic enim Nicolaus 3 *in Extrau. Exiit qui ſeminat*, permittit Fratribus Minoribus acceptare legatum alicuius domus, agri, &c. Vt per perſonas idoneas vendantur, & pecunia in Fratrum neceſſitates expendatur: ergò legatum ipſum ſiue domus quæ acceptatur non eſt pecunia; ſed potiùs pecunia ex domus venditione conflatur, quæ tum demum per perſonas idoneas in neceſſitates conuertitur: ergò nec ſimiliter granum aut aliud quiduis (exceptis denariis) quod Frater Minor recipit, ad hoc vt per perſonas idoneas vendat, diſtrahat aut commutet, reputari debet pecunia formaliter, quamuis ex illa re pecunia conflari poſſit.

Cum imò Nicolaus 3. volens patenter diſtinguere res quæ legantur vt vendantur, à pecunia: pecuniam de rebus ipſis acceptam, à rebus diſtinguit, & legatum pecuniarium, à legato rei alicuius ad venditionem relicto.

Amplius idem Nicolaus 3. a. 6. agens de commutatione mobilium quæ expedit commutari, vult talium rerum commutationem fieri auctoritate Miniſtrorum: ergò tales res pecunia non ſunt cum nullam auctoritatem in pecuniaram diſpoſi-

tione ex Regula Miniſtri poſſint habere.

3. Per hanc Regulæ prohibitionem, iſtius rei quæ dicitur pecunia, prohibetur nobis non tantum poſſeſſio, ſed etiam vſus: atqui rei quam accipio vt vendam ex g. domus, &c. Vſus non eſt mihi prohibitus, ergò non intelligitur nomime pecuniæ.

4. Ex vi Regulæ poſſumus ſæpius nonnulla recipere vt vendantur vel diſtrahantur, ergò nomine pecuniæ non intelliguntur. Antecedens ſic clarè declaratur: licet Fratri Minori pictoriæ aut ſcriptoriæ artis perito, pingere imagines, ſcribere libros, ea intentione vt imagines & libri per perſonas ad hoc idoneas vendantur & diſtrahantur, vt ipſi & Fratribus pretium laboris in neceſſaria corporis applicetur: ergò imagines pictæ & libri ſcripti ea intentione quod vendantur ſiue diſtrahantur, pecunia dici non poſſunt. Antecedens patet: quia licet fratri pictori aut ſcriptori & intendere & recipere pretium laboris modò pecuniam non recipiat, ergò licet intendere vt vendantur & neceſſaria in ſpecie illi ſuppeditentur.

Dices 1. ergò licebit Fratri Minori quaſcumque res facere ea intentione vt vendantur vel diſtrahantur. Reſpondeo ne-

negando conſequentiam. Etſi enim pecunia non ſint, ex alio tamen capite talis receptio vel conquiſitio illicita eſſe poteſt ſicut & venditio & commutatio: Hoc ſpecialiter notarunt 4. Magiſtri cum Hugone de Dina *in hoc capite*, vbi cum retulerunt opinionem eorum qui dicunt nomine pecuniæ prohiberi receptionem rerum ad vendendum, commutandum, &c. *Iſti* (inquiunt) *capitula Regulæ non diſtinguunt, nec prohibitiones. Conſtat enim quod in ſequènti capitulo omnis rei proprietas interdicitur, ſed non vſus*, &c.

Qualiter verò huiuſmodi receptio intentione vtendi vél commutandi licita ſit vel illicita dicemus in Expoſitione cap.6.

Dices 2. Nicolaus 3. *a. 5. §. Si verò*: docet expreſſè Fratres non poſſe, ad res legatas, vt vendantur vel diſtrahantur recurrere, niſi eo modo quo recurrere poſſunt ad eleemoſynas pecuniarias, &c. ergò ſunt pecunia.

Reſpondeo negando conſequentiam. Etſi enim ſit idem modus recurſus, non idcircò pecunia cenſeri poteſt. Senſus enim Pontificis eſt, vt non recurrant Fratres ad ſimilia legata vel donata niſi in veris neceſſitatibus, præſentibus, vel imminentibus, &c. Cuius ratio eſt non quia pe-

dici non poteſt. Probatur conſequentia: Ex mente Sancti Franciſci; Licet Fratri Minori recipere granum, cibum, veſtem, &c. in mercedem laboris ſiue prætium, g. cibus, potus, veſtis, granum non ſunt pecunia: ergò quod loco nummorum & denariorum datur, &c. non eſt pecunia. Probatur conſequentia vltima. Quia granum, cibus, veſtis, &c. dantur licitè loco nummorum & denariorum Fratribus, qui tamen pecuniam recipere non poſſunt.

Nec valet quod à nonnullis dicitur, non dari æſtimato prætio. Si enim vera merces eſt, æqualitatem operis reſpicere debet, ſaltem ex natura mercedis, etſi non ciuiliter. Vndè & Sanctus Franciſcus in Teſtamento mercedem laboris vocat: *prætium laboris*. Licere verò etiam mercedem laboris æſtimato prętio recipere, declaro exemplo: Tradidit mihi Mercator pannum pro Fratribus induendis, cuius vlna vno aureo æſtimatur: licet Guardiano mittere dicto Mercatori poſtulanti Fratrem ſcriniarium, qui ſuo opere in gratiam illius operetur, deducto per dietas quaſlibet prætio illius panni. Iterum: Pharmacopola pro infirmis diſpenſauit pharmaca pretio 20. aureorum. Licet Fratri Minori induſtrio quærere herbas medicas, diſtillationes, ſyro-

pos, confectiones facere, & tradere dicto pharmacopolæ ad prætium 20. aureorum. Ratio est quia hoc est purè recipere mercedem & pretium laboris. Igitur quidquid recipitur à Fratre Minore loco pecuniæ simpliciter pecunia dici non debet.

CONCLVSIO V.

Pecunia propriè nihil est aliud quam id quo solent vti homines cum opportunum est ad prætium rerum emendarum. Ita 4. Magistri, & Hugo de Dina si quis præcisè eorum textum consideret.

Dixi (*Id quo solent vti homines*) nimirum publicâ auctoritate & communi consensu, vt includatur omne instrumentum siue medium quo omnes Nationes vti solent: Non enim omnes nationes vtuntur denariis vel moneta, sed aliis rebus: Sic enim legitur de nonnullis qui vtebantur officulis, &c.

Dixi (*ad prætium rerum emendarum:*) Pecunia enim propriè medium est contractus Emptionis, prout emptio est: Ad excludendum id quod datur in commutationem, compensationem, mercedem, & satisfactionem, &c. Si enim species pro specie alterius rei detur, commutatio est: Si pro interesse, compensatio: Si pro labore,

Mer-

Merces: Si pro furto, ſatisfactio, ſeu reſtitutio eſt.

CONCLVSIO. VI.

IN Regula Fratrum Minorum denarius & pecunia ferè ſynonyma ſunt, & pro eiſdem accipiuntur.

Probatur 1. Quia hæc eſt communis vſurpatio in modo loquendi: iuxta quam vult ſuam Regulam intelligi S. Franciſcus, quam etiam indicat diſiunctiuâ (*vel*)

2. Quia Nicolaus III. & Clemens V. iſta ſimul confundunt & pro iiſdem ſumunt, imò ſolo nomine pecuniæ vtuntur pro denariis, vt patet legenti declarationes; Quod non facerent ſi tanta diſtinctio eſſet: cum traditæ ab aliis diſtinctiones ſint fundamenta infinitorum ſcrupulorum, imò & grauiſſimorum dubiorum, ad quæ elucidanda ſuas Declarationes dederunt ſupradicti Pontifices.

Dixi (*Fere*) quia pecunia videtur nomen aliquantulum vniuerſalius ob nationes Barbaras ſi quæ reperiatur; quæ monetâ & denariis ſtrictè acceptis non vtantur.

Resolutio generalis & absoluta contrà scrupulos.

NEmo igitur pecuniam recipere censetur, nisi qui denarios recipit, quatenus sunt formale instrumentum emptionis rerum, siue quatenus sunt monetæ publicâ auctoritate institutæ. Quod si aliqua alia prohibeantur recipi vel vendi aut commutari, per alia præcepta Regulæ prohibentur, vt suis locis examinabimus.

QVÆSTIO II.

Quis dicatur recipere pecuniam siue denarios?

CONCLVSIO.

REcipere pecuniam siue denarios dicitur, qui quouis modò illam, siue in possessionem, siue in vsum quemcumque ciuilem, vel in auctoritatem acceptat.

Dico (in possessionem) & si enim in cap. 6. cuiuslibet rei possessio Fratribus Minoribus prohibeatur, hic tamen specialiter & specificatiuè possessio denariorum siue pecuniæ.

Dico (in vsum quemcumque ciuilē &c) Primò: vt includatur omnis omninò vsus siue

siue sit ad emptionem, rerum donationem, mutuum, cambium, depositum, ciuilem conseruationem, societatem, mercaturam, contractum politicum, thesaurizationem &c. Secundo: vt excludatur materialis siue naturalis tantum vsus vt in medicinam, in opus aliquod, quod ex metalli illius materia fieri debet, Item contactus aliquis purè materialis, vtpotè ad pecuniam à terra leuandam, ad materialiter illam de loco ad locum transferendam.

Dico (*in auctoritatem*): vt excludatur omnis omnino pecuniæ administratio etiam in aliorum gratiam siue, aliorum nomine factam.

Peccata contra hoc præceptum.

EX quibus conuincuntur iuxta rationem materiæ peccare mortaliter.

1. Qui pecuniam quouis modo sibi acquirunt, siue ad thesaurizationem quamcumque, siue ad vsum pro se.

2. Qui pecuniam recipiunt in alienum vsum vt eam dent alteri, vel in alterius, vt potè cognati vel affinis, aut amici necessitatem expendant.

3. Qui pecuniam in suas necessitates depositam in mutuum dant, vel sua auctoritate dari curant.

4. Qui

4. Qui ex illis Cambium faciunt.

5. Quod peius eſt, qui ad lucrum & intereſſe dari conſentiunt.

6. Qui in ſocietatem ſyndicis, vel aliis præſtant.

7. Qui eas apud ſe deponi ciuiliter permittunt, ita vt reddere de eis rationem teneantur.

8. Qui etiam alienas diſpenſant & adminiſtrant.

9. Qui denarios & monetam cudunt, quià monetam cudere eſt velut eà ciuiliter vti, & quaſi miniſtrare.

10. Qui clauem ciſtæ, cippi, vbi pecunia aſſeruatur retinent, etiamſi ciſtæ ſint in domo ſæculari.

11. Qui Computum ciuilem faciunt vel recipiunt.

12. Qui Cippos in Eccleſia exponunt.

13. Qui permittunt denarios deponi in aliquo loco domeſtico, vt poſteà ſæcularem etiam ſyndicum aduocent, qui eos accipiat.

14. Qui in ſua perâ dum ſunt in itinere recondunt, vt poſtmodum ſæculari, expendenda exponant.

Et multa id genus ſimilia contingunt, à quibus omninò abſtinendum erit Fratri minori.

Ex-

Exceptiones ab hoc præcepto.

PRimò: vbi eſt vſus tantum materialis, vt in opere aliquo, in medicinis &c. non peccat Frater Minor.

2. Vbi eſt contactus, & actio tantum materialis circà pecuniam. Quomodò licet Fratri Minori tempore belli vel inuaſionis aut ſpoliationis ciuitatis permittere ſæculari, vt in monaſterio, aut etiam cella (ſecluſo ſcandalo) pecuniam deponat vt ibi aſſeruetur: Non enim ſeruat pecuniam ciuiliter tamquam depoſitum ciuile, ſed tantum materialiter, & vt in genere eſt res ad proximum omnimodè ſpectans.

Similiter licet Fratri Minori prædonem ſiue furem cum pecunia aliena furto ablata fugientem, detinere, pecuniam etiam vi eripere, & domino furem inſequenti reddere: quia hæ omnes actiones non verſantur circà pecuniam, vt pecunia formaliter eſt, ſed vt in genere res proximi eſt.

Item licet Fratri Minori iter cum aliquo Mercatore agenti per locum aliquem latronibus obſitum, accipere burſam Mercatoris, & illam materialiter transferre, donec periculum Mercator euaſerit.

Petes 1. An liceat Fratri Minori pecuniam litteris alicuius ſæcularis incluſam ad ali-

ſius præciſè,ſed tantum in gratiam vel neceſſitatem ipſius per denominandum ab ipſo. Hoc prænotato:

Reſpondeo 1. Qui litteras obligatorias recipit quibus denariorum numeratio demandatur, ſimpliciter ratione litterarum pecuniam non cenſetur recipere. Ratio eſt: litteræ illæ verè pecunia non ſunt,ſed tantum inſtrumentum ſiue medium quo pecunia expendi ſiue numerari poteſt.

Reſpondeo 2. Non licere Fratri Minori recipere litteras obligatorias, quibus demandetur pecunia ipſi numeranda. Ratio eſt quia hoc modo quoad actum voluntatis internum videtur omninò in pecuniam conſentire: Niſi tamen ex ignorantia Mercatoris, ſine ipſius aſſenſu deliberato ſcedula data ſit. Tunc enim termini (aliàs malè ſonantes) intelligi deberent ſano modo, nimirum, vt pecunia numeretur eo modo quo Frater Minor capax eſt; vt pro eius neceſſitate expendatur.

Reſpondeo 3. Licere omninò vti litteris iſtis obligatoriis ad numerandas pecunias, ſi non fiant ſub nomine Fratris, ſed tantum vt in eius neceſſitates expendatur, etiam à perſona denominanda per ipſum. Ratio eſt quia litteræ illæ etſi ſint obligatoriæ reſpectu perſonarum quæ ad inuicem

cem ſcribunt, non tamen reſpectu Fratris Minoris; quia ille (vt ſuppono) ad numeratorem velut ad amicum ſpiritualem recurrit, idque pro neceſſitatibus ſuis. Sed de his infra.

Annotatio notabilis.

Aduertendum porrò hic eſt in caſibus ſupradictis etiam ex natura licitis cauendum eſſe ſcandalum puſillorum, qui interdum rei cauſas non attendentes, ex ſpecie externa actionum noſtrarum offendi poſſent: vnde peccaret faciens, non quia actio ex natura ſua eſſet illicita, ſed quia ſpeciem mali haberet. Vide præclara apud Hugonem de Dina hoc capite, vbi & ſuppoſiti caſus eleganter reſoluuntur.

QVÆSTIO III.

Quid ſit recipere pecuniam ſiue denarios per ſe, & quid per interpoſitam perſonam?

CONCLVSIO I.

Recipere denarios per ſe; eſt immediatè & in propria perſona illius poſſeſſionem vel vſum acceptare.

CON-

CONCLVSIO II.

Recipere denarios per interpositam personam dicuntur, qui sua anctoritate personæ committunt, quæ denarios recipiat suo nomine vel beneplacito quouis modo vel asseruandos, vel expendendos, vel administrandos: siue qui talem personam suo nomine sic pecunias recipere sustinet, aut consentit. Ratio est quia quod ab alio nostro nomine vel auctoritate fit, à nobis fieri censetur.

Vndè persona interposita censetur mediare inter donantem & Fratrem accptantem, estque velut persona Fratris, Fratrem repreſentans, & in eius quasi virtute recipiens. De qua plura infrà.

PECCATA.

Primò: per interpositam personam pecunias recipere conuincuntur: qui famulum proprium habent qui eas recipit de eorum mandato vel permissione.

Secundò: Qui iuridicum computum ab administratore exigunt.

Tertiò: Qui veluti Domini auctoritatiuè expendi mandant.

Quartò: Qui iuridicas quitancias dant.

Porrò quomodò liceat interdum personas nominare quæ pecuniam recipiunt, aut qualiter suâ synpraphâ testari re-

ceptam, & expenſam ſuis locis infrà dicetur.

QVÆSTIO

An in nullo caſu liceat Fratri Minori recipere denarios vel pecuniam?

CONCLVSIO.

IN ſola graui & extrema neceſſitate quandò aliter vitæ corporalis neceſſaria non poſſet habere, licet Fratri Minori, per ſe vel per interpoſitam perſonam recipere pecunias.

Ità declarat Nicolaus 3. ſumitque hanc diſpenſationem *ex iure poli & naturæ*, quo quilibet quouis modo tenetur vitam ſuam corporalem tueri.

Vndè & Hugo de Dina: *Cum duorum obligantium quæ diſpariter obligant emergens occaſio, alterum alteri reddit impoßibile, tunc id quod minus obligat neceſſe eſt alteri cedat. v. g. Minus obligat votum non recipiendi pecuniam, quam præceptum ſeruandi naturam, & ideò cum alio modo natura ſeruari non poteſt, pecunia & recipi & contrectari poteſt:* Nec *pecunia eſt illius qui ſic contrectat & recipit, ſed tantum vſus, neque vſus ſimpliciter, ſed ex cauſa ad tempus. Porrò ſoli Deo acquiritur cuius intuitu*

tuitu vel nomine offertur. Hæc Hugo de Dina: quæ latius proſequitur. Neceſſitates verò exemplificat, vt tempore perſecutionis, inter infideles & hæreticos. vbi & refert quod Chriſtus 1. quidem diſcipulis ad prædicandum miſſis ne quid in via tollerent prohibuit: inſtante verò Paſſionis tempore & Iudæorum perſecutione, ſacculos permiſit, &c.

ANNOTATIO.

IVxtà hanc Regulam huiuſmodi denariorum receptiones limitare, & regulare debent, qui ad hæreticorum regiones, vt eos conuertant, pergunt. Sed videant ne excedant, & in concupiſcentia accipiant, quod eis ſolo iure poli & pro naturæ conſeruatione permittitur: maximè vbi iam multi fideles non deſunt, qui eos & veſtire, & alere ſufficienter volunt.

TEXTVS.

Tamen pro neceßitatibus infirmorun, & aliis Fratribus induendis, per amicos ſpirituales, Miniſtri tantum & cuſtodes ſollicitam curam gerant, ſecundum loca & tempora, & frigidas regiones, prout neceßitati viderint expedire.

QVÆSTIO I.

Quid hoc Regulæ præcepto contineatur?

CONCLVSIO.

TRia potiſſimum hoc Regulæ præcepto comprehenduntur.

1. Datur ſpecialis quidam modus prouidendi neceſſitatibus infirmorum & aliis Fratribus induendis, nimirum per amicos ſpirituales, qui mediante pecuniâ, dictarum neceſſitatum ſolutionem faciant, abſque eo quod Fratres quouis modo pecuniam recipiant.

2. Deſignantur perſonæ, quibus ſollicita cura huius prouiſionis demandatur, cum aliarum perſonarum excluſione, cum dicitur

dicitur: *Ministri tantum & custodes sollicitam curam gerant.*

3. Assignantur & regulantur necessitates pro quibus hæc sollicitudo habenda est, nimirùm, *pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis, secundum loca, & tempora, & frigidas regiones, prout necessitati viderint expedire.* Quæ omnia latiùs in sequentibus Quæstionibus expendenda sunt.

QVÆSTIO II.

Qui dicendi sunt secundum Regulam amici spirituales?

ADuertendum est: quod quamuis secundum modum communem loquendi Benefactor, & Amicus spiritualis idem ferè significent; nimirum, personam quæ ex deuotione spirituali, quam ad Ordinem gerit, Fratribus benefacit; nihilominus in hoc Regulæ passu ex intentione Sanctissimi Patris minùs latè patere nomen Amici spiritualis quam nomen Benefactoris. Quod clarissimè patet: quia etsi liceat omnibus Fratribus ad Benefactorem accedere pro subleuandis necessitatibus per eleemosynas in specie: solis tamen Mi-

niſtris & Cuſtodibus licet ad amicos ſpirituales recurrere.

CONCLVSIO.

ILle ſolus per Regulam hoc loco dicendus eſt amicus ſpiritualis, qui ex amore Dei vel deuotione ad Fratres, ſpontè, vel rogatus, dat pecuniam ad ſatisfaciendum neceſſitatibus, quæ per pecuniam acquiri debent: ſiue ſit dans, ſiue ſubſtitutus aut ſubſtituti depoſitarius aut nuntius.

Patet ex Regulæ contextu, declarationibus Pontificum, & Expoſitoribus communiter.

Dixi (ſiue ſit dans, ſiue ſubſtitutus, aut ſubſtituti depoſitarius &c.) Quia quidquid agitur à dante in perſona propria agitur: quod verò à ſubſtitutis, etiamſi plures pro ratione negotij intercedant, hoc totum nomine dantium in pecuniarum expenſione agitur, vt declarat latè Nicolaus 3. Vndè & omnes illi nomine amici ſpiritualis intelliguntur.

Petes quare tales vocentur Amici ſpirituales? Reſpondeo id prudentia ſpirituali à S. Patre videri factum, vt excludatur omnimoda ratio debiti, ſic vt nullatenus qui pecuniam pro neceſſitatibus Fratrum donant aut expendunt debitores dici debeant: Etſi enim ratione eleemoſynæ quæ

pro

pro mercede & pretio laboris datur, Benefactores naturali quodam iure debitores dici possent, respectu tamen pecuniæ, nullatenus debitoris nomen illis competit, quia Fratres pecuniarũ vsus omninò sunt incapaces: idcircò qui pecuniam pro Fratrum necessitatibus largiuntur specialius Amici spirituales nuncupantur.

QVÆSTIO III.

An Syndicus ritè dici possit amicus spiritualis secundum Regulam.

Pro clara huius quæstionis resolutione.

Nota 1. Syndicos esse personas aliquas pias auctoritate Summorum Pontificum electas à Ministris Generalibus, Prouincialibus, vel Custodibus, respectiuè: quorum primarium officium est (iuxtà Declarationem Nicolai 3. *Exiit qui seminat. §. Cæterum: versu: Si res verò.*) Vt tamquam Oeconomi & Procuratores Sanctæ Sedis, Romanæ Ecclesiæ nomine reciperent res omnes mobiles vel immobiles, quarum vsum Fratribus licet habere: quique res huiusmodi (cùm ità expediret) venderent, commutarent, alienarent, & earum pretium in Fratrum necessitates expenderent.

Ex hoc primario officio additum est secundū à Martino IV.& V.ac etiam Paulo IV.vt nomine Romanæ Ecclesiæ recipere & iudicialiter repetere possint eleemosynas etiam pecuniarias modo licito ipsis Fratribus relictas seu testamento legatas.

Quod secundarium officium, Regulæ puritati non videtur officere posse, magis quam primum, cum ex illo velut radice procedat ex natura rei: Quod sic declaro: Si enim Regulæ non officiat quod Papa voluerit Syndicos eligi, qui nomine Ecclesiæ res Fratrum vsibus concessas, seu donatas in ius Romanæ Ecclesiæ reciperent, eas venderent, alienarent, &c. Non magis Regulæ puritati contrariabitur, si iidem res dictas in iudicio nomine eiusdem Ecclesiæ repetant; cum ad illum rem repetere iudicialiter spectet, qui in eam ius accepit. Similiter cum Papa tamquam communis Pater pauperum & Iudex ac Patronus piorum legatorum velit (vt testatur Nicolaus III. a.5.§.Si verò) vt legata & piæ decedentium voluntates impleantur. *Nam* (inquit) *& nos per modos licitos, & Fratrum Regulæ congruos, intendimus prouidere, quod hæredum cupiditas legitimis ictibus feriatur, ne pia defunctorum destituatur intentio, ac ipsi Fratres pauperes opportunis auxi-*

liis

liis non fraudentur. Hæc ibi. Cùm (inquam) Papa proprio motu voluerit iſtis prouidere, nihil eſt contrà Regulæ puritatem: ſi Martinus eius ſucceſſor per dictos Oeconomos & Procuratores Eccleſiæ fieri mandauerit, quod priùs per ſolos Prælatos & iudices ſæculares fieri conſueuerat.

Nec ex hoc vlla Regulæ impuritas ſequitur, cum omnia iſta non Fratrum, ſed Eccleſiæ Romanæ ſolo nomine fiant.

Porro tertium officium, occaſione relaxationis Fratrum, Syndicis eſt attributū, vt pecunias & quaſcumque eleemoſynas nomine Eccleſiæ reciperent, & eas prout à Fratribus requirerentur expenderent nullo habito reſpectu ad dantes. Ita conceſſit Paulus 4.

Quod quoad pecunias maximè, quam à puritate Regulæ & declarationum Papalium Nicolai 3. & Clementis 5. ſit alienum nouit qui apprehendit Papam & Romanam Eccleſiam nullas res in ſuum dominium accepiſſe, niſi eas quibus Fratribus vti licet Quomodò igitur Syndicus nomine Eccleſiæ recipiet pecunias, quarum vſus per Regulam Fratribus omnînò ex vi voti interdicitur? Vnde meritò contrà iſtam conceſſionem reclamauit Familia tota Ciſmontana, vt teſtatur Corduba, nec illa licet am-

plius vti, post declarationem Vrbani VIII. supra relatam *titulo* 1. *Proëmiali:* Quæ omnes annullat concessiones Declarationibus Nicolai III. & Clementis V. contrarias.

Nota 2. Syndicos non obstante eo quod sint in supradictis Procuratores & Oeconomi Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: posse etiam substitui à donantibus pecunias, vt eorum depositarij, Ministri & Actores, donec pecuniæ in res Fratrum vsibus competentes sint expensæ.

His igitur sic prænotatis: Sit.

CONCLVSIO I.

SYndici ex vi syndicatus non sunt Amici spirituales secundum Regulam. Ratio patet ex descriptione amici spiritualis, neque enim ad illos recurritur ex vi Syndicatus pro necessariorum solutione, vt ex supradictis constat.

CONCLVSIO II.

SYndici quia vt plurimum sunt depositarij & substituti donantium, ita vt ex consuetudine tamquam personæ fideliores & magis idoneæ à donantibus communiter substituantur, vel etiam iuxtà congruos modos in declarationibus expressos præsententur à Fratribus, vt nomine donantiū pecuniarias eleemosinas expendant in vsus Fratrum, hoc solo titulo dicendi sunt

Amici

Amici ſpirituales. Et hac fortè ratione communiter dicuntur *Patres Spirituales.*

Ratio iterum patet ex ſupradictis: ipſi enim nomine donantium pecuniam recipiunt, cuſtodiunt, adminiſtrant, quæ etiam pecunia tamdiu eſt donantis donec in res vſibus Fratrum legitimè conceſſas ſit conuerſa.

QVÆSTIO IV.

Quomodò diſtinguatur Amicus ſpiritualis à Perſona interpoſita per quam recipi pecunia prohibetur?

RAtio dubitandi potiſſimum ſumitur ex ratione Subſtitutorum ſeu depoſitariorum, quibus pecuniæ pro Fratrum neceſſitatibus expendendæ committuntur. Hi enim nomine Fratrum ſeu pro Fratribus recipere pecuniam videntur: Et donantes cum pecuniam illis numerarunt iam eam à ſe abdicaſſe videntur & eleemoſynam numquam deinceps repetendam Fratribus contuliſſe; vnde & Syndici qui (vt ſupra dixi) veluti Subſtituti pecuniam recipiunt, non rarò à vulgo Receptores dicuntur: Et depoſitarij pecuniam apud ſe depoſitam vocant pecuniam Fratrum; quin imò & Fratres ſolent vocare eleemoſynas ſiue pecunias conuentus.

CON-

CONCLVSIO.

AMicus ſpiritualis toto genere differt ab interpoſita perſona, per quam Fratres pecuniam recipere prohibentur. Probatur Concluſio : quia illa dicitur Perſona interpoſita, quæ nomine Fratrum recipit pecunias, eorum auctoritate & beneplacito expendendas : Sed Amici Spirituales ſiue ſint donantes, ſiue ſubſtituti & depoſitarij, nullatenus nomine Fratrum aut eorum auctoritate & beneplacito recipiunt aut expendunt pecunias, ergò non poſſunt dici Perſona Fratrum interpoſita.

Minor clariſſima eſt : imprimis quoad donantes, qui ſuo tantum nomine ſolutionem faciunt pro neceſſitatibus, quandò nimirùm immediatè ſuam pecuniam expendunt.

Patet amplius quoad depoſitarios & ſubſtitutos etiam ſi ſimul ſint Syndici : ipſi enim nec Fratrum nomine, nec beneplacito, nec auctoritate pecunias recipiunt aut expendunt, ſed nomine donantium & auctoritate : Ità vt pecuniæ dominium penes donantes remaneat, donec in Fratrum neceſſitates ſit conuerſa.

Ad rationes dubitandi reſpondeo imprimis negando pecunias recipi nomine Fra-

Fratrum. 1. Fratrum auctoritate: nisi illud (nomine Fratrum, aut pro Fratribus) intelligas accommodè, & sanè eo scilicet modo quo illud nomine Fratrum aut pro Fratribus recipi dicitur, quod in eorum necessitates est expendendum, quomodò etiam accipiendum est quandò dicuntur Pecuniæ Fratrum, aut Conuentus; si enim intelligas propriè, & in rigore; istæ propositiones sunt falsæ & erroneæ: si autem impropriè & quasi finaliter accipiantur, quatenus dictæ pecuniæ in necessitates Fratrum aut Conuentus sunt expendendæ: tunc sensus est verus & sanus. A talibus tamen propositionibus abstinendum; quamuis in hoc sæculares sint tolerandi, qui Regulam nostram non nôrunt. Receptores etiam Fratrum abusiuè & erroneè vocantur, & qui error est, vulgi est. Vide latè Declarationes Nicolai III. Vnde & Hugo de Dina: *Cum pecunia haberi dicitur pro Fratribus posita, ibi præpositio auctoritatem non dicit, sed vtilitatem, occasionem, vel causam, &c. O quam multa pro Fratribus, vel aliis passim, id est eorum causa, vel ratione, vel gratia fiunt, quæ auctoritate non fiunt, &c.*

Nec obstat quod donantes numerata vt dicitur pecunia, credant se illam totaliter à se abdicasse, sicque intendāt irrecuperabi-

liter

liter abdicare: Intentio enim illorum salubriter & meritoriè est interpretanda, nimirum legitimo modo secundùm exigentiam Regulæ nostræ: Nam vt benè Nicolaus 3. a.4.§. *Quia verò*. *Non enim* (inquit) *verisimile est aliquem eleemosynæ suæ, sine expreßione, modum illum velle præfigere, per quem & donans meritò, vel illi quorum neceßitatibus intendit per donum huiusmodi prouidere, vel effectu doni, vel suæ conscientiæ puritate fraudentur*. Quod & repetit §. *Si quod*, de Legato indeterminato, quod vult sic relictum intelligi, *ità quod nec legans meritò, nec Fratres ipsi effectu relicti fraudentur*. Sed esto erroneè donans velit pecuniam esse Fratrum, & depositarij erronèe illam vt Fratrum administrent: certè nec in hoc maculantur Fratres nescientes aut non consentientes: nemò enim inuitum me Dominum alicuius rei facere potest, aut me inuito, nomine meo illam administrare.

Petes. Cuius erit hæc pecunia? Respondeo mihi parum est cuius sit cùm mea non sit, nec meo nomine recipi velim. Habeatur pro derelicta, aut sit Dei, permitto autem liberè vt nècessitati meæ per illam prouideatur.

Hoc modo quandoque respondi in Cōuentu Luxemburgensi in quo Fideles solent

lent per ſepulturas mortuorum & altaria proiicere nonnullas monetas, etiam non obſtante & prædicatione & proteſtatione Patrum & Fratrum in contrarium. Si enim illas colligat pia aliqua perſona, & inde res aliquas neceſſarias, vel etiam pitantias adminiſtret, cum ibidem pro derelictis habeantur, quid intereſt Fratribus, cum iis inuitis, nomine ſuo colligi non poſſint, minus nomine ſuo expendantur? Faciat perſona colligens prout ſibi benè viſum fuerit: modò Fratres nec ſenſu nec conſenſu ſeſe immiſceant in pecuniæ illius expenſione.

TITVLVS II.

De Recurſu.

QVÆSTIO I.

In qua actione conſiſtat recurſus Miniſtrorum ad amicos ſpirituales iuxta Regulam?

RAtio dubitandi eſt: Quia nonnulli ad amicos ſpirituales ſemper recurri putant, ſi quod à Frarribus poſtulatur aut comparatur; à donante emi contingat. Ex. g. Frater oſtiatim mendicans petit panem: donans verò cum domi panem non habeat

beat mittit famulum qui apud pistorem panem emat & Fratri largiatur. Hoc modo dicunt Fratrem ad amicum spiritualem iuxta hunc Regulæ passum recurrisse, quia panis quem postulauit est pecuniâ emptus. Et similes casus infiniti occurrunt: vt cum Fratres per oppida quærunt siue colligunt butyrum, oleum, candelas: si quis illos mittat ad Mercatorem vt pro aureo rem eiusmodi mendicatam accipiant, eos ad amicos spirituales recurrere credunt. Quomodò passim Nobiles & Ciues Fratribus dicere interdum solent, vt pro vna certa summa carnes pro Fratrum victu in macello accipiant, aut vinum apud Oenopolas.

CONCLVSIO.

Recursus ad amicos spirituales iuxta hunc Regulæ passum nihil est aliud quam: Procuratio actualis solutionis, vel emptionis rei necessariæ quatenus mediante pecunia per personas idoneas fieri debet.

Dixi (Procuratio actualis) vt excludam solutionem vel emptionem spontaneam, quæ nullo interuentu vel requisitione Fratrum fieret.

Explico. Nobilis quidam sciens Guardianum comparasse pannum valoris centum

tum aureorum, ſponte, & ſine requiſitione Fratrum: mittit Mercatori centum aureos in ſolutionem dicti panni.

Item, Benefactor aliquis dicit Fratri ſua ſponte & deuotione: Ego omnia pharmaca quæ à Pharmacopola accipietis pro infirmis volo ſoluere. Item: totum vinum pro Miſſis per annum. Item: oleum pro lampade.

In his caſibus non cenſetur recurſus ad, ſeu, per amicos ſpirituales. Ratio eſt quia non eſt procuratio, ſed nuda acceptio ſpontaneæ oblationis, quamuis enim ſolutio & emptio mediante pecunia fiat, hoc nihil pertinet ad Fratres, quos ſuppono non interueniſſe. Vndè notanter dixi (ſine interuentu aut requiſitione Fratrũ; ſi enim Fratres quouis modo procurando aut requirendo interuenirent tunc procuratio actualis eſſet.

Porrò actualem procurationem requiri ad recurſum iſtum de quo in Regula patet ex verbis ipſius Sancti Patris Franciſci, qui hunc recurſum ſignificat per ſollicitam curam: *Miniſtri* (ait) *& Cuſtodes ſollicitam curam gerant*, &c. gerere enim ſollicitam curam, dicit actualem quamdam curationem.

Dixi (ſolutionis vel emptionis) qui

enim recurrit ad amicos ſpirituales pro re neceſſariâ; vel iam rem ſibi comparauit, & acquiritur illius ſolutio; vel res adhuc emptione comparanda eſt. Rectè verò dicitur (Procuratio ſolutionis vel emptionis) vt excludatur procuratio rei in ſpecie ſua, quamuis illa aliàs ematur vel per pecuniam ſoluatur.

Doctrina Notabilis.

NE quis verò putet hanc totam doctrinam ſuperiorem eſſe purè nominalem & metaphyſicam, non autem moralem & ſecundum litteram & intentionem S. Franciſci.

Aduerte 1. ex declarationibus Pontificum & Regulæ textu, Sanctum Franciſcum in Regula quatuor modos diſtinxiſſe quibus neceſſitatibus & commodæ Fratrum ſuſtentationi ac conſeruationi prouideri poſſet.

1. eſt: Per oblata liberaliter.

2. eſt: Per mendicata humiliter.

3. eſt: Per acquiſita laboritio, ſeu in mercedem laboris.

4. Qui eſt velut in ſupplementum aut ſubſidium in neceſſitatibus veris (quique Miniſtris & Cuſtodibus tantum relinquitur) eſt per recurſum ad amicos ſpirituales

les qui solutionem faciant, ant emant ea quæ nec oblatione, nec mendicatione, nec laboritio commodè acquiri possunt, ne Fratres in suo statu necessariorum penuria deficiant.

Aduerte 2. Hos modos ad inuicem ita distingui vt se inuicem nullatenus includant. In hoc verò distinguuntur, quod oblatio liberalis excludat procurationem actualem: Mendicatio humilis rem in specie gratuitò postulet, & procuret non habito respectu sitnè apud donantem, vel per pecuniam acquiratur.

Merces laboris procuratur actualiter ab eo qui naturaliter ex vi operis obligatur.

Recursus verò ad amicos spirituales ab oblatione gratuità distinguitur, quod sit procuratio actualis: à mendicatione, quod non sit rei simpliciter sed quatenus emptione vel solutione mediante pecuniâ est emenda: à mercede laboris quod non requiratur ex debito naturali vel à debitore, sed gratuitò & per amicos spirituales.

Ex quibus sic declaratis intellige 1. Tres priores modos, etsi concomitanter habeant aliquandò vt res per eos procuratæ emantur siue soluantur pecunia, esse per accidens, eò quod in sua specie apud offerentes, donantes, vel laboris mercedem

rependentes non exiſtant : procurationes tamen huiuſmodi prout ſunt à Fratribus Minoribus in natura ſua nequaquam emptionem , aut ſolutionem , aut reſpectum ad pecuniam includere. Quartum verò modum qui eſt recurſus per amicos ſpirituales non tantum concomitanter , ſed formaliter, effectiuè, ac per ſe includere intentionem , vt per perſonas idoneas ſeu amicos ſpirituales ſolutio aut emptio rei, mediante pecuniâ fiat.

Intellige 2. Magni referre in conſcientia noſſe hanc diſtinctionem & doctrinam de iſto recurſu. Cum enim (vt ſuo loco infrà dicemus) recurſus non ſit licitus, quandò prouiſio neceſſariorum aliter, ſufficienter , & commodè fieri poteſt, ad ſerenandas conſcientias multum valet cognoſcere, quantum prædicta diſtinguantur, ne quoties res mendicata à Benefactoribus emitur cum anxietate & ſcrupulo putetur eſſe inordinatus recurſus.

Reſolutio eorum quæ in ratione dubitandi ſunt propoſita.

EX dictis conſtat Reſolutio eorum quæ in ratione dubitandi proponebantur & aliorum multorum caſuum.

Fratres enim mendicantes panem, oleũ, bu-

butyrum, candelas, aut quiduis aliud sibi in vsu opportunum, (etsi donantes emant, vel eos ad vendentes mittant) recursum ad amicos spirituales (prout Regula intelligit) non habent, sed puram mendicationem.

Similiter cum aliqua persona dicit Fratribus vt in macello pro aureo carnes sumant, aut vinum apud Oenopolas, vel, oblationem esse si non petierint, vel, simplicem mendicationem si rem in specie postulauerint etsi contingat illam emi.

Similiter. Fundator aliquis dicit: Volo vobis ædificare Monasterium, etsi sciam illum non nisi mediantibus multis pecuniis ædificaturum: Oblatio gratuita est non recursus; quod si petiissem ædificari, mendicatio esset similiter, non recursus.

Iterum. Laborauit Frater Minor in vinea vel horto alicuius Ciuis: dicit illi Ciuis, vt in mercedem laboris accipiat pro se & suis Fratribus pro decem aureis carnes in macello, aut pannum apud Mercatorem. Hic non est reputandus recursus (de quo in Regula) sed pura acceptatio pretij laboris. Nec debent Fratres sibi formare scrupulum qnasi pecuniam recipiant: Aliud est enim valorem vnius aurei in aliqua specie acceptare, aliud aureum recipere. Sed hæc suo loco.

QVÆSTIO II.

Quo nomine recursus ille legitimè exprimatur?

QVidam exprimunt, nomine Procurationis pecuniæ.

Alij vocant recursum ad pecuniam.

Alij Procurationem solutionis congruæ, necessariorum.

Alij simpliciter Recursum ad amicos spirituales.

CONCLVSIO I.

REcursus ille, de quo in Regula, impurè vocatur recursus ad pecuniam; aut procuratio pecuniæ. Ratio est, quia hæc nomina prout sonant, indicant aliquem affectum, voluntatem siue intentionem Fratris Minoris ad pecuniam; quæ tamen omninò proscribenda sunt. Vndè S. Franciscus hunc recursum exprimere volens, consultò abstinuit à quauis expressione, siue appellatione pecuniæ, vt ostenderet omnimodam debere esse in Fratre Minore à pecunia elongationem. Quod & Summi Pontifices in suis Declarationibus fecerunt

CON-

CONCLVSIO II.

Legitimè hic recurſus vocatur: *Recurſus ad amicos ſpirituales, aut Procuratio congruæ ſolutionis neceſſariorum per Amicos ſpirituales*. Ratio eſt quia Frater Minor, etſi in his interueniat pecunia, in procuratione tamen ſua magis cum Amico agere videtur ad ſolutionem quam ad pecuniam: ità vt ſolutio quæ per pecuniam fit ab illo non attingatur, ſed per amicos ſolum fiat.

TITVLVS III.

De Perſonis recurrentibus.

QVÆSTIO I.

Quis poßit recurrere ad Amicos ſpirituales.

CONCLVSIO I.

Ex litterâ præciſâ Regulæ, ſoli Miniſtri & Cuſtodes poſſunt procurare pecuniam pro neceſſitatum congrua ſolutione. Patet ex verbis textus (*Miniſtri tantum & Cuſtodes*) quod etiam benè notauit *Nicolaus* 3.*a*.7. *Dictio* (ait) *illa*(*tantum*) *ſic miniſtros & Cuſtodes in hac cura perſtringit: quod ab ea cæteros excludere prima facie videatur,&c.*

TITVLVS IV.

De necessitatibus pro quibus recurri posit ad Amicos iuxtà Regulam.

QVÆSTIO I.

Quæ sint necessitates pro quibus possit fieri recursus ad Amicos?

CONCLVSIO I.

DVas tantum specificat S. Franciscus necessitates; pro quibus fieri possit recursus.

Patet ex textu Regulæ: *Tamen pro necessitatibus infirmorum, & aliis Fratribus induendis &c. Ministri & Custodes sollicitam curam gerant, &c.*

CONCLVSIO II.

SVb istis duabus necessitatibus in Regula expressis comprehenduntur omnes aliæ necessitates Fratrum istis similes. Ità expressè Clemens V. *c.4. §. Porro. n.2.*

QVÆSTIO II.

Qualis debeat esse necessitas vt Legitimus recursus fieri possit?

CONCLVSIO.

QVinque conditiones siue qualitates necessitatis huiusmodi ex Regulæ tex-

tu, & Declarationibus Pontificum, requiruntur.

1. Eſt vt ſit Vera.

2. Vt ſit præterita, præſens vel imminens, non tamen futura tantum.

3. Quod tempore quo procuratur, ceſſent eleemoſinæ indifferentes ex quibus ſolutio fieri poſſit.

4. Vt res procuranda non ſit commodè mendicabilis.

5. Quod neceſſitas ſit Fratrum & non aliena. De his omnibus, particulares Quæſtiones ſunt efformandæ.

QVÆSTIO III.

Quæ dicatur neceſſitas vera?

CONCLVSIO.

NEceſſitas vera dicitur quæ non eſt ficta, aut imaginaria, nimirum quandò res procuranda eſt ità neceſſaria, vt ſine aliquo detrimento maioris boni ſpiritualis, vel temporalis, perſona particularis vel Communitas illa cōmodè carere nō poſſit.

Pro cuius Concluſionis intellectu: Aduertendum 1. Duplicem eſſe neceſſitatem ex parte rei: Aliam abſolutam, ſiue naturæ: Hoc modo neceſſarius eſt homini ad vitam victus, neceſſarium eſt veſtimentum:

Aliam

Aliam secundum Quid, siue ex suppositione: Quomodo necessarij sunt Libri ad sapientiale studium, ad prædicationes: instrumenta ad hortos colendos. Quomodo generaliter Nicolaus III. *a.3.n.4.§. Insuper vtensilia*, docet vsus necessitatem secundum exigentiam personarum, & locorum attendi debere: *Cum*, (inquit) *de talibus personarum qualitas, temporum varietas, locorum conditio, & nonnullæ aliæ circumstantiæ, plus minusue, ac aliter prouideri requirant.* Quomodo etiam in Regula præcipitur Ministris, vt secundum loca, tempora, & frigidas regiones iudicent quid necessitati videatnr expedire.

Aduertendum 2. duplicem iterum necessitatem attendendam ex parte subiecti: Alia enim est personalis, quandò nimirum res procuranda alicui personæ singulariter necessaria est.

Alia est necessitas status siue Communitatis, quandò nimirum etsi vni aut alteri, aut pluribus res procuranda non sit necessaria, tamen est necessaria ad statum conseruandum vel Communitatem continendam. Explico exemplo: Vinum est necessarium alicui Fratri infirmo, debili, languenti, seni, ex itinere fatigato, vel in operibus grauioribus Religionis laboranti,

non

non tamen ſimpliciter Communitati. Similiter etſi carnes, & potus magis ſubſtantialis non ſint neceſſaria vni aut alteri Fratri qui leguminibus veſci, aquam vel tenuem ceruiſiam bibere poſſunt. Iſta tamen neceſſaria ſunt Familiæ, in qua multi infirmi, imbecilles, debilioris complexionis ſunt, qui iſtis auſteritatibus idcircò contenti eſſe non poſſunt.

Aduertendum 3. iterum duplicem nos ſtatuere poſſe neceſſitatem ex parte obiecti, cui ſatisfaciendum eſt. Alia eſt enim neceſſitas corporalis, quæ principaliter tria reſpicit: *Veſtimentum, Alimentum, Domum.*

Alia eſt neceſſitas ſpiritualis, quandò res procuranda iudicatur neceſſaria ad aliquod ſpirituale bonum faciendum, vel malum euitandum.

Ex hoc infero 1. non tantum in recurſu attendendam eſſe neceſſitatem corporalem, ſed etiam ſpiritualem.

Infero 2. Neceſſitatem non eſſe conſiderandam crudè & ſcrupulosè ex natura rei ſimpliciter, ſed magis ex circumſtantiis, quæ neceſſitatem inducere ſolent. Circumſtantiæ autem communiter occurrentes & attendendæ ſunt ſequentes: *Perſona, Locus, Tempus, Actiones ſiuè occupationes perſonarum.*

PER-

PERSONÆ.

Personæ quidem vtpotè quia infirma; ſenex, debilis, minus aſſueta modo viuendi Patriæ, grauis, & quæ (ſecundum Apoſtolum) duplici velut honore digna habeatur.

Huc etiam (iuxtà Cordubam ſpectat) Quod ſit perſona ſæcularis, vel benefactor, cui ex charitate teneamur, & qui noſtris quotidianis victitare non poſſit.

LOCVS.

Locus etiam inducit neceſſitatem: vtpotè quià inſalubris, aëris durioris aut intemperati, cui extraordinariis adminiculis ſit prouidendum: Item eſt neceſſitas Eccleſiæ in ſtructura, ornamentis, &c. Item: quia locus habet incolas tenaces, illiberales, aſperos, qui in ſpecie eleemoſinas non dabunt, pro quo etiam reſoluo dubium ſequens.

DVBIVM NOTABILE.

An Fratres relinquere vel mutare debeant loca, vbi non poßunt viuere ſine recurſu ad Amicos?

Ratio dubitandi eſt, quia iſti recurſus videntur eſſe ſaltem impuri, & contrà Regulæ perfectionem.

Reſ-

Respondeo nihilominus, Fratres vbi sine huiusmodi recursibus viuere non possunt, nec debere relinquere, nec scrupulosè locum mutare.

Ratio est, quia recursus ad Amicos (modò legitimè fiat) non est imperfectio Regulæ, nec dispensatio in Regula: sed est positiuus modus prouidendi necessitatibus, non tantum institutus & adinuentus, sed etiam demandatus à Sancto Francisco Ministris & Custodibus; vbi alij modi oblationum liberalium, mendicationum, vel mercedis laboris deficiunt: Vnde præcipiendo dicit in Regula: *Tamen pro necessitatibus infirmorum per amicos spirituales sollicitam curam gerant, &c.* Non minus itaque purè seruat Regulam qui deficientibus aliis mediis prædictis, recurrit pro necessitate ad Amicos spirituales, quam qui prouidet sibi per mendicationem quandò per illam necessaria conquirere potest, cum vterque modus sit per Regulam institutus, etsi modus recursus non liceat nisi altero deficiente, vt posteà dicetur.

TEMPVS.

Tempus necessitatem inducit: pluribus enim prouideri oportet tempore infirmitatis, vtpotè pestis inualescentis, quam

quam sanitatis; tempore hyemis quam æstatis; tempore quo ieiunio continuò vacant Fratres, quam tempore quo quibuslibet vescuntur.

Actiones siue occupationes.

PLuribus enim indiget & melioribus qui est ex itinere continuo defatigatus, & singulis diebus ambulare debet, quam qui est domi quietus. Item qui studiis grauioribus, Prædicationibus, Lectionibus quotidiè vacant, quam qui similibus non occupantur. Et infinita similia exemplificari possunt, quæ prudenti iudicio sunt trutinanda & expendenda, ex quibus etiam pendēt plurimorum dubiorum resolutiones. Vt, An possit recurri ad Amicos pro carnibus, vino, lautioribus nonnullis, quorum resolutio pendet ex consideratione necessitatis secundum rationem personarum, locorum, temporum, occupationum, & actionum: pendet etiam ex nonnullis infradicendis.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Quanta requiratur necessitas ad legitimum recursum?

CONCLVSIO.

AD legitimum Recursum ad Amicos (de quo in Regula) requiritur & sufficit necessitas accommoda.

Probatur ex verbis Regulæ, quæ postquam limitauit necessitatem, secundum loca & tempora & frigidas Regiones; addit: *prout necessitati viderint expedire:* Necessitas verò quæ & iudicio, & opinioni operantium, & expedientiæ relinquitur, non est stricta & rigorosa sed accommoda. Porrò cum necessitas accommoda dicat ordinem ad vsum etiam iuxtà diuersam rationem vsus Fratribus Minoribus competentis mensuranda erit.

Vnde aduertendum est diligenter, Fratres Minores ad duplicem vsum arctari, qui sunt: vsus rerum arctus, & penuriosus, & vsus rerum moderatus.

Vsus penuriosus & arctus rerum obligat in iis quæ in Regula exprimuntur, vt in vestimentorum vilitate, calceamentis, tunicarum paucitate, &c.

Vsus verò moderatus in cæteris aliis obli-

obligat quæ strictè in Regula non exprimuntur. Quam distinctionem clarè attigit & docuit Clemens V. in sua declaratione C. 11. §. *Ex prædictis.* Vndè & D. Bernardinus in Epistola missa ad familiam Italiæ anno 1440. vlt. Iulij. *Secundò* (ait) *non tenentur Fratres ad alium arctum vsum rerum quam qui in Regula particulariter exprimitur vt satis patet per Clementem V. in sua declaratione §. Ex præmissis, quin imò vt claret ex Declaratione Nicolai III. §. Porrò: Secundum Regulam & omnimodam veritatem moderatus vsus rerum, ad vitæ sustentationem, & officiorum sui status executionem (præterquam quod de pecunia dicitur) concessus est Fratribus.*

Ex quibus infero 1. In iis rebus quarum vsus arctus & penuriosus est Fratribus impositus ex Regula: necessitatem iuxtà hanc arctitudinem & penuriam debere mensurari. Ex.g. Cum ex Regula teneantur Fratres vilibus indui, non licebit recurrere ad Amicos spirituales pro panno subtili aut prætioso. Item cum tantum duas tunicas liceat habere non licebit Fratribus recurrere ad Amicos pro tunicis pluribus. Extrà casum, quo necessitas illos cogeret pluribus vti.

Infero 2. Semper peccatum esse & iuxta materiæ grauitatem mortale, recurrere ad

amicos pro superfluis, pretiosis, aut curiosis, quia talium vsus est omninò Fratribus, ex mente S. Francisci interdictus.

DVBIVM NOTABILE.

An in recursu ad Amicos æstimandus sit valor rei ad iudicium necessitatis?

SEnsus dubij est: An supposita vera necessitate recurrendi ad Amicos pro victu aut potu, non possim recurrere pro carnibus, relictis leguminibus, aut relicto lardo, recurrere pro gallina, pro vino, relicta ceruisia?

Respondeo: Quamuis sit perfectionis relicta re cariori eligere viliorem: ex vi tamen huius recursus non prohiberi pro meliore vel cariore recurrere, modo aliundè non sit prohibitum, vtpotè nisi rei vsus sit interdictus. Ratio est; quia recursus ad amicos non mihi arctat vsum rei, pro qua recurrendum est, sed tantum prouidendi modum simpliciter imponit: ergo si vsus rei non sit mihi interdictus, licebit recurrere, supposita vera necessitate recurrendi.

Vnde dixi (modò aliundè non sit prohibitum, &c.) potest enim aliundè ex ratione

tione immoderati vſus prohiberi: Ex. g. Non poſſum recurrere pro pretioſo panno relicto vili, quia vſus panni pretioſi eſt mihi prohibitus per Regulam.

Similiter non licebit mihi ad delicata cibaria, ad vinum pretioſum in qualitate aut quantitate, quæ delitias & immoderantiam ſapiat; quia vſus ſuperfluus & immoderatus eſt mihi prohibitus, *iuxta Declarationes Nicolai & Clementis*. Vbi ergò non eſt prohibitio, aut rei vſus per Regulam prohibitus, non videtur recurſus ad amicos ſpirituales damnandus.

Dices; Etſi ſit vera neceſſitas victus aut potus, non eſt tamen neceſſitas cibi aut potus carioris, cum per viliorem ſufficienter ſatisfiat huic neceſſitati.

Reſpondeo; ſicut duplex eſt neceſſitas ſtricta nimirum & accommoda: ſic dupliciter nos poſſe ſatisfacere neceſſitati; ſtrictè, ſcilicet, & accommodè.

Ex. g. victus neceſſitati, ſtrictè poſſum per legumina & olera ſatisfacere: quia tamen ex Regula non teneor rigoriſiſſimæ neceſſitati; poſſum dictæ neceſſitati; accommodè ſatisfacere per cibum præſtantiorem, modò maneam intrà terminos vſus rerum præſcriptos ex Regula mea.

Et res manifeſta eſt, quia aliàs non poſſet

aliquis recurrere in victu ad amicos ſpirituales, niſi pro pane & aqua, quia his in rigore homo viuere poteſt: & qui ſatisfacere poſſet ſibi de panno 20. ſtupherorum, non poſſet per huiuſmodi recurſum comparare pannum 30. ſtupherorum, etiamſi aliàs vilis pannus eſſet, quod eſt contra omnem ſenſum omnium Expoſitorum, qui aſſerunt vilitatem in indiuiſibili non conſiſtere. Porrò nullus ex hac mea reſolutione me magis laxum putet aut Regulam relaxatè exponere: hunc enim credo eſſe ſenſum litteralem ſecundum intentionem Sancti Franciſci: cum enim *c.* 4. indixiſſet Miniſtris & Cuſtodibus pro neceſſitate infirmorum, &c. per amicos ſpirituales ſollicitam curam gerere: nequis in rigore neceſſitatis hallucinaretur & ſcrupuloſis ageret, addidit: *Prout neceßitati viderint expedire*: vt manifeſtè oſtendat aliquam latitudinem eſſe in ratione neceſſitatis, & quamuis ſupponatur eſſe neceſſitas vera, ei non ſemper eodem rigore ſatisfaciendum; ſed ſicuti Miniſtri ſcilicet recurrentes prudenter iudicauerint expedire. Atqui ſanè etſi rigor in procuranda neceſſitate ex ſe ſit ſemper ſanctus; non expedit tamen ſemper ſummum rigorẽ ſequi, modò intrà terminos noſtræ Regulæ maneamus.

Hanc

Hanc verò totam doctrinam tradit *zelosissimus Regulæ defensor Gilbertus Nicolai*, cuius vita miraculis confirmata est, *in Libro quem de decem plagis Fratrum Minorum inscripsit, Cap. de plagis denariorum*, vbi sic loquitur: *Prætereà summè notandum est, quod necessitas in cibis Fratrum Minorum numquam fuit apud benè sentientes, & Regulam ad intentionem Sancti Francisci capientes obligatoriè modificata. Nam de omnibus cibis intus & foris liceat Fratribus manducare, &c. Vndè credo (secluso tamen semper scandalo) quod sine peccato (quamuis non cum tanto exemplo & meritò) ità liceat recurrere ad amicos spirituales pro gallina, sicut pro lardo. Patet quia necessitas in habendo quid manducemus, non est qualificata vel modificata; scilicet, quod tantum debeamus vti tali & tali, & non tali cibo.* Hæc ille.

QVÆSTIO V.

Penes quos resideat iudicium de quidditate, qualitate, & quantitate necessitatis?

CONCLVSIO.

IVdicium de quidditate, qualitate, & quantitate necessitatis penes Ministros & Custodes siue Guardianos residet. Ità

textus Regulæ; sicut necessitati viderint expedire. Similiter & Declarationes.

Præclaram verò habet doctrinam *S. Bernardinus in epistola nuper citata*, qua etiam quæ in Superioribus sunt dicta apertè confirmat. *In omnibus* (ait) *dubiis, quæ non possunt indubitanter declarari, subditi tenentur stare iudicio Prælatorum suorum. 23. q. 1. c. Qui inculpatur: Et propterea agentes contrarium, sunt transgressores obedientiæ, & benè à Superioribus censura Ecclesiastica aut alia conuenienti pœna castigentur.* Hæc ille. In superioribus verò dixerat: *Superfluitas & curiositas non debent discerni respectu certæ necessitatis seu vsus certi quoad statum Fratrum Minorum, sed moderati, cum vsus moderatus nequeat dici superfluus & curiosus ac consequenter nec vitiosus,* &c.

QVÆSTIO VI.

Quæ dicatur necessitas præterita, præsens, vel imminens?

CONCLVSIO I.

PRæterita necessitas dicitur, quandò quærenda est solutio pro rebus iam emptis vel acquisitis. Vt si sint soluenda ædi-

ædificia prius iam facta, satisfaciendum pro pannis iam in præterito emptis.

CONCLVSIO II.

PRæsens necessitas, est rei indigentia in præsenti, ità quod non detur locus expectationi. Et hanc vocat *Nicolaus* 3. *a*.3. *Necessitatem quæ pro tempore occurrit.*

CONCLVSIO III.

IMminens necessitas quæ iam de propinquo apparet, & quasi incipit esse, siue breui præuidetur certitudinaliter euentura.

Dupliciter verò necessitas imminere dicitur. 1. Quandò etsi non ex toto, iam tamen secundum sui partem incipit esse. Vt incipit murus cadere, & ruinam minatur; incipiunt necessaria Fratribus in victu deficere. 2. Quandò necdum incipit quidem, certudinaliter tamen euentura est, maximè si prouisio requirit temporis tractum; vt (*iuxta Nicolaum* 3.) quandò libri sunt scribendi, ædificia ad vsum habitationis construenda, panni in locis remotis emendi.

QVÆSTIO VII.

Quæ dicatur necessitas tantum futura, pro qua non licet ad Amicos Spirituales recurrere?

CONCLVSIO.

ILla necessitas dicitur futura tantum, quæ in euentu suo vel certitudinem non habet, vel non nisi post multum temporis, cum tamen ei prouideri possit in instanti quando eueniet, aut breui saltem tempore.

Dixi (quæ in euentu suo certitudinem non habet) vt quià nimirum æquè potest non contingere sicut contingere, esse vel non esse: velut si quis procuraret pecuniam deponi quià fortè infirmus fiet, quia annona & bella timentur, & in confuso, quia multæ necessitates ex charitatis defectu contingere solent. Quæ sunt deliria nonnullorum, qui semper thesaurizant timentes ne super eos repentina egestas irruat.

Dixi (vel non nisi post multum temporis &c) quandò enim res procuranda necessariò tractum temporis annexum non habet, sed breuissimo tempore acquiri potest, tunc censetur tantum futura, & peccat mor-

mortaliter iuxtà rationem materiæ, qui permittit vel procurat deponi pecuniam pro tali neceſſitate. Sic peccat qui anno præcedenti procurat deponi pecuniam, vt in anno ſequenti emi curet cibum pro Fratribus.

Petes; Quo præcepto Regulæ prohibetur Fratribus pro futura tantũ neceſſitate recurrere ad amicos? Reſpondeo: Ex ipſo præcepto, quo præcipitur vt pro neceſſitate recurrant. Quæ enim eſt tantum futura neceſſitas, vera neceſſitas non eſt, ſed tantum aut eſſe poteſt, aut erit.

QVÆSTIO VIII.

An debeat neceſſitas determinata eſſe?

Ratio dubitandi eſt, quia quæ determinata non eſt, non videtur poſſe dici præſens vel imminens, ſed potius in confuſo futura, & velut determinanda.

CONCLVSIO.

Neceſſitas debet eſſe in ſe determinata, non tamen in mente Fratris procurantis.

Dixi (in ſe) quia ſicuti propoſitiones non cenſentur veræ, niſi quia ſunt vel determinantur ad vnam de præſenti & de ineſſe:

inesse: sic necessitas vera dici non potest, nisi in singulari & in se denotet seu dicat vnam certam indigentiam. Ex.g. Frater Minor non dicitur necessitatem habere, nisi quià in singulari indiget panno, cibo, pharmacis &c.

Dixi (non tamen in mente Fratris procurantis) modò enim vera indigentia subsistat, non est necessarium vt ad vnum se procurans determinet, vt potè, quia sunt plures. Ex.g. Indiget Guardianus panno, tela, restauratione ædificiorum, pharmacis, cibis: sufficit vt in genere apprehendat se veras necessitates habere & si non determinet se ad hanc vel illã, quia variæ sunt, nec omnes ità determinatè concipi possunt; Et pecunias prò similibus necessitatibus depositas vocat Nicolaus iij. Eleemosinas indifferentes, non quià indifferentes sunt ad necessitatem simpliciter, sed ad has vel illas necessitates in indiuiduo.

ABVSVS.

Contrà Regulam igitur peccant, qui pecunias indifferenter deponi procurant, vbi necessitas in se determinata non est, & saltem in genere apprehensa: ità vt posteà laborent vt inueniant in quod impendant: vnde tunc demum ædificia noua exco-

excogitant, aut veterum immutationes, aut ampliationes, ornamenta superflua &c. vt nomina sua vocent in terris suis.

QVÆSTIO IX.

Quando dicantur cessare Eleemosinæ de quibus solutio fieri posset?

CONCLVSIO.

TRibus ferè modis cessare eleemosinæ dicuntur, ex quibus solutio fieri possit.

1. Quandò de facto nullæ sunt.

2. Quandò etsi sunt, pro aliis tamen certis necessitatibus determinatæ sunt.

3 Quandò etsi indifferentes, etiam depositæ sint, sunt tamen aliæ necessitates, quæ etiam pro tempore per illas expediendæ sunt.

Qui igitur eleemosinis, prædictis modis non cessantibus, ad amicos spirituales recurrunt, contrà Regulam peccare notoriũ est.

ABVSVS.

HInc peccat, qui, & si sufficientes eleemosinæ indifferentes sint quibus, huic necessitati satisfiat, nec aliæ necessitates premant

mant,nihilominus ad amicos, pro eleemosina pecuniaria, recurrunt.

Peccant amplius qui iam determinatas eleemosinas pro hac necessitate habent,& nihilominus pro eadem adhuc vel deponi permittunt vel procurant,ità vt aliquandò tres vel quatuor personæ solutionem pro eadem re donent.

Nec excusari possunt qui solutionem rei prius factam, per posteriorem procurationem quasi refundunt. Ex.g. Indiget Ecclesia vna fenestra vitrea, Guardianus per eleemosinas indifferentes apud amicum spiritualem depositas illam curat fieri & solui: post aliquod tempus amicus superueniens fenestræ vitreæ sua insignia apponit vel sponte vel rogatu Fratrum, & pretium vitreæ iterum deponit, quod velut in refusionem solutionis prius factæ Guardianus deponi permittit; Peccat. Quià verè necessitas non fuit, cum vt supponitur vitrea ex eleemosinis indifferentibus prius soluta fuerit, Ex hoc casu similia deducant, qui coràm oculis Dei quandoque falsis prætextibus sibi in similibus adblandiuntur.

D V-

DVBIVM NOTABILE,

Reſtat verò hic quoddam dubium quod à multis mouetur: Quid faciendum quando plures neceſſitates ſunt, quibus omnibus expedientes eleemoſinæ iam depoſitæ non ſufficiunt, cui ex omnibus de eleemoſinis dictis primo loco ſit ſatisfaciendum; Siue: An pro quacumque neceſſitate liceat iterum eleemoſinam procurare?

Hic multi conſtanter affirmant ſeruandum ordinem prioris & poſterioris, ità vt quæ prius expediendæ ſunt per eleemoſinas depoſitas expediantur,& demum pro poſterioribus eleemoſina procuretur. Ex. g. Eſt neceſſitas pannos emendi pro veſtimentis; Eſt & alia neceſſitas domum reſtaurandi,nec eleemoſinæ ad vtramque expediendam ſufficiunt; prius(inquiunt)per depoſitas eleemoſinas debet fieri ſolutio pannorum, & demum procuranda noua eleemoſina pro reſtauratione domus: quia neceſſitas veſtiendi Fratres prior eſt, quam neceſſitas reſtaurandi domum, ſicut neceſſitas infirmorum prior eſt quam neceſſitas induendi Fratres. Verum hanc nimis ſcrupuloſam arbitror conſiderationem.

Reſpondeo itaque & dico, quod vbi ſunt

ſunt plures neceſſitates omnes verè; omnes vel præteritæ vel præſentes vel imminentes quibus non ſufficiunt eleemoſynæ depoſitæ, cæteris paribus, nullam attendendendam eſſe ex obligatione prioritatem ſolutionis, vel procurationis, ſed id libertati, & diſcretioni Superioris relinquendum, ſiue vt ex depoſitis vel priori, vel poſteriori ſatisfaciat, ſiue etiam pro priori vel poſteriori nouam eleemoſynam procuret. Vndè in exemplo allato licet procurare nouam eleemoſynam pro induendis Fratribus, & depoſitam reſtaurationi domus applicari. Ratio eſt quia etſi nonnulla in iſtis neceſſitatibus ex natura rei videatur prioritas: Nuſquam tamen vel ex Regula vel ex Declarationibus Pontificum apparet obligatio, cur ad hanc prius tenear quam ad illam, cum Frater poſſit interdum lubentius ſuſtinere lacerum habitum, quam ſtillicidium tectorum & domum ruinoſam. Imò cum præterita neceſſitas, præſentem ex natura rei præcedat, ſæpius congruum eſt, vt præſenti vel imminenti prius ſatisfiat, quam præteritæ: Ex. g. Debeo Mercatori ſolutionem pannorum iam pridem emptorum, eſtque eleemoſyna indifferens depoſita ſufficiens ad iſtam ſolutionem: Cæterum tectum domus ex ingruente pluuia

pa-

patitur ſtillicidium, cui niſi ſtatim occurram, ædificium graue damnum patietur: Poſſum ex eleemoſyna depoſita curare, tectum reſtaurari, & demum aliam eleemoſynam pro pannis procurare. Vndè patet prioritatem neceſſitatis non obligare niſi penes arbitriũ prudens: iuxtà quod etiam aliquando imminens neceſſitas poteſt præferri præſenti.

Igitur ſemper, cæteris paribus, poſſum procurare eleemoſynam & ſatisfacere ex depoſitis ſine delectu, quandò plures neceſſitates concurrunt: idque ſine vllo conſcientiæ grauamine, cum nulla appareat obligatio.

Dixi (cæteris paribus) quia in caſibus aliquibus poſſet eſſe crudele vel contrà charitatem & iuſtam ſollicitudinem vnam neceſſitatem alteri præferre: vt, ſi infirmus hoc inſtanti vel tempore egeat pharmaco; teneor ſtatim ex depoſitis indifferentibus curare magis quàm in procuranda noua tergiuerſari; etiamſi aliæ neceſſitates ſint.

QVÆ-

QVÆSTIO X.

Quandò dicatur res incommodè mendicabilis?

CONCLVSIO.

RES tunc dicenda eſt incommodè mendicabilis, quandò non poteſt mendicari, niſi cum multa diſtractione, diſcurſibus, indeuotione, vel detrimento boni ſpiritualis.

Commodè verò mendicabilis è contra dicitur, quandò ſine aliquo graui incommodo, per verecundam & humilem mendicationem res obtineri poteſt. Si igitur res commodè mendicari poteſt, per amicos ſpirituales mediante pecunia procurari non poteſt. Ratio eſt; quia tunc vera neceſſitas non eſt recurrendi, cum alio modo commodè res haberi poſſit. Quod autem dicitur de commodè mendicabili, idem ſentio de eo quod per oblationem liberalem commodè haberi poteſt, vel per laboritium. Vbi enim priores illi modi obuij ſunt, res verè neceſſaria non eſt ad recurſum, eadem ratione quæ ſupra contrà militante.

ABVSVS.

MEritò igitur peccati mortalis iuxtà materiæ qualitatem damnandi ſunt, qui ſine delectu, pro rebus quibuſcumque neceſſariis ad pecuniarum expenſionem recurrunt: cum tamen multas ex illis per humilem mendicationem, vel etiam aliis modis ſupradictis habere poſſent.

In altero tamen extremo valdè imprudenter procedunt, qui omnia ſcrupuloſius volunt per mendicationem etiam incommodam & laborioſam habere, non attendentes per diſcurſus, & longas abſentias Fratrum, & contubernia ſæcularium, deuotionis & ſanctæ orationis, ac operationis ſpiritum extingui; quem melius erat domi in Eccleſia & exercitiis ſpiritualibus & accendere & fouere. Nec ſibi de mente Sancti Franciſci adblandiantur: Si enim S. Franciſcus ità laboritium Fratribus temperauit, vt deuotè laborantes ſpiritum deuotionis non extinguerent: ſine dubio eodem modo nos mendicare noluit, mendicatione quæ deuotionis ſpiritum exſtinctura eſſet, cui debent cætera temporalia deſeruire. Ergo & mendicatio temporalium, & quælibet eorum conquiſitio deuotioni ſeruiat, ne & Regulæ contrarij ſimus

quæ *ſuper omnia ſpiritum Domini & eius ſanctam operationem* commendat: & Scripturæ, quæ: *Quærere primum Regnum Dei & iuſtitiam eius* nos inſtruit.

QVÆSTIO X.

Quomodo intelligenda ſit quinta conditio: vt neceſsitas ſit propria non aliena?

CONCLVSIO.

NEceſſitas illa dicitur propria non aliena: quæ eſt vel Fratrum in perſona, vel eorum causâ & occaſione, & non ſæcularium vel perſonarum alterius ſtatus. Ratio iterum iſtius conditionis eſt, quia quæ alterius neceſſitas eſt, propriè nobis neceſſitas non eſt, & textus Regulæ de Fratribus loquitur, & Fratrum neceſſitatibus.

Per Fratres autem intelliguntur non tantum qui ſunt ſubditi aut de familia Superioris quæ eleemoſynam procurat, ſed etiam hoſpites iter agentes, aut quilibet Ordinis Fratres, qui ad noſtram curam vel charitatem aliquo modo pertinent.

Dixi (quæ eſt vel Fratrum in perſona, vel eorum causâ & occaſione): quia quæ causâ & occaſione Fratrum neceſſitas eſt, pro-

propria dici debet & non aliena. Ex. g. Sæcularis in opere Conuentus laborans ex charitate grauem sibi intulit læsionem; possum quærere eleemosynam pro solutione medicaminum & Chirurgi, quia illa necessitas occasione Fratrum est orta, & ità de similibus.

Addit Corduba in c.4.q.7. licere Fratri recurrere ad amicos spirituales pro sustentatione parentis in graui necessitate existentis: item pro solutione debitorum in sæculo contractorum: quia hæc necessitas videtur propria, quod ad illam subleuandam iure naturali & diuino teneatur. Verum etsi casus illos probabiles sentiam, non isto tamē fundamento, quod sint propriæ, quia necessitates sunt verè alienæ, non enim sunt Fratrum vt Fratres sunt; nec obligationes à Fratribus Ordinis verè sunt contractæ: sed magis, quia præcepta Regulæ, obligationes iuris diuini & naturalis (vtique superioris rationis) tollere non possunt.

TITVLVS V.

De legitimâ pecuniarum in necessitates Fratrum Minorum expensione & administratione, & de modis legitimè recurrendi.

QVÆSTIO I.

Quot modis pecunia soleat pro Fratrum necessitatibus assignari, & penes quem sit eius Dominium?

CONCLVSIO I.

SEx ferè modis pecunia solet assignari in Fratrum necessitates expendenda.

1. Per mutuationem.

2. Per oblationem omninò spontaneam, nullo Fratrum interuentu. Vt si quis sponte pecuniam offerat vel deponat.

3. Ex requisitione & procuratione siue mediante Fratrum recursu; vt cum quis rogatus offert.

4. Intuitu mercedis vel laboris; vt quando ratione Missarum, Prædicationum, laboritij alicuius offertur.

5. Ex legato siue testamento. Vt si quis summam pecuniæ in Fratrum necessitates Testamento relinquat.

6. Ex

6. Ex coactione Iudicis: vt si Iudex reum condemnet, vt centum aureos in mulctam pro Fratrum Minorum necessitatibus donet.

CONCLVSIO II.

PEcunia quomodolibet oblata siue assignata pro Fratrum Minorum necessitatibus in eius dominio manet, (quamdiu viuit,) cuius fuit, quandò legitimè oblata, vel assignata est, donec in res, quibus Fratres vti possunt, sit expensa.

Hæc Conclusio expressè declarata est à *Nicolao* 3. c. *Exiit*. a. 4. §. *Cæterum*. *Ità tamen quod penes ipsum dantem dominio, proprietate, ac possessione ipsius pecuniæ cum libera potestate reuocandi sibi pecuniam ipsam, semper vsque ad conuersionem ipsius in rem deputatam plenè, liberè, & integrè remanentibus in ipsa pecunia nihil omninò* Fratres *iuris habeant, nec administrationem, seu dispensationem*, &c. Hæc ibi, quæ etiam frequentius *toto isto* §. *repetuntur*.

Dixi (quamdiu viuit) propter casus duos qui in dicta Declaratione exprimuntur.

1. Est, *Quod si antequam ipsa pecunia in licitum rei habendæ vel emendæ commercium sit conuersa, concedentem pecuniam mori contigerit: si concedens in concedendo dixerit: quod persona deputata pecuniam ipsam in necessarium*

 vsum

TITVLVS V.

De legitimâ pecuniarum in necessitates Fratrum Minorum expensione & administratione, & de modis legitimè recurrendi.

QVÆSTIO I.

Quot modis pecunia soleat pro Fratrum necessitatibus assignari, & penes quem sit eius Dominium?

CONCLVSIO I.

Sex ferè modis pecunia solet assignari in Fratrum necessitates expendenda.

1. Per mutuationem.

2. Per oblationem omninò spontaneam, nullo Fratrum interuentu. Vt si quis sponte pecuniam offerat vel deponat.

3. Ex requisitione & procuratione siue mediante Fratrum recursu; vt cum quis rogatus offert.

4. Intuitu mercedis vel laboris; vt quando ratione Missarum, Prædicationum, laboritij alicuius offertur.

5. Ex legato siue testamento. Vt si quis summam pecuniæ in Fratrum necessitates Testamento relinquat.

6. Ex coactione Iudicis: vt si Iudex reum condemnet, vt centum aureos in mulctam pro Fratrum Minorum necessitatibus donet.

CONCLVSIO II.

Pecunia quomodolibet oblata siue assignata pro Fratrum Minorum necessitatibus in eius dominio manet, (quamdiu viuit,) cuius fuit, quandò legitimè oblata, vel assignata est, donec in res, quibus Fratres vti possunt, sit expensa.

Hæc Conclusio expressè declarata est à *Nicolao* 3. *c. Exiit. a.* 4. §. *Caterum. Ità tamen quod penes ipsum dantem dominio, proprietate, ac possessione ipsius pecuniæ cum libera potestate reuocandi sibi pecuniam ipsam, semper vsque ad conuersionem ipsius in rem deputatam plenè, liberè, & integrè remanentibus in ipsa pecunia nihil omninò Fratres iuris habeant, nec administrationem seu dispensationem*, &c. Hæc ibi, quæ etiam frequentius *toto isto* §. *repetuntur*.

Dixi (quamdiu viuit) propter casus duos qui in dicta Declaratione exprimuntur.

1. Est, *Quod si antequam ipsa pecunia in licitum rei habendæ vel emendæ commercium sit conuersa, concedentem pecuniam mori contigerit: si concedens in concedendo dixerit: quod persona deputata pecuniam ipsam in necessarium*

vsum Fratrum expenderet, quidquid de ipso concedente viuendo vel moriendo contigerit, siue concedens huiusmodi hæredem reliquerit siue non, possint Fratres ad personam deputatam (non obstante concedentis morte, vel hæredis contradictione) pro ipsa pecunia expendenda recurrere, sicuti poterant ad ipsum Dominum concedentem. Hæc ibi. In quo casu vel Pontifex assumit, vt Pater communis, dominium istius pecuniæ post mortem concedentis, vel depositarium velut Dominum facit, ità vt ad hæredes nullo modo transeat.

Alter casus est: *a. 5. §. Si verò*, in Legatis Testamento, quorum etiam dispositionem in Fratrum necessitates vult fieri ab Executoribus, & interuenientibus, si opus fuerit, Prælatis ac Iudicibus sæcularibus, quibus de iure vel consuetudine competit: non obstante hæredum etiam contrariâ voluntate. In quo similiter casu cum dominium illius pecuniæ morte Testatoris in eo expirauerit illud vel in se Pontifex recipit, vel in executores ad hunc solum effectum transfert.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An liceat Fratribus Minoribus pecuniam mutuare, in suas necessitates, per idoneas personas, expendendam?

SVppono: Non licere mutuare, vt illi eam recipiant vel quouis modo administrent. Hoc enim satis superius est dictum.

Nota verò Fratres posse dupliciter in sensu Q. pecuniam mutuare. 1. Mutu propriè dicto cum iuridicâ obligatione, pecuniam oportuno tempore restituendi, vtpotè dando syngraphas obligatorias, &c. 2. Mutuo largè sumpto, sine vlla obligatione iuridicâ, sed tantum simpliciter dicendo, quod Fratres intendant fideliter laborare, vt ei, qui modò per pecunias necessitati subuenit, solutio fiat.

CONCLVSIO I.

NOn licet Fratribus Minoribus mutuum strictum seu iuridicum contrahere cum obligatione iuridicâ satisfaciendi. Ità expressè *Nicolaus* 3. §. *Cæterum*. Huius verò ratio est, quia cum mutuum iuridicum nihil aliud dicat quam de meo tuum facere, pecunia sic mutuata transit in dominium vel vsum eius, qui eam mutuò accepit, cuius incapax est Frater Minor.

CONCLVSIO II.

Mutuum largè sumptum in necessitate & moderaminibus de recursu ad pecuniam supra citatis, est licitum Fratribus Minoribus. Ita Nicolaus III. *vbi suprà.* Ex. g. Occurrente necessitate, cessantibus eleemosynis, licet Fratri Minori amicum rogare, vt velit rem occurrentem necessariam soluere; & quod procurabit fideliter, quod pecunia æquiualens ab amico ei refundatur. Ratio verò est, quia hic nullum dominium vel receptio aut vsus pecuniæ, respectu Fratrum interuenit: sed tantum procuratio anticipatæ solutionis ab amico, cum fideli proposito ei satisfactionem posterius reprocurandi: ita vt videatur duplex ad amicos recursus, prior, ad solutionem anticipatam rei, posterior, per solutionem anticipatæ solutionis.

ABVSVS.

Errant porrò grauiter qui iuridicè per syngraphas imò per hypothecas se obligant. Item qui Syndicos pro se & nomine Conuentuum spondere faciunt. Peius qui per se vel Syndicos, Fratrum nomine, pecunias mutuò donant. Sicuti enim non licet mihi mutuum iuridicum siue politicum accipere, sic nec dare quia qui dat mutuum,

de

de meo siue suo, tuum facit, incapax verò est Frater Minor *mei* sicut & *tui*, maximè in re pecuniariâ, cuius nec vsus etiam facti est ei permissus.

QVÆSTIO III.

Quid agendum circà oblatam spontè pecuniam, & de modo recursus?

DVpliciter quis potest offere pro Fratre Minore eleemosinam pecuniariam, spontè & liberaliter:

1. Per modum beneplaciti seu voluntatis, Ex.g. Si quis amicus dicat: volo siue paratus sum in vestros vsus expendere mille aureos quandocumque indigueritis.

2. Per actualem numerationem pecuniæ, siue illam apud se seruet, siue eam depositario tradat, vt si quis dicat: Ecce mille aurei numerati quos pro necessitatibus assigno & reseruo: Vel: En mille aureos Ioanni trado, vt in vsus vestros, quandò volueritis, expendat.

CONCLVSIO I.

LIcet Fratri Minori consentire & acceptare quamcumque oblationem eleemosimæ pecuniariæ, quæ est tantum per modum beneplaciti, seu significationis bonæ voluntatis. Ratio est, quia hoc modo

nec eſt pecuniam acceptare, nec ad illam recurrere, ſed tantum gratam habere iſtam voluntatem & beneplacitum ſine vllo debito, vel aliqua obligatione.

CONCLVSIO II.

AD illam tamen voluntariam oblationem, per modum beneplaciti, non licet recurrere velut ex debito, multò minus ſchedulas obligatorias accipere. Ratio eſt: tum quia Frater Minor eſt incapax huiuſmodi debiti vel obligationis: tum quia recurrere velut ex debito, vel ſchedulam acceptare, iam dicit non ſolam bonæ voluntatis acceptationem, ſed etiam acceptationem pecuniariæ eleemoſinæ, quæ iam in debito & ſchedulà cenſetur in aliquod ius Fratrum tranſiſſe.

Petes: Quid dicendum de eo qui vouit aliquam ſummam pecuniæ dare pro Conuentu aliquo Fratrum Minorum?

Reſpondeo 1. Talem reſpectu Conuentus ſiue Fratrum non obligari. Ratio eſt quià Fratres obligationis ſibi factæ, & iuris cuiuſuis capaces non ſunt, nec obligatoriè acceptare poſſunt.

Reſpondeo 2. Deo teneri ratione voti ad eleemoſinam faciendam, eo modo, quo Fratres capaces ſunt, & eleemoſinæ huiuſmodi expenſionem admittere poſſunt.

Quan-

Quandò executores Teſtamentorum tenentur ad legatum legitimum factum pro Fratribus, ſed non tenentur Fratribus, ſed Teſtatori, aut ei, ad quem ſpectant pia legata & pauperum bona.

ABVSVS.

PEccant igitur contra Regulam, qui ad ſimiles oblationes, vel ex debito recurrunt; ſchedulas iuridicas de danda eleemoſina exigunt, vel alio modo ad exequendum promiſſum velut compellunt.

CONCLVSIO III.

LIcet Fratri Minori recurrere tempore neceſſitatis ad eum qui per modum bonæ voluntatis obtulit eleemoſinam pecuniariam, priuſquam indigeret; ſed tamen per modum noui recurſus ſeu nouæ ptocurationis. Ratio eſt, quia prius licebat, ergò & poſterius, nec recurſus fit ex vi prioris præſentationis, ſed tantum ex quodam motiuo, quo noui illum eſſe paratum eleemoſinam elargiri.

CONCLVSIO IV.

NOn licet Fratribus Minoribus conſentire in oblationem ſpontaneam per actualem numerationem pecuniæ, ſiue maneat apud dantem, ſiue apud depoſitarium, niſi ſub conditionibus, quibus licet actualiter

ter recurrere, ſcilicet pro vera neceſſitate præſenti, vel imminenti, &c.

Ratio eſt: quia conſenſus in actualem numerationem pecuniæ, eſt quidam inchoatus recurſus ad amicos, qui non eſt licitus, niſi ſub conditionibus ſæpedictis.

Dixi (non licet conſentire) ſi enim ſine ſcitu vel conſenſu Fratrum fiat, iam Fratres non maculantur. Vt ſi quis mercator ſponte ſuâ, ex centum Florenis vnum ſeparet pro neceſſitatibus Fratrum expendendum: Aut ſi quis nobilis det alicui Amico centum aureos mandans, vt in neceſſitates Fratrum expendat, abſque eo quod Fratres ſciant aut conſentiant: Liberi ſunt Fratres in conſcientia.

Petes: An vbi ſunt depoſitæ pecuniæ ſine conſenſu vel ſcitu Fratrum, dato quod poſteà ſciant & neceſſitatem habeant, poſſint tunc Fratres ad depoſitarium recurrere? Reſpondeo, licere, non ex ratione aut vi prioris depoſitionis, in quam neceſſitate non ſubſiſtente, nec Fratres conſenſerunt nec conſentire potuerunt: ſed per modum noui recurſus; exponendo neceſſitatem ſuam eo modo quo facerent cum perſona, quæ pro fratrum neceſſitatibus pecuniam numquam depoſitam habuiſſet.

Eo modo ſi pecunia fuit depoſita pec-

cami-

caminosè, quia Fratres non habeant tunc necessitatem: etsi pro ratione & tempore depositionis, Fratres mortaliter peccauerint: Adueniente tamen necessitate vera, possunt Fratres ad donantem vel depositarium dictum recurrere, de nouo requirentes, vt quod ab initio legitimè non stetit, nouo consensu, & positâ iam verâ necessitate, legitimè fiat.

Petes 2. Quid dicendum: quando Nobilis dat pecuniam suo hospiti, vt singulis hebdomadibus mittat vnam pitanciam carnis: vel vt singulis diebus alicui Patri Seniori aut infirmo det portiunculam vini? Respondeo, & carnes & vinum legitimè recipi, quia sic res offeruntur in specie idque de mandato donantis: Et suppono quod Fratres non procurauerint istam pecuniæ depositionem. Si tamen Fratres aliquo modo ad dictam pecuniæ depositionem, per sollicitationem concurrissent, nequaquam liceret, nisi in casibus, quibus licet ad amicos spirituales recurrere.

ABVSVS.

PEccant contrà supradicta, qui quamcumque oblatam pecuniam non respuunt; sed etsi non indigeant velut ad thesaurizationem asseruari permittunt, ad illam nullo nouo consensu recurrunt, vel

ex-

examinare rem vel informare oblatorem non curant.

Et hoc valdè notandum circà Syndicos, qui vt amici Spirituales & deuoti Ordinis à quibuſcumque pecunias quouis modo oblatas recipiunt pro Fratrum neceſſitatibus: Ad quos pro illorum expenſione nulla diſcretione Fratres recurrunt; non attendentes qualiter, qua intentione, ſub quibus modis ſint depoſitæ, & an veræ neceſſitates tunc ſubſiſtebant.

DVBIVM NOTABILE.

Quid agendum cum Syndicis, qui vt Amici Spirituales quaſuis pecunias à Fidelibus ad ſe miſſas pro Fratrum neceſſitatibus, imò & recreationibus recipiunt, nullâ habitâ ratione neceſſitatis præſentis vel imminentis, &c.

SVppono 1. Illas pecunias recipi nomine donantium, & à Syndicis, non vt ſunt Syndici, ſed vt depoſitarij ſæcularium.

Suppono 2. Fratres ad ſic depóſitas pecunias nullatenus concurriſſe, nec conſenſu, nec ſollicitatione, &c.

Dico itaque 1. Si Syndicus ſine Guardiani vel Fratrum ſcitu, procuratione, con-

confensu, directo vel indirecto, tales pecunias receperit in necessitates Fratrum expendendas, tempore quo tales necessitates nec subsistebant nec ingruebant, Fratres non maculari. Ratio est, quia sine suo scitu maculari non possunt.

Dico 2. Non potest Guardianus ad illas sic depositas apud Syndicum recurrere: Ratio est, quia cum illa depositio respectu Fratrum sit illegitima, recursus etiam illegitimus erit.

Dico 3. Si Syndicus vt amicus spiritualis ex istis pecuniis sic depositis mittat cibaria, recreationes, vel alia Fratribus sine Fratrum scitu, & interuentu, Fratres non maculantur. Ratio est, quia res in specie sibi missas accipiunt, nec pertinet ad illos nosse, vnde Syndicus ista acquisierit.

Dico 4. Vbi Guardianus scit tales eleemosinas sic deponi; debet sincerè protestari & informare Syndicum, se non posse in illas consentire & de facto non consentire: Agat Syndicus cum donante, vel si donantem amplius non nouit, vel eius præsentiam habere non possit, faciat pro sua conscientia, vt libuerit, se tamen aut Fratres suos maculari nolle. Quod si Syndicus, etiam non obstante contradictione aut protestatione, illas seruet, aut ex illis eleemosynas

moſynas nobis faciat non maculamur.

Dico 5. Si iam neceſſitate ingruente adhuc ſint dictæ eleemoſynæ, poteſt tunc Guardianus inſinuare neceſſitatem, imò per modum nouæ procurationis, rogare vt dignetur ſubuenire, quantum poteſt & ei licet. Ratio eſt, quia iam licet ad amicos recurrere, indifferens autem, ſi ad illum vel ad alium recurram.

Dices: Tunc cenſeris conſentire in depoſitum. Reſpondeo, me non conſentire in depoſitum, ſed tantum de nouo conſentire & rogare, vt quantũ licet, expendatur.

Dico 6. Ne maculæ interdum ex ignorantia Syndicorum Ordini imputentur: tenentur Guardiani inſtruere Syndicos pro eorum capacitate, de diſtinctione Syndici, & Amici Spiritualis; & de modis, quos obſeruare debent in diſpenſatione eleemoſynarum eis concreditarum.

Ratio ſumitur ex Declarationibus Summorum Pontificum; qui volunt, vt fiant proteſtationes circa donantes, & depoſitarios. *Vt videre eſt apud Nicolaum 3.*

Iſta enim indicant, ad minus curare debere Superiores huiuſmodi recurſus facientes, informare donantes, & depoſitarios, ne ex incongruis eorum actibus Ordo maculetur.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Quomodo se debeant gerere Fratres quando pecunia est donata, ratione recursus seu sollicitationis eorum; circa donantes aut eorum depositarios?

OMnia, quæ dicta sunt in superioribus, pertinent ferè ad naturam & conditiones legitimi recursus: Hic verò expendenda sunt nonnulla, quæ respectu donantium aut depositariorum requiruntur.

Pecunia enim vel remanet apud dantem, vel est inter manus depositarij aut depositariorum, antequam in vsus Fratrum necessarios expendatur.

CONCLVSIO.

QVando pecuniæ sunt adhuc in manu, ità vt per se velit satisfacere, duæ tantum ferè conditiones sunt obseruandæ.

Prior vt recursus ad illum non fiat per modum mutui, aut debiti, sed purè insinuando suas necessitates, rogando, vt velit illis satisfacere.

Posterior: vt non permittant scienter plus pecuniæ dari quàm necessitas vera postulat.

Petes: An debeat determinatè ſpecificari neceſſitas?

Reſpondeo 1 Quandò commodè ſpecificari pòteſt, id puriſſimum eſſe.

Reſpondeo 2. Non teneri: Si enim plures neceſſitates ſint, aut plurium neceſſitatum ſolutio apud Creditorem eundem ſit facienda, ſufficit inſinuare plures neceſſitates in genere, & rogare, vt ſatisfiat. Imò aliquandò poteſt indicari ſumma ſolutionis; vt: Accepimus apud talem neceſſitates noſtras diuerſas ad valorem centum aureorum, ſi placeret in totum vel in partem ſatisfacere.

QVÆSTIO V.

Quomodo ſe gerere debeant Fratres cum depoſitario?

CONCLVSIO.

QVinque ferè conditiones ſeruandæ cum depoſitario, quandò dans principalis per ſeipſum ſatisfacere non vult, aut non poteſt.

Prima conditio: Vt Fratres nullum præſentent, niſi prius conſtet de voluntate donantis, nimirum quod fidelis perſonæ no-

notitiam non habeat, aut certè quod mali{s}
personam à Fratribus nominari vel præ-
sentari. *Ità Nicolaus 3. §. Cæterum.* Liceret
tamen primâ facie nominare personam, cui
facienda est solutio, quia illa non est me-
dia inter Fratres & donantem, sed est per-
sona terminans totum negotium. De vo-
luntate autem donantis constare potest ex
circumstantiis: vt personæ: quia nobilis &
grauis, quare indignum esset & vile, aut
saltem minus congruum per se facere: Si-
militer ex parte loci; quia locus, vbi solu-
tio est facienda, longiùs distat, nec com-
mercium ibi habet, & ità de aliis.

Porrò, quod Syndici ordinariè præsen-
tentur, videtur esse communiter de volun-
tate donantium; quia est persona magis
idonea magisque fidelis: quamuis inter-
dum dantes nec per illos aut ex illorum
scitu suas eleemosynas dispensari velint.
Quod benè aduertendum est.

Petes: An supposito, quod dans perso-
nam nominare nolit, aut designare, liceat
Fratribus quamcumque personam præsen-
tare? Respondeo, ex vi Declarationum li-
cere: posse tamen hanc libertatem Guar-
dianorum per Prouinciales, & Capitula
coarctari ob causas. Ex. g. licet Prouincia-
li vel Capitulo mandare Guardianis & aliis

Fratribus, quibus recursus est commissus; vt quandò eis relinquitur liberum aliquem præsentare, vt non præsentent nisi Syndicos Conuentuum, aut alias determinatas personas fideles, vtpotè ne fiant abusus, & thesaurizationes in manibus incertis & ignotis. Cuius ratio clara est: quia cum Ministri possint arctare recursum, possunt & modos eius restringere.

Secunda conditio est: Vt si pecunia diutius inter manus depositarij maneat (qui nimirum negotium in expeditione sui, tractum temporis requirit) Fratres, vbi congruè possunt, expressè indicent depositario sicut & donanti, quod dominium & dispositio pecuniæ liberè apud illos maneat, donec in necessitates sit expensa, adeòque Fratres in illa pecunia nullum ius aut auctoritatem penitùs habere.

Dices. Hoc inutile videtur, cum nec sæculares id intelligere possint, nec apprehendere, imò omninò credant numeratam pecuniam extrà suam potestatem iam esse. Respondeo, etsi id vt plurimum sit verum, nos tamen officio nostro quantum congruè possumus & honestè, non debere deesse. Quod verò spectat ad eorum apprehensionem & sensum seruanda est semper Regula Nicolai III. art. 4. *Non esse verisimile*

ſimile, aliquem eleemoſynæ ſuæ ſine expreßione modum illum velle præfigere, per quem & donans meritò, vel illi quorum neceßitatibus intendit, prouidere effectu doni, vel ſuæ conſcientiæ puritate fraudentur. Atque ideò ſiue apprehendant, ſiue ex ſui incapacitate apprehendere non poſſint: Fratres ſuæ obligationi ſatisfecerunt.

Tertia conditio eſt: Vt quandò ex natura vel circumſtantiis neceſſitatis, pecunia per multas manus tranſire debet, id fiat de conſenſu tacito vel expreſſo donantis. Expreſſo ſi facilè conueniri poſſit; Tacito ſiue præſumpto, quandò commodè conueniri non poteſt. Qui enim per ſuam pecuniam ſolutionem alicuius neceſſitatis intendit, (niſi aliter exprimat) parum eſt illi per quotas manus fiat, etiamſi centum medarent.Ità verò ſe debent gerere Fratres cum centeſimo ſicut cum primo. Hæc conditio etiam ex Declarationibus eſt clara.

Quarta conditio eſt: Vt Fratres in omni verbo, ſigno, opere oſtendant ſe in depoſita pecunia, ſicut non habent, ſic penitùs nihil iuris, dominij, vel adminiſtrationis habere.

Quinta conditio eſt: Quod poſſint tamen depoſitarium monere, vt in commiſſa ſibi pecunia ſe fideliter gerat; poſſunt

etiam ſuas neceſſitates exponere & inſinuare, humiliter rogando, modoſque inſinuando, quibus congruè ſatisfacere poſſit.

ABVSVS.

PEccant igitur 1. Qui in iudicio pecunias depoſitas repetunt, aut iudices ad repetendas incitant. Poſſunt tamen Iudices, vt pauperum Patres, ex ſe, & non Fratrum nomine curare, vt depoſitarij fidelitatem ſeruent, & donantium voluntati ſatisfaciant, aut pecunias donanti reſtituant. Sed hi actus magis reſpiciunt iuſtitiam ad donantes, quam debitum ad Fratres, ad quos nulla eſt iuridica obligatio.

2. Peccant, qui minis, violentiâ directâ vel indirectâ in depoſitarios agunt: illis pecuniarum expenſionem & modos expendendi auctoritatiuè præcipiunt; computum iuridicum requirunt: pecunias ſuperſtitioſè calamo aut alio inſtrumento dinumerant aut examinant.

3. Peccant, qui cum depoſitario componunt, & vt citius ſolutionem faciat aut expendat, ei partem ſummæ depoſitæ velut condonant, &c.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

An depositarij poßint interdum immutare voluntatem determinatam donantium in eleemosynis pecuniariis?

ADuerte 1. Voluntatem donantium pluribus modis posse dici determinatam.

1. Respectu personæ, vt si eleemosyna pecuniaria data sit pro necessitate huius Fratris, vel horum Fratrum in indiuiduo.

2. Respectu loci, vt si detur pro necessitatibus huius Conuentus, & non illius.

3. Respectu rei necessariæ, vt si detur pro hac necessitate, & non pro alia, vt pro induendis Fratribus, &c.

Aduerte 2. Voluntatem donantium posse esse similiter totidem modis indeterminatam & indifferentem.

1. Respectu personæ; vt si pro Fratribus in genere.

2 Respectu loci, vt si pro Ordine simpliciter, & non pro Conuentu speciali.

3. Respectu rei, vt si pro necessitatibus in genere.

Aduerte 3. Pecuniam esse depositam, vel à viuente, vel à defuncto, testamento, vel aliter legatam.

Aduerte 4. Duplicem nos posse in hac causa statuere donantis voluntatem: expressam scilicet, & interpretatiuam; his praenotatis sit

CONCLVSIO I.

SI eleemosyna pecuniaria est determinata respectu personae vel personarum, non possunt Fratres aut quiuis Ordinis Praelatus illam applicare alteri, sine expresso vel interpretatiuo consensu donantis: Patet ex Declarationibus Pontificiis. Vndè si quid supersit pecuniae, habitâ necessitate praesenti vel imminenti, huius vel horum Fratrum, residuum restitui debet, nisi dans consentiat in aliam necessitatem expendi.

Dixi (siue expresso vel interpretatiuo) qui consensus sine vulpinâ quâdam cautelâ, ità probabiliter praesumi debet à Fratribus & à depositario, vt talis verisimiliter esse credatur.

CONCLVSIO II.

SI Eleemosina pecuniaria sit determinata respectu loci, non potest etiàm à Fratribus vel quouis Praelato alteri Loco applicari, sine expressâ vel interpretatiuâ voluntate donantis. Id etiam satis patet ex terminis & contextu Declarationum.

Notandum tamen est, quod vt censeatur elee-

eleemosina determinata ad hunc Conuentum, non esse satis quod à Fratribus talis Conuentus petatur; sed requiritur quod pro talibus Fratribus petentibus donetur. Ratio est quia (*vt benè docet Corduba*) qui dat simpliciter, ità censetur Fratribus dare, quomodò illam petunt: petere autem debent ad dispositionem Superiorum, vel eo modo quo eis à Superioribus fuerit commissum. Ex. g. si Minister velit Guardianos subsidium ferre aliis Conuentibus, vel ædificandis vel conseruandis, per eleemosinas etiam pecuniarias, tunc eleemosinas pecuniarias petens pro necessitatibus, censetur intendere & debet intendere pro necessitatibus, non tantum propriis, sed etiam alienis.

Dices: Donantes non intendunt dare nisi pro hoc loco.

Respondeo, intendere dare (nisi aliter exprimant) secundum dispositionem Superiorum: vndè nec vnus Guardianus eleemosinas pecuniarias in vtilitatem alterius Guardiani, vel Conuentus mittere potest, nisi habitâ expressâ vel interpretatiuâ voluntate Prouincialis, nec Prouincialis alterius Prouinciæ, nisi de voluntate simili Generalis: Et ità intelliguntur *Constitutiones Burgenses c. 3. citatæ à Corduba*. Quod nimirum

mirum, *Prouinciales semel in anno diligenter inquirant de Eleemosinis pecuniariis & de aliis, & si aliqua superflua reperirent, Conuentibus magis indigentibus communicentur, vt decet.* Hæc ibi.

Nec hic sit quidquam contrà Regulæ rigorem, sic enim Custodibus siue Guardianis recursus ad amicos spirituales permittitur, vt tamen hæc potestas in Ministro, velut in capite, resideat, vnde & illam restringere potest; imò & ad suam intentionem arctare.

Dixi superius (nisi aliter exprimat): quia si vel exprimat aliter, vel saltem aliquo modo patenter ostendat, se suas eleemosinas ad hunc locum arctare: tunc certum est, talem eleemosinarũ pecuniariarum applicationem, contra donantis intentionem fieri non posse. Et ex his patet quid dicendum sit de iis, qui frumentum, oleum, lanam, linum, &c. in tantâ abundantiâ mendicant, vt non tantum sibi sufficiant, sed etiam aliis, in satis magna copia, communicare possint.

Respondetur enim; Posse Guardianos & Fratres de consensu expresso vel tacito Ministrorum, tália non solum pro se, sed etiam intentione aliis Conuentibus communicandi, mendicare; & consequenter de

de conſenſu præfato communicare. Nec in hac parte de donantium intentione aut voluntate dubitandum eſt, aut ſcrupulosè requirendi, quia illa ſæpius dantur pro mercede laboris, Prædicationum, Confeſſionum, Officiorum, &c. Atque ideò liberè Superiorum diſpoſitioni relinquuntur. Et hæc praxis ſæpius confirmata fuit in Statutis generalibus, vt in Capitulo Generali Burdegalenſi anno 1510. & in Tabula 19. Vicarij Generalis.

Hic multa eſſent dicenda de varia rerum commutatione, donatione, extrà Ordinem & intrà: *ſed de his latius in c.6.*

CONCLVSIO III.

SI eleemoſina pecuniaria ſit determinata, reſpectu huius neceſſitatis, nón poteſt à Fratribus vel Prælatis applicari alteri neceſſitati, ſine expreſſâ vel interpretatiuâ voluntate donantis. Hæc iterum ex ſuprà dictis ſatis conſtat, & ex Pontificum Declarationibus. Eſt tamen aduertendum: Quod ſi eleemoſina pecuniaria relicta ſit teſtamento pro certâ neceſſitate quæ fortè ceſſat; tunc hæredes vel executores teſtamenti poſſunt illam applicare vel applicari facere pro aliâ neceſſitate. Similiter ſi donans moriatur re nondum applicatâ, depoſitarius cenſetur idem in dictâ pecuniâ poſſe,

posse, quod donans poterat: vt Pontifex declarat.

QVÆSTIO I.

Quomodo se debeant gerere Fratres circa offerentes eleemosinas pecuniarias intuitu laboris?

SVppono 1. Fratres Minores non posse recipere denarios vel pecuniam pro mercede laboris. Patet ex Cap. 5. Regulæ: *De Mercede* (ait) *laboris pro se & suis Fratribus, corporis necessaria recipiant, præter denarios vel pecuniam.*

Suppono 2. Eos pro quibus Fratres laborarunt interdum (siue quod non possint siue quod nolint) non offerre necessitates in specie, sed eleemosinam pecuniariam in Fratrum necessitates expendendam Quomodo pro celebratione Missarum, Prædicationibus, Laboribus corporalibus, etiam pecunia offerri solet.

CONCLVSIO I.

LIcet Fratribus recurrere p rcecessitatibus ad offerentes eleemosinam pecuniariam, intuitu mercedis & laboris. Ratio est: Quia licet ad oblatam liberaliter, vel occasione meæ sollicitationis recurrere,

re,

re, ergò etiam ad oblatam, intuitu laboris: Ille enim intuitus nihil ponit in me iuris vel vſus, nec dicit conditionem recurſui ordinario repugnantem.

CONCLVSIO II.

IN illo tamen recurſu obſeruandæ ſunt omnes conditiones, quæ ſupponuntur in aliis recurſibus ad dantes vel depoſitarios.

1. Quidem vt nullo modo recurſus ex debito vel quaſi debito fiat, ſed vt ad purè liberaliter offerentes: neque enim talis debiti capaces ſumus. vt C. 5. magis patebit.

2. Vt fiat pro verâ neceſſitate & ſub conditionibus aliis ſuprà examinatis.

ABVSVS.

IGitur peccant contrà Regulam, qui pro Miſſarum celebratione, Concionibus & operibus etiam manualibus, pecuniam velut debitam requirunt: de illa diſponunt: illam creditoribus aſſignant: ad ſuperfluitates vtuntur, &c. Quomodò verò in omnibus ſit agendum latius C. 5. dicemus; vbi de mercede laboris alia dicenda reſtant.

QVÆ

QVÆSTIO VIII.

Quomodo se gerere debeant circà pecunias testamento legatas?

CONCLVSIO.

IN eleemosinis pecuniariis Testamento relictis, nihil etiam speciale occurrit, sed omnes conditiones & modi qui circà oblatas liberaliter, vel ex occasione recursus assignati sunt, omninò in illis seruari debent. Hoc notato: 1. Quod Fratres caueant ne in talia legata scienter consentiant, aut ea procurent, nisi pro verâ necessitate præsenti, vel imminenti. 2. Quod ad executores non recurrant velut ex debito. 3. Quod circà executores, & hæredes se gerant, velut circà depositarios & non aliter. 4. Quod omne Legatum indifferens, ex *Declarationibus Nicolai* 3. intelligatur semper sub modo Fratribus licito, esse relictum, ità quod nec legans merito, nec Fratres ipsi effectu relicti fraudentur.

ABVSVS.

PEccant frequenter, 1. Qui in quælibet legata consentiunt sine necessitate verâ subsistente. 2. Qui executores directè vel indirectè cogunt, molestant, ad Iudices euocant, &c,

QVÆ-

QVÆSTIO IX.

Quomodò Fratres sese debeant gerere in pecuniariis eleemosinis per coactionem Iudicis assignatis?

PEcuniariæ eleemosinæ per coactionem Iudicis, necessitatibus Fratrum assignatæ, vel assignantur Fratribus ignorantibus, vel Fratribus procurantibus: Ex. g. Iudex sponte, nescientibus Fratribus, condemnat reum, vt summam pecuniæ det expendendam in Fratrum Minorum necessitates: Aut Fratres intelligentes multas pecunias cedere fisco, vel reum aliquem grauem mulctam pecuniarum incurrisse, sollicitant Principem vel Iudicem, vt eorum ædificiis vel aliis necessitatibus applicetur.

CONCLVSIO I.

VBi sine scitu Fratrum aut procuratione tales eleemosinæ Fratrum necessitatibus applicantur, Fratres debent seruare omnes conditiones suprà in oblatis sponte pecuniis requisitas.

CONCLVSIO II.

IN sollicitatione & procuratione debent Fratres omnes seruare conditiones quæ in recursu ad donantes, ex sollicitatione Fratrum requiruntur.

CON-

CONCLVSIO III.

CAuere Fratres debent ne reos sic damnatos vllo modo molestent, cogant, velut ex debito inducant, ad Iudicem euocent, aut accusent, aut conquerantur. Ratio est, quia omnes isti actus aliquam iuris obligationem vel continent vel insinuant, contrà Regulam, & Declarationes. Possunt tamen Fratres simpliciter dicere, tales pecunias non esse datas, nulla querimoniâ aut persecutione. Ex quo abusus facilè patent.

Petes: quid de accusatione ex Lege, vt 3. pars pecuniæ denuntiatori deueniat? Respondeo, non licet, quia videtur vi legis in pecuniam illam actionem habere, cuius incapax est Frater Minor.

QVÆSTIO X.

Quid de pecuniis apud Fratres Apostatas & fugitiuos extrà vel intrà Ordinem repertis?

ADuerte duplicia esse bona Apostatarum: Aliqua sunt quorum vsum facti ipsi Fratri, & Ordini licet habere, vt sunt libri & nonnulla mobilia & vtensilia.

Alia sunt, quorum vsus illicitus est Fratri vel Ordini, vt pecuniæ & alia mobilia

sæcularia

ſæcularia ſuperflua, pretioſa vel curioſa.

CONCLVSIO I.

BOna Apoſtatarum, quorum vſum ſimplicem facti ipſe Frater vel Ordo poterat habere, cedunt in vſum Ordinis & Fratrum. Ratio eſt, quia iſte quantumuis apoſtata eſt Frater Ordinis, & Summus Pontifex accepit in ſuum dominium omnia, quorum vſum facti Fratribus licet habere: vnde libri & id genus Ordinis vſui cedunt.

CONCLVSIO II.

BOna alia Apoſtatarum tam mobilia quam immobilia, quorum vſus etiam facti eſt Fratribus prohibitus, vt ſunt pecuniæ, veſtes ſæculares, &c. non cedunt in vſum vel vtilitatem Ordinis per ſe, adeòque illis Fratres non debent ſe intromittere. Ratio eſt, quià cum vſus eorum ſit eis interdictus, multò magis apprehenſio, adminiſtratio, vel actus quicumque ius aliquod ſapiens, vt ex Declarationibus Nicolai & Clementis conſtat.

Dixi (per ſe) cum enim talia diſtribui debeant pauperibus per Epiſcopum vel perſonas, quibus de iure competit, ipſi poſſunt in vtilitatem Fratrum conuertere, aut conuerti facere, & de hoc rogari

possunt etiam à Fratribus non tamen ex debito, sed per modum puræ eleemosynæ.

Dices: Leo 10. dedit Fratribus Minoribus priuilegium dicta bona apprehendendi per Syndicos & personas idoneas. Respondeo 1. Si hoc sit priuilegium Fratrum, esse contrà puritatem Regulæ & Declarationes supradictas, quæ solæ sunt in vigore.

Respondeo 2. Si sit dispositio Iudicis, qua Romanus Pontifex, vt communis pauperum Pater, sic vult ab inferioribus Iudicibus disponi, tunc non tangit Fratres, sed tantum possunt eleemosynam sibi conuenientem acceptare prout indiguerint.

TITVLVS VI.

De Bursario vel Amico spirituali in via.

QVÆSTIO VNICA.

An liceat Bursarium vel Amicum spiritualem in via secum habere, qui Fratribus necessaria emat?

ADuerte 1. Bursarium illum in rigore dici, qui nomine Fratris bursam gerit, & pecuniam administrat, sicque in malam partem accipitur.

Ad-

Aduerte 2. Bursarium lato vocabulo dici: Amicum spiritualem, siue sit principalis donans, siue eius nuntius, famulus, aut depositarius, qui nomine donantis Fratrem in itinere comitatur, vt necessaria soluat siue procuret per pecuniam.

CONCLVSIO I.

NOn licet Fratribus, etiam suppositâ quacumque necessitate, Bursarium ducere in rigorosâ acceptione, nisi in casu quo iure poli licet pecuniam recipere. Ratio est quia Bursarius ille est verè interposita persona Fratris, tam in receptione quam in administratione pecuniæ, contrà Regulæ manifestam prohibitionem.

CONCLVSIO II.

LIcet Fratribus, suppositâ verâ necessitate præsenti vel imminenti, ac positis omnibus conditionibus suprà de recursu explicatis, ac scluso scandalo, secum habere in via Amicum spiritualem, siue sit donans principalis siue eius nuntius, depositarius siue famulus, qui nomine donantis, eleemosynas pecuniarias expendat, & ad quem recursum habeant. Ità insinuat Clemens V. *in Clement. Exiui de Paradyso. a.* 4. *n.* 2. Vbi postquam extendit necessitatem recursus (quam ad infirmos & Fratres induendos velut restrinxerat S. Franciscus)

ad alias quasuis necessitates veras, præsentes vel ingruentes: subdit: *Attendant Fratres præfati quod pro nullis aliis causis quam prædictis vel similibus in via, vel alibi, recurrere liceat eis ad amicos huiusmodi, siue sint dantes pecunias, siue deputati per ipsos, siue nuntij vel depositarij, siue alio quouis nomine appellentur, etiamsi concessi per eandem declarationem modi circà pecuniam integrè seruarentur.*

In quibus verbis benè ponderandum est quod dicit, *in via vel alibi*, Ex quo manifestum est quod vbi subsunt veræ necessitates, de quibus locutus est (*in via*) liceat omninò in via recurrere ad depositarios & nuntios. Vnum enim ex alio optimè infertur.

Ratio verò principalis est ex littera Regulæ & mente Fundatoris: *Pro necessitatibus infirmorum & Fratribus induendis* (sub quibus aliæ necessitates intelliguntur) *per amicos spirituales Ministri tantum & Custodes sollicitam curam gerant secundum loca & tempora, &c.* Sed tales necessitates frequētius oriuntur in via magis quam domi, extrà Patriam & Prouinciā quam in Prouincia, ergò tunc magis sollicita cura adhibenda est per Amicos, siue sint dantes, siue eorum depositarij: Sed in ciuitate & Prouincia licet mihi vti donantiū depositario, & ad eum recurrere pro veris necessitatibus, ergò magis in viâ.

Dixi

Dixi in conclusione (supposità verâ necessitate, præsenti vel imminenti) quia si talis non subsit necessitas, verè non licet: vtpotè non licet vt lautius viuas, vt superfluis, pretiosis, aut curiosis vtaris, vt mendicare non cogaris, quamuis id possis sine graui incommodo.

Vera autem necessitas in itineribus sic expendi potest ad deducendum amicum spiritualem.

1. Si victus mendicatione nonnisi valdè incommodè acquiri potest, vel saltem non sufficiens. Oritur autem hoc ex diuersis capitibus: nimirum: vel quià transimus per terras inhumanas, siue ratione hæreseôn, siue ex defectu charitatis, etiamsi terræ maximè sint Catholicæ, quod vel non consueuerint sic Fratres suscipere, vel quod Fratres relaxati consueuerint pessimâ notâ, omnia per pecuniam comparare. Mihi quidē anno 1625. in ipsa Valle Spoletana extremè sitienti negatus est haustus vini, & egrè haustum aquæ in hospitio, prò amore Dei, obtinere potui. Similiter contingit quod in locis & pagis ad quæ diuertimus, non sit qui det ad victum necessaria, nisi in tabernis & hospitiis, in quibus cum lucro omnia vendant, non nisi pecuniis dabunt. Quod si alij sint qui dare possint, Fra-

ter totâ die ex itinere fatigatus, non poteſt per vnam aut alteram horam circuire, aut per loca à recto itinere diuertere, ſine graui corporis & animi detrimento. Imò ſi aliqui dent, tam exilem cibum dabunt, vt iam centenis milliaribus fatigato corpori non ſufficiat.

2. Oritur neceſſitas vera, ex ratione perſonæ, quæ infirma eſt, ſenex, vel debilis. Vnde plures neceſſitates requirit, interdum vehiculi, equi, nauigij, calceamenti, medicamenti, commodioris cibi, &c. quæ nonniſi recurſu ad amicos haberi poſſunt.

Dices 1. Quandò iſta neceſſitas occurret, tunc demum recurrat ad amicum quem in via offendet. Reſpondeo 1. Si Benefactores pro eleemoſy nis quotidianis in ſpecie interdum vix reperire poſſumus, quomodò Amicos ſpirituales qui pecuniam ſoluant reperiemus? Ego certè Tolentini cùm non poſſem ob laſſitudinem progredi, & paupertas Fratrum mihi ad aliquot miliaria aſinum negaret, Fratrum loci ſuaſu conueni vnum diuitem, vt dicebant, magnum Ordinis deuotum, nec potui ab illo pro ſolo vno Iulio aſinum paratum ad aliquot mille paſſus impetrare.

Reſpondeo 2. Cum ſciam certò me debere recurrere, quid obſtat, ſi cum amicos ha-

habeam offerentes, illorum eleemosynis per depositarium vtar, cum sit verè imminens necessitas?

Dices 2. Deberent Fratres assuefacere homines charitati per mendicationem. Respondeo ità esse; sed non fieri, nisi in locis reformatis, nec posse vnum Fratrem externum per actum vnum hanc consuetudinem introducere. Fratrum est Regionis illius id præstare. Vnum scio in totò Belgio posse quemlibet Fratrem, quantumuis externum, ità necessitates per mendicationem habere, vt non sit opus huiusmodi recursibus.

3. Oritur necessitas ex ratione negotij, videlicet, quia festinatione eget, quia secretè peragendum, & ob nonnullas circumstantias, quæ necessariò amicum spiritualem comitem requirunt. Sic qui ad Capitula Generalia, ad exteras Regiones pergunt: Romam pro negotiis Ordinis accedere debent stato tempore, aut aliis circumstantiis: nec possunt ista sine huiusmodi recursu rationabiliter perficere.

Dices non vadant ad Capitula Generalia, qui non sciunt pedites ambulare, mendicando ostiatim viuere, &c. Respondeo: Ad Capitula Generalia non vocantur fortes & austeri, sed Ministri & Custodes. Nec

Nec fortes & austeri omnes, aut soli, sunt capaces horum officiorum & actionum; sed vt plurimum viri spirituales, ingeniosi, & apti, infirmiore sunt corpore, & pluribus indigent: qui verò fortes sunt corpore, frequentius, genio sunt rudes, ingenio hebetes, apti ad itinera, inepti ad negotia, habentes nonnullum Religionis specimen, nullum animarum regimen.

Dices amplius. Volebat S. Franciscus, vt Fratres in Dominum iacerent cogitatus suos, qui volucres cæli pascit.

Respondeo: nec cogitatus à Domino auertit, qui nihil iuris habens ad depositarium in necessitate verâ, per modum puræ eleemosinæ, recurrit. Vnde S. Franciscus hanc sollicitam curam per amicos spirituales præcipiens, nihil de cogitatu in Dominum diminuit, cum pro Domino Amicus spiritualis nos pascit & vestit. Suppono autem semper quod res commodè per mendicationem acquiri non possit.

Dixi in Conclusione (positis omnibus Conditionibus) Conditiones autem sunt: 1. Vt non recurrat nisi in iusto, & itinere ex obedientiâ suscepto: pro verâ necessitate: & quandò cessant eleemosinæ: ac commodè mendicatio fieri non potest. Vnde falluntur, qui pro suis solis commoditati-

bus

bus & delitiis in via sic recurrunt, & *ità* continuò, vt etiam præsentatâ mendicatione commodâ, illam relinquant & contemnant. Falluntur qui animo peregrinandi Ierosolymam & alia loca deserta, pecuniarum subsidium requirunt; Amicum Spiritualem ducunt, imo iniustas dispensationes arripiunt pecunias dispensandi.

2. Vt qui recurrit, sit Minister, Custos, vel Gardianus, aut ab eis recurrendi facultatem habeat & commissionem.

3, Vt non recurrant auctoritatiuè, præcipiendo expensionem pecuniarum, computum exigendo, pecuniam interdum in marsupio asseruando, custodiendo, & id genus abusus, qui frequenter ex incuriâ & inscitiâ nasci solet.

4. Vt, quando honestè possunt, protestentur & donantibus & depositariis se in dictâ pecuniâ nihil iuris habere.

5. Si supersit pecunia post iter, illa vel donantibus restituatur, vel rogetur vt in alias necessitates expendi possit. Et sic aliæ omnes conditiones ad amussim seruentur.

Dixi etiam in Conclusione (secluso scandalo) ità enim prudenter huiusmodi fieri debent, vt pusillis materia scandali non ministretur, & facto ostendant Fratres se in pecuniâ nihil penitus iuris habere.

Ex dictis porrò, abusus omnes facilè colligi possunt, quæ latius dixi, non vt habenas laxem, sed vt aperiam, quod in conscientia expertus fui, dum longa ista itinera tum ad Capitula Generalia, tum ad Commissiones mihi à Reuerendissimis Patribus Generalibus indictas in longinquis regionibus peregi, vbi & ipsas incommoditates mendicationis expertus fui. Laudo semper rigorem & austeritatem, non condemno veritatem, sed commendo necessitatem, reprobo relaxationem.

TITVLVS VII.
De Quæstibus pecuniariis.

QVÆSTIO VNICA.

An liceat facere quæstus, siue collectas pecuniæ pro necessitatibue Fratrum expendendæ?

SVppono semper quod sint veræ necessitates & quod pecuniæ ad manus Fratrum & eorum dispositionem aut administrationem nullo modo perueniant, sed quod tantum per personas idoneas in Fratrum necessitates expendantur. Vndè formatur ratio dubitandi: Non enim videtur esse

esse alius recursus, si ad omnes Familias vnius oppidi recurratur, vt eleemosinam pecuniariam in necessitates Fratrum expendendam tribuant, quam si ad vnam aut alteram domum fiat; sed posterius licet, ergò & prius.

Pro resolutione Nota dupliciter similes collectas fieri posse. Primò sine vllo Fratrum interuentu ex deuotione, aut velut debito personarum sæcularium: Vt ex.g. Prædicauit Frater Minor per Quadragesimam, solent autem pro labore Prædicationum duo de Magistratu aut aliæ personæ ad hoc designatæ circuire domos, colligere eleemosinas pecuniarias, & mittere ad personam aliquam Fratribus deuotam, ex g. Syndicum, vt eas in necessitates Fratrum expendat, absque tamen eó, quod Prædicator vel alius Frater interueniat vel per comitiuam, vel per sollicitationem.

Aliud exemplum habet *Hugo de Dina c.4. q.4. Solent* (ait) *quidam ab antiquo declinantes ad loca de necessitatibus infirmorum, & Fratribus induendis (quæ duo multum sunt necessaria) populum exhortari: Tunc fideles aliqui ab aliis positi ad huiusmodi procuranda, in his vice populi absque Fratrum sollicitudine prouidebant, vt erant spirituales amici Dei.*

Iterum: *Ad hoc* (inquit) *fideles aliqui ab Epis-*

Episcopis vel Communitatibus statuuntur, qui vice ipsorum negotia Fratrum gerunt, quod videtur securum valde Fratribus & honestum &c. In quibus exemplis sine dubio illi qui vel à populo vel ab Episcopis constituebantur, à populo pecuniam colligebant & rem in specie Fratribus necessariam procurabant.

Alio modo collectæ pecuniariæ fieri possunt per personas sæculares, præsentatas tamen à Fratribus vel ex Fratrum procuratione, Fratribus interdum etiam illas comitantibus.

CONCLVSIO I.

Collectæ pecuniariæ, quæ nullo Fratrũ interuentu aut procuratione fiunt à personis sæcularibus, nomine populi, vel Magistratus, vel Episcopi, ità vt ipsimet Sæculares sic commissi rem in specie ex eleemosinis emptam, Fratribus largiantur, nullo modo sunt illicitæ, imo sunt honestæ. Ita *Hugo de Dina suprà.* Ratio est, quià tunc nullus supponitur Fratrum ad pecunias recursus, sed ipsi sæculares propriâ deuotione, & pecuniã colligunt, & in rem necessariam insumunt, vt in pannum, eamque Fratribus in specie offerunt.

CONCLVSIO II.

Collectæ etiam pecuniariæ quæ fiunt, nullo Fratrum interuentu, per Magistratum

ſtratum vel perſonas à populo deputatas, vt in neceſſitates Fratrum, populi, vel Magiſtratus, aut Capituli, auctoritate expendantur, & alicui fideli perſonæ conſignentur, non ſunt illicitæ. Fratres tamen non poſſunt ad eas recurrere, vel in earum depoſitionem conſentire, niſi pro verâ neceſſitate, præteritâ, præſenti vel imminenti, & ſub omnibus conditionibus iam frequenter memoratis. Ratio eſt: quia vt ſupponitur, Fratres non interueniunt, ſed ſæculares ſuâ voluntate faciunt: & (vt addidi) Fratres non niſi ſub omnibus conditionibus recurrunt, aut deponi conſentiunt.

Dices: Hæ collectæ fiunt ratione Prædicationis. Reſpondeo, Fiant, quocumque intuitu, modò Fratres non intricentur, nec concurrant. Porrò ſicut perſona ſingularis poteſt, intuitu mei laboris, eleemoſinam conſignare in meam neceſſitatem expendendam, ad quàm ſicut ad purè oblatam mihi licet in neceſſitate recurrere: ſic populi communitas id poteſt, quocumque modo illam colligat, modo non interueniam.

Petes: an liceat Fratri Prædicatori commendare ex ſuggeſtu eiuſmodi collectionem pecuniarum? Reſpondeo: Licere Fratri, Conuentus ſui neceſſitates inſinuare ſine men-

mentione pecuniæ, eis liberum relinquendo, vt quouis modo legitimo, quo libuerit ipsis prouideant, absque eo quod Fratrum conscientiæ lædantur. Hunc modum practicum suprà docet *Hugò*. Et *a*.7. Puritatem recursus ostendere volens: *Licet* (inquit) *amici auctoritate sua vel populi, pro Fratrum necessitate, pecuniam aliquando peterent, vel offerentium vicem tenerent, ipsi tamen Fratres ad eos pro necessariis recurrentes ex nimia conscientiæ teneritudine vix pecuniam, vt alibi habes, nominare audebant* Hæc Hugo.

CONCLVSIO III.

NOn licet Fratribus per personas à se deputatas vel assumptas, collectas pecuniarias procurare fieri, vel quascumque personas colligentes pecuniam comitari. Ratio est: quià etsi in re seità gererent, vt in istis pecuniis nullum ius haberent: actus tamen ille ex genere suo malè sonat, & speciem mali habet.

1. Quod personæ à Fratribus præsententur, non præhabitâ singulorum donantium voluntate.

2. Quod quamcumque summam indifferenter recipiant, seu deponi permittant.

3. Quod ratione comitiuæ videantur aliquid in istâ pecuniâ prætendere, & collecta non tantum in necessitates Fratrum fieri

fieri putetur, ſed etiam pro fratribus ſeu nomine Fratrum.

4. Quod informationes debitæ ſeu proteſtationes fieri non poſſint. Ab illis itaque omninò eſt cauendum. Vndè & *Clemens V. c. 4. Quocirca, Omnes quæſtus pecuniæ ac oblationum pecuniariarum receptio, in Eccleſiis vel alibi, cippi vel trunci ordinati ad offerentium vel donantium pecunias reponendas, nec non quicumque alius recurſus ad pecunias ſeu habentes ipſas, qui per Declarationem prædictam* (ſcilicet Nicolai) *non conceditur.* Hæc (*inquam*) *omnia ſunt eis ſimpliciter interdicta.* Hæc ibi. Ex quo iterum infero: Etiam cippos, truncos, oblationes pecuniarum, & collectiones eſſe ab Eccleſiis noſtris remouendas. Etſi enim non ſunt pro nobis, nec vllo noſtro interuentu fiant: eo ipſo quod in locis noſtris etiam pro Confraternitatibus fiant, ſcandalizare plures poſſunt, à quo cauere tenemur.

RESOLVTIO DVBII.

De pecuniis quæ interdum in aliis rerum collectis offeruntur.

PEtes: An quandò Fratres Minores per loca, collectas rerum, quibus in ſpecie vtuntur, vt candelarum, butyri, olei, faciunt, comitantibus eos ſæcularibus viris ad

ad onera portanda, vel domos demonstrandas, liceat dictis Fratribus consentire, vt aliqui, qui res in specie non habent, pecunias viris comitibus committāt ad res dictas emendas.

Respondeo 1. Non posse consentire, nisi res in ista quantitate esset omninò necessaria, vt ad illam, mediante pecuniâ, recursus esse posset.

Respondeo 2. Quod in isto casu benè informanda esset persona offerens, ne crederet, nos acceptare vel recipere pecuniam per interpositam personam.

Respondeo 3. Quod liceret Fratri dicere se candelas, oleum, butyrum, &c. non pecunias quærere, & recipere; in potestate autem donantis esse, quouis modo, ei prouidere, & per quemcumque vellet. Tunc si persona benè informata alteri committeret, non maculantur Fratres, si aliundè omnis materia scandali tollatur.

Dices: Quid si soluendum sit viro comitanti pro labore? Respondeo; mihi licere rogare offerentem vt ei soluat, modò benè informetur, quod sit pro dietâ & labore viri comitantis; & non pro Fratribus. Ratio est quia, vt suppono, necessarium est viro soluere pro labore, ergo & ad offerentem amicum pro solutione recurrere.

COR-

CORROLARIVM.

Praxis generalis recurſus ad eleemoſynas pecuniarias per Amicos ſpirituales.

EX dictis omnibus in hoc capite pono breuiſſimè, per modum recapitulationis praxim quàm debet ſeruare Frater Minor in recurſu ad amicos ſpirituales, pro ſolutione facienda per eleemoſynas pecuniarias, quando ei per oblationem, mendicationem, laboritium, &c. non eſt prouiſum.

1. Itaque qui recurrit, debet eſſe Superior, quouis tandem nomine appelletur, vtpotè Miniſter, Cuſtos, Guardianus, Præſes, vel Vicarius in abſentia Guardiani, aut certè ſubditus ex commiſſione Superioris expreſſa vel probabiliter præſumpta, vel in caſu quo Superior notabiliter negligens eſſet in neceſſariis procurandis.

2. Qui recurrit neceſſariò attendere debet (idque ſiue ſit eleemoſyna pecuniaria legata, vel liberaliter oblata, vel petita) vt rei, pro qua recurrit, habeat veram neceſſitatem, præteritam, præſentem, vel imminentem; ſitque neceſſitas propria: & ceſſent eleemoſynæ, de quibus alias ſolutio

commodè fieri posset: nec res huiusmodi procuranda sit commodè mendicabilis. Deficiente enim vnâ ex his conditionibus, non licet aut eleemosynam pecuniariam petere, aut legatam vel oblatam acceptare, aut deponi permittere.

3. Caueat ne scienter permittat plus deponi quam necessitas vel necessitates, pro quibus deponitur, valeant: quod si plus depositum fuerit, in reliquo nihil iuris habet sine nouo dantis consensu, sed quod superfluit ad donantem redit.

4. Si necessitas per ipsum datorem facilè expediri possit, & ipse ità velit, nullatenus in alias manus deponi permittat. Si verò dans voluerit deponere, seu per alium solutionem fieri; si habeat notitiam personæ fidelis, per quam necessitas expediatur, & velit illam impendere, nullatenus Fratres aliquem præsentent (vnde nec aliquem ad hunc effectum expressè secum ducant) sin verò notitiam personæ non habeat, aut certè per aliam personam Fratribus magis familiarem, vtputà Syndicum, necessitatem expediri velit: talis persona præsentari & nominari poterit à Fratribus.

Quod si necessitas tractum temporis habeat annexum, & per diuersas manus pecuniæ transire debeant, id fiat ex consensu

ex-

expressò vel interpretatiuo donantis. Cæterum in corde, verbo, signis & omnibus aliis circumstantiis, ostendant Fratres se in dictâ pecuniâ nihil iuris habere, idque dantibus, quâ poterunt honestate, significent, vt norit pecunias quamdiu non sunt expensæ, ad se pertinere.

Formulæ autem recursus sunt istæ. Ad dantem quidem: *Placetnè per eleemosynam aliquam pecuniariam talibus nostris necessitatibus subuenire?* Ad depositarium autem: *Talem necessitatem habemus, rogo vt ex deposito tibi commisso velis subuenire.* Quod si per diuersas manus debeat pecunia transire; *Rogo vt cures talem pecuniam transmitti ad tales Creditores, &c. vel per tales* (si notitiam requirat aliquorum) quæ omnia prudenti iudicio trutinanda sunt.

IN CAPVT V. REGVLÆ.

TEXTVS.

Fratres quibus Dominus dedit gratiam laborandi, laborent fideliter & deuotè, ità quod excluso otio animæ inimico, sanctæ orationis & deuotionis spiritum non extinguant, cui cætera temporalia debent deseruire.

TITVLVS VNICVS.
De laboritio.

QVÆSTIO I.
An sit aliquod præceptum speciale in Regula laborandi opere manuali?

RATIO dubitandi sumitur potissimum *ex Testamento S. Patris Francisci, vbi sic legitur: Et ego manibus meis laborabam, & volo laborare, & omnes alij Fratres volo quod laborent, de laboritio quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt discant, non propter cupiditatem recipiendi prætium laboris, sed propter exemplum, & ad expellendam otiositatem, &c.*

CON-

CONCLVSIO I.

NVllum est præceptum speciale in Regula laborandi manibus. Ratio est. 1. Quia illius præcepti siue æquipollentis mentionem non facit *Clemens V. Exiui de Paradyso.* dum alia enumerat.

2. Quia si præceptum esset, omnes obligaret, atqui *Nicolaus III. in sua Declaratione* eximit ab hoc præcepto, vacantes litteris siue studiis ac prædicationibus: Item, contemplatiuos & orationi notabiliter addictos. Item, diuinis officiis & ministeriis impeditos: ergò simpliciter Regulæ speciale præceptum non est.

CONCLVSIO II.

PRæceptum laborandi est diuinum naturale, in quantum otiositatem excludit, vnde non amplius obligat Fratrem Minorem quam alium Christianum. Sumitur ex verbis Testamenti: *Volo* (ait) *quod laborent, &c. proter bonum exemplum, & otiositatem expellendam*: ergò non amplius obligat quam ex natura rei, quâ tenetur omnis homo, *Otium vt puluinar diaboli* vitare. Hoc ipsum patet *ex Nicolao III. suprà.* Vbi declarat, ad Fratres, qui se spiritualibus operibus non exercent, aut aliorum Fratrum licitis seruitiis non occupantur, verba Regulæ ex-

tendi; *Ne* (inquit) *otiosè viuant*, ergò sublato otio, præceptum non obligat.

CONCLVSIO III.

VErba Regulæ modos quosdam exhibent, quibus manuale opus rectificetur. Patet ex illis verbis: *Laborent fideliter & deuotè*, q. d. cum ad otium vitandum interdum laborandum manibus sit, ità laborent Fratres, vt fidem seruent ei in cuius gratiam laboratur, & pietatem Deo: ne temporales labores præferant spiritualibus, & actionem Marthæ, quieti Mariæ. Nam vt benè *Nicolaus III. suprà. Exemplo Christi & Sanctorum labor spiritualis tantò manuali præponderat, quantò quæ sunt animæ corporalibus præferuntur*: Et vt S. P. *Spiritui orationis & deuotionis cætera temporalia debent deseruire.*

CONCLVSIO IV.

FRatres qui deſidiosè vel otiosè viuunt, iuxtà rationem otij & desidiæ, peccant, & frequenter in peccata grauissima dilabuntur, vtique: *Multam malitiam docuit otiositas*. Et *Otium puluinar diaboli est*.

Ad rationem dubitandi patet responsio: Præterquam enim quod Testamentum S. Patris non obliget, indicat se laborem requirere tantum propter exemplum, & ad otiositatem vitandam.

TEX-

TEXTVS II.

De mercede verò laboris pro ſe & ſuis Fratribus, corporis neceſſaria recipiant.

TITVLVS I.

De mercede laboris.

QVÆSTIO I.

An poßint Fratres Minores laborare pro mercede?

CONCLVSIO I.

POſſunt Fratres Minores laborare pro mercede recipienda. Patet ex textu. Si enim mercedem recipere poſſunt, pro mercede laborare poſſunt.

CONCLVSIO II.

NOn tantum poſſunt laborare pro mercede, ſed etiam labor huiuſmodi à S. Franciſco indictus eſt, ad neceſſaria ſibi prouidenda. Patet ex textu. *De mercede verò laboris, corporis neceſſaria recipiant*, &c. q. d. laborent & manducent, ſiue ex laboritio ſibi neceſſaria conquirant.

QVÆSTIO II.

Quod sit conformius Regulæ ostiatim mendicare, an labore sibi necessaria conquirere?

CONCLVSIO.

Melius & Regulæ conformius est labore proprio necessaria conquirere, quam ostiatim mendicare. Probatur 1, Ex intentione totius Scripturæ quæ in Apostolicâ vitâ hunc modum maximè laudat. *Actor. 20. Paulus: Argentum* (ait) *& aurum aut vestem nullius concupiui: quoniam ad ea quæ mihi opus erant, & his qui mecum sunt sub ministrauerunt manus istæ: Omnia ostendi vobis, quoniam sic laborantes oportet suscipere infirmos, & meminisse verbi domini Iesu, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quam accipere &c. Et Psalmo* 127. dicitur: *Labores manuum tuarum quia manducabis, beatus es & bene tibi erit.*

Probatur 2. ex intentione S. P. Francisci tum hic in textu indicatâ, tum in Testamento clarissimè expressâ: *Et quando* (inquit) *non dabatur nobis prætium laboris, recurrebamus ad mensam Domini, petendo eleemosinam ostiatim.* q. d. Non recurrebamus ad mensam Domini quamdiu labore nostro ne-

necessaria nobis conquirere poteramus.

Et hic fuit modus Antiquorum Patrum qui in membranis scribebant, cophinos vimineos, & mattas ac alia opera faciebant, ex quorum ratione victitabant.

APPENDIX.

Ex quo infero in bonum Ordinis melius restituendum opus manuale, ad necessariorum prouisionem, quam multas onerosas mendicationes multiplicandas. Quamuis aduertendum hic sit, nostras mendicationes ordinarias, non tam mendicationes esse quam humiles postulationes mercedis, ratione multorũ obsequiorum populo præstitorum in Concionibus, confessionibus, diuinis officiis, & aliis, quæ quidem minori incommodo fieri possent, eo modo quo refert *Hugo de Dina supracitatus c. 4. tit. 7. q. vnicâ.*

QVÆSTIO III.

Ex quo labore manuali debeant Fratres mercedem accipere?

CONCLVSIO.

Ex omni honesto & licito labore manuum, possunt Fratres mercedem accipere. Ita intentionem suam explicat S. Pater

ter

ter in Teſtamento:de *Laboritio quod pertinet ad honeſtatem.* Honeſtas autem attenditur & in ratione operis, & in ordine ad honeſtatem religioſæ vocationis. Sic licet Latomis, Scriniariis, Carpentariis, Sartoribus, Hortulanis, Pictoribus, Scriptoribus, & id genus, intuitu mercedis laborare in operibus artis ſuæ.

QVÆSTIO IV.

An liceat recipere mercedem pro labore Spirituali vt Miſſis, Diuinis officiis, Concionibus, Confeſſionibus &c?

CONCLVSIO.

Licet Fratribus Minoribus pro labore ſpirituali Miſſarum, Diuinorũ Officiorum &c. recipere mercedẽ (id eſt) corporis neceſſaria. Ratio eſt. Quia Regula Fratrum Minorum non tollit ius diuinum naturale, niſi exprimat; atqui iure diuino naturali licet pro ſpiritualibus obſequiis corporis neceſſaria recipere; ergo Fratres Minores id poſſunt, cum Regula non prohibeat. Minor probatur 1. *ad Corinth.* 9. *Quis militat ſuis ſtipendiis vmquam? quis plantat vineam & de fructu eius non edit? quis paſcit gregem & de lacte eius non manducat? Scriptum*

eſt

est enim in lege Moysi: Non alligabis os boui trituranti, Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos vtique dicit? Infra: *Si nos vobis spiritualia seminauimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?* Infrà: *Nescitis quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario sunt edunt, & qui altari deseruiunt, cum altari participant? Ità & Dominus ordinauit qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere.* Et alia passim occurrunt in Scripturâ.

DVBIVM INCIDENTALE.

Cur ergò Recollecti ordinis Fratrum Minorum refugiunt Missas celebrare, saltem pro victu & vestitu?

ANtonius Corduba existimat id factum in Ordinis publicam vtilitatem, vel defectuum suppletionem. Cum enim maior pars Ordinis tunc temporis huiusmodi medio Missarum &c. vteretur, ad necessariorum prouisionem, quo fiebat, vt vix communes Benefactores iuxtà exigentiam suorum benefactorum, ex Missarum fructu remunerarentur: Fratres Recollecti, quasi in commune bonum cõspirantes, abstinuerunt à similium receptionibus pro Missarum stipendio, vt benefactoribus spi-

ſpiritualibus Ordinis in ſuis Miſſis & aliis Officiis Diuinis ſatisfacerent, vice totius Ordinis.

CONCLVSIO.

FRatres Recollecti hactenus abſtinuerunt à receptione Miſſarum particularium dicendarũ intuitu alicuius mercedis, pro perſonis particularibus, non quia illicitum eſt, ſed vt euitarent maculas, & multa pericula peccatorum, quæ in huiuſmodi Miſſarum grauaminibus occurrere ſolent: Hanc concluſionem indicat *Corduba*, & in rei veritate talis eſt; Grauamina enim illa Miſſarum tanta ſunt, vt ſi indifferenter & ſine delectu multum diſcreto recipiantur, & Conuentus, & Ordinem totum in ſumma pericula præcipitent, dum ſæculares nullas aut paucas eleemoſinas dare volunt, niſi ſub obligatione Miſſarum, etiam aſſignato certo numero, quibus ſatisfaciendis cum Fratres interdum non ſufficiant, in ſcrupulos & conſcientiarum anxietates dilabuntur.

QVÆ.

QVÆSTIO V.

Quæ Corporis necessaria de mercede laboris recipi possint?

CONCLVSIO.

Corporis necessaria sunt: victus, vestitus, Infirmorum necessitates, Habitatio Fratrum congrua, Prouisio eorum quæ ad status sui officia conuenientia pertinent. Conclusio patet ex terminis necessitatis corporalis.

ABVSVS.

Contrà hanc particulam peccant qui de mercede laboris superflua, curiosas, pretiosa requirunt, qui ex mercede laboris domos amplas, picturas superfluas, excessiuas bibliothecas procurant.

TEXTVS III.

Præter denarios & pecuniam,

QVÆSTIO I.

An contineatur his verbis speciale præceptum?

CONCLVSIO.

Non continetur his verbis speciale præceptum. *Cap.* 4. Ne quis enim putaret

taret occasione mercedis, quasi communi iure, pecuniam pro mercede datam, in vsum Fratris Minoris cedere posse, S. Franciscus præceptum de non recipienda pecunia repetiit, vt eam etiam à ratione mercedis exclusam ostenderet, respectu Fratris Minoris.

QVÆSTIO II.

Quid dicendum de pecuniis depositis pro Missis, Concionibus, Officiis diuinis, Sepulturis, &c?

RESpondeo 1. Pro quouis opere, siue manuali, siue spirituali pecuniæ deponantur: ad illas Fratrem Minorem non posse recurrere, nisi eo modo, quo ad alias depositas vel oblatas sub aliis causis vel rationibus; *Vide quæ diximus c. 4. tit. 5. q. 7.*

RESpondeo 2. Si is cui obsequium est præstitum det alicui pecunias, vt emat Fratribus cibos, pannum, tunc sine scrupulo Fratres acceptare possunt. Non enim pecuniam, sed cibos immediatè quærere censendi sunt, vt aliàs in simili diximus.

TEX-

Textvs IV.

Et hoc humiliter ſicut decet Seruos Dei & paupertatis S^{mæ}. Sectatores.

Qvæstio I.

An poßint Fratres Minores paciſci de mercede laboris, ſiue manualis, ſiue ſpiritualis?

Conclvsio I.

NOn poſſunt Fratres Minores paciſci pactione Ciuili ſeu Politicâ de mercede ſui laboris, ſiue corporalis ſiue ſpiritualis. Hoc manifeſtè indicatur textu præſenti: *Et hoc humiliter ſicut decet Seruos Dei & paupertatis ſanctißimæ Sectatores*, q.d. non iure aliquo Politico, velut ex debito mercedem recipiant, ſed humiliter per modum eleemoſynæ. Ratio verò eſt, quia Fratres Minores ſunt incapaces omnis iuris Politici ad quamcumque rem, g. & ad mercedem.

Conclvsio II.

POſſunt tamen Fratres Minores humiliter petere, quod iure naturali debetur, in mercedem, abſque obligatione ciuili. Ratio eſt quia iuxtà dictum Scripturæ: *dignus*

Dignus est operarius mercede sua: Et quamuis Frater Minor non sit capax obligationis mutuæ; sæcularis tamen, iure naturali diuino, obligatur mercedem pauperis non defraudare. Plura verò hic dubia occurrunt.

PRIMVM DVBIVM.

An possint Syndici exigere in iudicio, quæ pro Sepulturis, Exequiis, Missis, iure communi constituta sunt?

RESpondeo non posse, nisi talia, vi Testamenti Fratribus legata essent: Ratio est, quia Fratres Minores non sunt capaces talis iuris, sed talia, modis suæ Regulæ congruis, per modum tantum eleemosynæ, recipere possunt.

Dixi (nisi talia testamento legata essent) hæc enim Pontifex vt communis Pater pauperum mandat per personas idoneas requiri, ne defunctorum piæ intentiones defraudentur, tunc verò syndicus censetur requirere nomine Papæ, non nomine Fratrum.

SE-

SECVNDVM DVBIVM.

An poßint amici Fratrum, vendere libros, imagines, picturas, quas Fratres opere suo manuali fecerunt: Similiter: An liceat Fratribus scribere libros, pingere, &c. vt diuendantur?

RESpondeo: Per Syndicum talia licitè vendi posse: Ratio est, quia ex natura sua res sic à Fratribus factæ Summo Pontifici cedunt; tamquam Ordinis Parenti, cui acquirit Filius velut minorennis, & iuris incapax, in omni re etiam quasi castrensi, vel paraphernali, cum non habeat, cui aliter acquirat: Pij Parentis autem Summi Pontificis mens indubitata est; vt operæ filiorum distrahi possint, pro veris & certis necessitatibus suis. Vnde ad secundũ similiter respondetur: Licere Fratribus similes operas facere vt distrahantur, & earum pretium in necessitates suas conuertatur, non enim intendunt contractus medios, qualescumque interueniát, sed tantum, vt eorum necessitati congruè satisfiat: sicuti qui procurat solutionem necessitatis per pecuniam, non censetur intendere pecu-

cuniam, sed tantum necessitatis suæ subsidium.

TERTIVM DVBIVM.

An liceat curare emi aliquas materias, vt in illis Fratres operentur, & demum per syndicum, aut alios æstimato materiæ pretio diuendantur?

AVthores hic variant, dicentes, quod si materia sit magni pretij non licere, vt si sit argentum, aurum, pannus, corium, &c. Si autem sit materia vilis, vt papyrus, gypsus, iunceus, licere.

Respondeo, non licere per se, siue ex natura emptionis, tales res quascumque viles aut pretiosas, emptione procurare, vt diuendantur æstimato pretio. Ratio est, quia hic interuenit quoddam genus negotiationis, contrà puritatem vitæ Fratrum Minorum.

Dixi (per se & ex naturâ emptionis) potest enim quis materiam curare emi non nomine suo, nec in vtilitatem sui, sed in vtilitatem eius, pro quo in re operatur. Ex. g. Petit aliquis, vt Frater pictor imaginem sibi pingat: si non offerat telam, colores & alia; potest Frater illa quærere sub interpre-

pretatione tacitâ, quod ille, pro quo pingit, Mercatori soluet: Similiter in alio casu: Frater sculptor sculpsit imaginem ex ligno quod pertinebat ad Conuentum, potest per se recipere mercedem non tantum sculpturæ suæ & artis, sed etiam ligni, non obligatione ciuili, sed naturali quâdam compensatione, aut certè potest Syndicus exigere pretium ligni illius, tamquam pertinentis ad Romanam Sedem.

QVARTVM DVBIVM.

An liceat pro habitibus Ordinis, in quibus sæculares defuncti ex deuotione sepeliuntur, recipere pretium?

Respondeo 1. Licere naturali gratitudine, nullo æstimato pretio, recipere compensam: Patet ex natura rei. Suppono enim 1. quod authoritate Summi Pontificis de tali habitu, tantæ pietatis intuitu, disponere possint, vt docet Corduba, *ex declaratione, viuæ vocis oraculo, facta Reuerendissimo Patri Francisco de Angelis Generali Ministro.*

Suppono 2. Naturali compensatione scire ex gratitudine eum cui habitum gratuitò trado, mihi debere honestam etiam satisfactionem.

Reſpondeo 2. Syndicos tales habitus vendere poſſe, tamquam nobis minùs vtiles.

ABVSVS.

IN his porrò omnibus, quæ ſupradicta ſunt, cauendi ſunt abuſus eorum, qui cum ſæcularibus paciſcuntur pro Miſſis, Funeralibus, qui contractus diuerſos faciunt pro ſuis operibus, vendendo, emendo, contrahendo, qui operas ſuas elocant æſtimato pretio & ſimilia, ſine Deî timore, & Regulæ ſuæ conſideratione, vt meri ſæculares perpetrant, & iuxtà materiæ aut ſcandali qualitatem, plurimis peccatis mortalibus ſe intricant.

IN CAPVT SEXTVM.

TEXTVS I.

Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem.

HIc omnia ſunt repetenda quæ initio cap. 4. anticipatiuè diximus, de paupertate Fratrum Minorum: de rerum, quibus Fratres vtuntur, dominio: de earum legitimo vſu, &c. Nunc verò ſubnectemus ea quæ ibidem omiſſa ſunt.

TITVLVS I.

De proprietate in rebus ſpiritualibus.

QVÆSTIO VNICA.

An Fratres Minores ſint capaces alicuius priuilegij vel iuris ſpiritualis?

RAtio dubitandi ſumitur *ex Aluaro apud Serenam conſcientiam c. q.* 14. *Cum Fra-*

tres Minores (inquit) *tamquam euangelici viri debeant esse subiecti omni humanæ creaturæ propter Deum, & maximè Prælatis, Extrà de Maiorit. & Obed. c. Solitæ : Quid ergò faciunt in mundo Fratres Minores, maiores iam per priuilegia facti? Verè ergò contrà eorum nomen & professionem sunt omnia priuilegia, excepto priuilegio Confirmationis Regulæ.*

CONCLVSIO.

PRiuilegia ſpiritualia, vel quaſi ſpiritualia, quæ bona temporalia non contingunt, non ſunt contrà Regulam, adeòque Fratres his gaudere poſſunt. Ratio eſt, quia virtus paupertatis abnegat tantum poſſeſſionem bonorum temporalium, vt ex Euangelio conſtat, nec Priuilegia ſpiritualia reſpuit, quæ his ſolis diues, pro vſu rerum temporalium illa rependit : dicente Apoſtolo 2. *ad Corinth.* 8. *In præſenti tempore veſtra abundantia illorum inopiam ſuppleat, vt illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum, vt fiat æqualitas, &c.* Vndè & Chriſtus Apoſtolis ſimilia priuilegia largitus eſt; qui eos & prædicare, & baptizare, & infirmitates curare, & à vinculis ſpiritualibus ac peccatis abſoluere, in vniuerſum orbem miſit.

Priuilegia ſpiritualia voco : Iuriſdictiones ad *prædicandum*, *Confeſſiones audiendas*,

Sa-

Sacramenta administranda, prout eis Sancta Sedes concedit, item Indulgentias, gratias, &c.

Priuilegia quasi spiritualia, sunt exemptiones, priuilegia Sepulturarum, habendi Ecclesias, Campanas, Oratoria; Item quod in Ecclesiis nostris in Dominicis sæculares Missam audire possint, quod Fratres celebrare possint tempore interdicti; quod Fratres in certis locis prædicent, &c.

Dixi verò (quæ bona temporalia non contingunt.) Omnia enim priuilegia quæ bona temporalia contingunt, Fratribus Minoribus, ratione temporalium bonorum, non permittuntur, secundum puritatem Regulæ. Talia sunt priuilegia, quibus ius conceditur Portiones canonicas percipiendi, Funeralia, id est, fructus siue stipendia funeralibus debita, & id genus. Etsi enim Fratres Minores per modum eleemosynæ oblata recipere possint, non possunt tamen vt iuridicè debita prætextu cuiuscumque priuilegij recipere.

Petes 1. An liceat Fratribus habere priuilegium non soluendi gabellas, &c. Respondeo, licere, quia hoc priuilegium non nisi negatiuè bona temporalia respicit: quia pauper, qui nihil habet, nihil sol-

uit, cum ſolis eleemoſynis, & ex alieno viuat.

Petes 2. An poſſint Fratres Minores habere & tueri priuilegium in certis locis petendi eleemoſynas? Reſpondeo licere; hoc enim eſt ius & priuilegium pauperum: & qui priuilegium habet petendi in certo loco, non habet ius exigendi. Quod verò pro certis locis detur, in commodum ſit populi, ne aliis mendicantibus grauetur, ſed præ illis Fratres Minores velut commendentur.

Petes 3. An liceat tueri ius prædicandi in certis locis? Reſpondeo licere, hoc enim ius eſt quaſi ſpirituale.

Ad rationem dubitandi in principio poſitam reſpondeo, debere intelligi de priuilegiis, quæ vel paupertati vel humilitati Fratrum Minorum contradicunt: qualia non ſunt ſuprà enumerata, niſi valdè indirectè & ex abuſu aliquorum vtentium: etſi enim libertatem quandam exemptiones adferre videantur, ea tamen non tam Fratres reſpicit, quam vtilitatem populi, in Sacramentalium, & Sacramentorum, & aliorum Miniſteriorum diſpenſatione.

Dices. Sanctus Franciſcus in Teſtamento prohibet per obedientiam vniuerſis Fra-

Fratribus: *Ne audeant petere aliquam litteram in Curia Romana, neque pro Ecclesia, neque pro aliquo loco, neque sub specie prædicationis, neque pro persecutione suorum corporum,* &c. Ergò saltem mens eius non fuit, vt aliquod priuilegium Fratres peterent.

Respondeo 1. Testamentum non obligarè. Respondeo 2. Negando consequentiam. Ad antecedens dico, litteras pro loco vel Ecclesia, dicere priuilegium concernens bona temporalia: vndè sensus est: quod inuitis Dominis & incolis non debeant Fratres, quouis prætextu, siue prædicationis, siue quia persecutionem patiuntur ab illis, obtinere possessionem vel vsum alicuius Ecclesiæ vel loci, quasi ab auctoritate superiori Papæ. Sed si eis non concedatur habitationis locus, vel Ecclesia, fugiant ad aliam terram, & locum violenter per superiorem auctoritatem non obtineant.

ABVSVS.

Ideant itaque qui violentia quasi armata manu, loca occupant, plantant cruces, vt aliquando proh dolor visum est fieri.

TITVLVS II.

De proprietate in vſu ſimplici rerum.

QVÆSTIO I.

An in ſimplici vſu facti poſſit eſſe proprietas?

CErtum eſt ex hoc præcepto: *Fratres nihil ſibi approprient*, prohiberi omnem omninò proprietatem, *Iuris*, *Dominij*, *vſus iuris*, *vſus fructus*, in omni omninò re tam in communi quam in particulari. Quæritur verò an ſimiliter prohibeatur aliqua proprietas in vſu ſimplici facti: Non enim videtur proprietas interuenire poſſe in eo, qui quocumque vtitur, vtitur vt alieno & non ſuo.

CONCLVSIO.

POteſt committi peccatum Proprietatis in ſimplici vſu facti ex duplici capite. Nimirum, 1. ex parte Domini, rei vſum non concedentis. 2. Ex parte ſuperioris, vſum etiam ſimplicem huiuſmodi rei ſubdito non permittentis. Concluſio clara eſt: quia qui nihil ſibi appropriare poteſt, nec vſum rei appropriare poteſt: qui autem contrà

contrà voluntatem Domini vſum rei ſibi accipit, vſum à Domino veluti furatur, & ſibi appropriat; Similiter cum res Religioni tradita ad vſum ſimplicem, ſub adminiſtratione ſuperioris tradi cenſeatur, qui eâ re contrà voluntatem Superioris vtitur: rem communi adminiſtrationi relictam, ſuo particulari vſui illicitè appropriare iudicatur. Et per hoc patet reſponſio ad rationem dubitandi.

Et hoc debent benè conſiderare Superiores, vt nihil contrà voluntatem Dominorum aut Eccleſiæ, ad vſum in Ordine recipiatur: Et Fratres, ne vel modicâ re vtantur ſine legitima licentia Superioris. In his enim maximè peccatum Proprietatis fundatur.

QVÆSTIO II.

An poſſint Prælati ſuis Fratribus permittere vſum particularem librorum, vtenſilium, ſupellectilis, &c. & recurſum ad Eleemoſinas pecuniarias pro ſimilibus?

Senſus quæſtionis eſt; An poſſint Prælati permittere Fratribus, vt habeant ſuas bibliothecas particulares, ſua ſtrophiola, &c.

Item

Item vt faciant deponi pecuniam, vel denarios pro necessitate particulari apud Sindicum vel aliam personam, vt recurrant secundum suam dispositionem & voluntatem, &c. Pro resolutione nota, vsum rerum & peculij diuersimodè posse concedi.

1. Certò, indeterminatè, & irreuocabiliter: vt si Generalis vel Superior, det Fratri Priuilegium vt vtatur rebus prout vult, suis prouideat necessitatibus, ita vt non possit illa licentia reuocari.

2. Indeterminatè quidem, sed reuocabiliter. Ex. g. Procura tibi res tuas, & vtere quibusuis ad reuocationem vsque.

3. Determinatè & reuocabiliter. Ex. g. Vtere tot libris, strophiolis, vtensilibus; ad vsus tales tibi necessarios permitto subueniri tibi tali pecuniâ depositâ.

CONCLVSIO I.

NOn potest totus Ordo certò, indeterminatè, & irreuocabiliter concedere alicui cuiusquam rei vsum, multò minus recursum ad peculium: Ratio est quia talis modus dicit quandam proprietatem & ius vtendi, quod planè repugnat statui Fratrum Minorum.

CONCLVSIO II.

NVllus Prælatus potest indeterminatè & indistinctè permittere alicui vsum librorum

librorum, vtenſilium, &c. aut recurſus ad eleemoſinas pecuniarias, etiamſi id reuocabiliter faciat. Ratio eſt, quia exponit ſubditum manifeſto periculo mortaliter peccandi, & eſt occaſio propinqua infinitarum tranſgreſſionum, abutiturque ſuâ poteſtate infideliter in deſtructionem. Tales enim, nullo habito reſpectu, multiplicant ſibi veſtes; curioſa quæque conquirunt, cellas more Magnatum exornant, libros infinitè & ſuperfluè multiplicant, conuiuia inſtruunt & alia infinita faciunt, *Quæ latè videre potes apud Ioannem Piirinum, in Tractatu de diſpenſatione Frattum Minorum. Concl. 2. coroll. 1. & 2.*

Et hoc eſt quod declarauit *Nicolaus 3. a.* 3. vbi poſtquam diſpoſitionem vſus rerum Fratribus conceſſarum; diſpoſitioni Miniſtrorum & Cuſtodum eorumque diſcretioni relinquit, ſtatim reſtringit. *Iſta tamen ſic faciant, quod ſemper in eis, & eorum actibus, paupertas ſancta reluceat: prout ipſis ex eorum regula inuenitur indicta.* Quod non ſeruant qui indeterminatè licentias iſtas concedunt: & hæc fuit cauſa totalis pene ruinæ in Religione noſtra: dum cuiuſlibet voluntati ſeruitur, & cuilibet ſua particularis Prouiſio relinquitur: Quæ peſtis Deo laus à Prouinciis Belgicis exulcauit, dum com-

communis vita vſque ad acum reſtituta eſt.

Dices *Nicolaus 3. a. 3. ad finem* permittit Miniſtros & Cuſtodes ſollicitam curam gerere pro infirmis & Fratribus induendis, & aliis neceſſitatibus per alios Fratres, quibus id committere voluerit.

Reſpondeo id debere fieri attentis (vt ſuperius ait) neceſſitatibus & aliis circumſtantiis: quæ ſecundum Deum & Regulam attendendæ videntur. Neque verò ſecundum Deum & Regulam indifferenter poſſunt ſic committere, & quibuſcumque: quia contrà Deum & Regulam, eſt aperire latam portam hiſce relaxationibus. *Vide Cordubam.*

CONCLVSIO III.

POſſunt Prælati concedere determinatè, & reuocabiliter vſum determinatum librorum, vtenſilium aliquorum, imò & permittere recurſum in neceſſitate ad peculium pro certâ & determinatâ ipſius Fratris neceſſitate depoſitum; ſeruatis moderaminibus Regulæ & Declarationum Papalium: ſed non expedit bono Religionis.

1. Pars patet ex Declarationibus ſuprà citatis, & quia in Regula nullo id præcepto prohibetur expreſsè: & alias Frater non habet

habet nisi simplicem facti vsum ex scientiâ determinatâ & expressâ sui Prælati, nec de illis disponere potest sine eius assensu.

Dixi (seruatis moderaminibus) quia non nisi moderatus vsus secundum exigentiam status, personæ, loci, & temporis concedi potest, vt ex Nicolao 3. suprà declaratum fuit.

Dixi iterum (sed non expedit bono Religionis) quia Communitas omnium rerum in omni Religione benè reformatâ, est quasi quoddam vinculum totius corporis : vnde & Serena Conscientia Q. 42. & Littera C. dicit, Beatum Franciscum noluisse Fratres alicuius rei vsum peculiarem habere vltrà necessaria vestimenta, præter Breuiarium : & refert, Innocentium Papam decreuisse, vt libri non haberentur nisi in communi.

TITVLVS III.

De nonnullis actibus paupertatem Fratrum Minorũ concernentibus.

QVÆSTIO VNICA.

An liceat Fratribus Minoribus emere ?

PRò resolutione aduertendum : Emere nihil aliud esse in rigore quam contractu

tractu ciuili rem aliquam, mediante pretio pecuniario, sibi comparare.

CONCLVSIO I.

NOn licet Fratribus Minoribus in rigore emere. Ratio est: quia nec sunt capaces pretij pecuniarij, nec proprietatis rei alicuius.

Dixi (in rigore) lato enim modo licet Fratribus emere, prout, emere dicit: de pretio conuenire: solutionem rei per personas idoneas procurare; vsum simplicem rei sibi acquirere.

Vnde notandum est ad clariorem huiusmodi contractus notitiam; multos in similibus contractibus actus interuenire. 1. est licitatio seu æstimatio pretij per modum conuentionis naturalis. 2. est Conuentio ciuilis & obligatio de pretij solutione & rei comparatione. 3. est solutio pretij pecuniarii, vel eius procuratio. Pro quibus sit Regula Generalis.

REGVLA GENERALIS.

Omnis actus in contractibus, qui nullam dicit obligationem ciuilem, proprietatem, aut pecuniæ vsum, Fratribus Minoribus licitus est. Sic igitur in emptione. 1. licet sine obligatione vllâ ciuili pretium æstimare, & de pretio, naturali iudicio, conuenire.

2. Licet

2. Licet fidelitate naturali se obligare ad procurandam per licita media solutionem. 3. Licet per idoneas personas solutionem actu procurare, in casibus, de quibus suprà, de recursu ad pecuniam.

Non licet verò 1. se ad rei pretium ciuiliter obligare. 2. Non licet rei proprietatem vel dominium per talem contractum acquirere, sed tantum nudum vsum. 3. Non licet per se, vel per alium suâ auctoritate solutionem facere.

ANNOTATIO.

EX quibus iterum notanter scire debent Fratres, non licere ipsis in vi verbi emere, nec per se, nec per interpositam personam. Emptiones enim quæ pro ipsis fiunt, siue in eorum vtilitatem, nec ab ipsis fieri censentur, nec eorum auctoritate; sed à solutionem donantibus, vel eorum nuntiis aut depositariis, eorum nomine. Et acquisitio rei non fit Fratribus, sed vel Dominis ementibus, vel Ecclesiæ Romanæ.

ABVSVS.

PEccant igitur: qui conuentione ciuiliter obligatoriâ de pretio rei paciscuntur.

2. Peccant: qui velut Domini emunt: qui ſchedulas ciuiliter obligatorias præſtant.

3. Peccant: qui ſolutionem ſuâ auctoritate mandant.

4. Peccant: qui terminis & verbis dominium vel proprietatem ſonantibus ſcandaloſè vtuntur, etſi in mente benè ſentiunt.

QVÆSTIO II.

An liceat Fratribus Minoribus vendere?

ADuerte 1. Vendere in rigore nihil aliud eſſe quam rem aliquam in alicuius dominium & proprietatem transferre, accepto pro illâ pecuniario pretio.

Aduerte 2. In venditione plures iterum actus concurrere. 1. eſt: Æſtimatio rei, ſiue conuentio de pretio. 2. eſt: Abdicatio dominij à vendente, & tranſlatio eius in ementem, mediante obligatione pretij. 3. eſt: Ius pecunias ſiue pretium recipiendi, vel eius actualis receptio.

COCNLVSIO I.

FRatribus Minoribus in rigore verbi non licet vendere. Ratio fundamentalis

talis quæ ſuprà : quia Fratres Minores nec ſunt capaces iuris, vel dominij transferendi (nemo enim dare poteſt quod non habet) nec recipere poſſunt pecuniam.

CONCLVSIO II.

Omnes alij actus qui non includunt aliquod ius, vel pecuniæ receptionem Fratribus Minoribus in venditione, ſunt liciti. Sic licet naturali iudicio rem æſtimare, & velut de rei pretio naturaliter abſque obligatione conuenire : licet rogare vt res per perſonas idoneas vendantur. Ratio clara eſt, quia hæc à quolibet quantumuis extraneo & alieno fieri poſſunt.

QVÆSTIO III.

An ſint aliquæ res vſibus Fratrum Minorum deputatæ, quæ vendi poſſunt, & à quibus?

CONCLVSIO I.

Libri & mobilia (quorum dominium ad Eccleſiam pertinet) cum contingit aut expedit vendi æſtimato prætio (vtpotè quod Fratribus iam inutilia ſint, aut non ita vtilia) per Procuratorem, ſiue Syndi-

cum Romanæ Sedis vendi poſſunt, ità vt pecunia vel pretium ab ipſo recipiatur, & in rem licitam (cuius vſum Fratribus licet habere) expendatur, iuxtà eorum neceſſitatem, præteritam, præſentem vel ingruentem. *Ità expreſſè Nicol.3.a.6.*

Dixi (quorum dominium ad Eccleſiam pertinet) quia ſi concedentes ſibi dominium reſeruauerint, ad eos de iis diſponere pertinebit.

CONCLVSIO II.

LEgata ſimiliter, vt domus, ager, vinea quæ legantur Fratribus, ad hoc quod per certam perſonam vel perſonas idoneas diſtrahantur, & pecuniâ de ipſis acceptâ, in Fratrum neceſſitates expendantur: poſſunt iuxtà eorum neceſſitatem à dictis perſonis vendi, vt ſuprà. *Ità iterum Nicol.3.a.5.*

CONCLVSIO III.

EQui, arma, & id genus quæ in funeralibus aliâs offeruntur, poſitâ verâ neceſſitate, præteritâ, præſente, vel imminente, &c. ſicut acceptari poſſunt, ſic per ſyndicum, aut perſonas à donantibus deputatas vendi poſſunt, & in res vtiles Fratrum, earum pretium conuerti. *Ita Clemens V. c. 10.*

CON-

CONCLVSIO. IV.

OMnes res etiam immobiles, quæ Fratribus desinunt esse vtiles, possunt per Syndicũ nomine Romanæ Ecclesiæ, vel donantium (si sibi dominium reseruauerint) æstimato pretio vendi, & in res magis vtiles aut necessarias Fratribus pretium earum impendi. *Sic concessit Martinus V. & Leo X. anno 1529. Et Concilium Constantiense vt refertur in compend. Priuileg.* Nec est priuilegium contrà Regulam, aut Regulæ Declarationes, cum nihil Fratrum auctoritate fiat, sed sit tanum prouisio Apostolicæ Sedis, ad quam res huiusmodi spectant. Vndè fit vt Syndici liberè vendant domos, hortos, & alia quæ prius vsibus Fratrum cedebant, quandò contingit eos aliò migrare, vel quandò desinunt Fratribus vtiles esse, seruatis tamen conditionibus, de quibus in Constitutionibus Apostolicis.

QVÆSTIO IV.

An liceat Fratribus res aliquas mendicare, eâ intentione vt vendantur per idoneas personas, & earum pretium in res vsui eorum competentes conuertatur?

SEnsus quæstionis est: An liceat mihi granum mendicare vt vendatur, & butyrum, pannus, vt alia Conuentui necessaria comparentur.

Hic magna alterratio est inter Expositores communiter dicentes, non licere: quia quod sic mendicatur, vt æstimato pretio, diuendatur, aut distrahatur, pecunia est.

CONCLVSIO I.

LIcet Fratribus nonnulla recipere & procurare eo animo vt vendantur vel distrahantur per idoneas personas, æstimato pretio. Probatur *ex Declarationibus Nicolai III. & Clemeutis V.* Ille enim *a.* 5. permittit legata testamento, sub istis conditionibus recipi, imò indifferenter legata mobilia vel immobilia si vsibus Fratrum non sint opportuna, vult intelligi legata, sub istâ conditione, vt vendantur, & pretiũ per personas idoneas in licitos & necessarios

arios Fratrum vſus expendatur. Similiter *Clemens V.* diſponit de receptione armorum & equorum, vt ſuprà exemplificatum eſt.

CONCLVSIO II.

NOn licet huiuſmodi recipere, niſi in caſibus, quibus licet ad pecuniarias eleemoſynas recurrere, nimirum in verâ, Præſenti, præteritâ, vel imminenti neceſſitate. *Ità expreſsè citati pontifices.*

CONCLVSIO III.

IN neceſſitatibus quibus licet ad pecuniarias eleemoſynas recurrere, licet quælibet mendicare, procurare, recipere, vt per idoneas perſonas vendantur, & pretium in res Fratribus neceſſarias & vtiles expendatur. Ratio eſt: quia ex caſu poteſt fieri recurſus ad amicos, per viam pecuniæ & denariorum, ergò multò magis ad res quæ pecunia non ſunt, vt docuimus *c.* 4. *tit.* 1. *q.* 1.

Petes 1. Quid interſit inter res ſic receptas vt vendantur & pecuniam. Reſpondeo multum intereſſe. 1. Quia pecunia (vt diximus) eſt id quo res emitur aut venditur, ſiue eſt inſtrumentum publicum, politicâ & publicâ auctoritate inſtitutum, ad res emendas vel vendendas. Id verò quod ſic procuratur vel recipitur: eſt id quod

venditur vel emitur 2. Pecuniæ vſus eſt per ſe omninò interdictus Fratribus: Huiuſmodi verò rerum ſic mendicatarum vſus non eſt Fratribus interdictus, niſi quia vel ſuperfluus, vel nimis pretioſus, aut curioſus. Vndè grano mendicato, eo animo, vt vendam poſſum licitè vti, in ea quantitate quæ mihi neceſſaria eſt: Similiter equo mihi (vt vendatur) oblato, poſſum aliquo tempore vti pro neceſſario opere antequam vendatur, & ſic de aliis. 3. Pecuniæ receptio immediata, imò quiuis contractus formalis Fratribus Minoribus eſt prohibitus. Huiuſmodi res autem ſic procuratas vel legatas poſſunt Fratres recipere, apud ſe retinere (imò vt dixi, vti) donec per perſonas idoneas vendantur. Et aliæ differentiæ hic excogitari poſſunt.

Petes 2. Cur ergò à Summis Pontificibus in Declarationibus ſemper pecuniis æquiparantur quæ ſic recipiuntur? Reſpondeo 1. Quia Pontifex non vult nos ad ſimilia recurrere, niſi in verâ neceſſitate, & conditionibus in recurſu ad pecuniam requiſitis, ne ſapiant ſuperfluitatem, pretioſitatem, aut aliquam theſaurizationem, quæ paupertati derogant. 2. Quia venditiones talium rerum non fiunt, niſi interueniente pecuniâ. *Vt notauit Nicolaus III. a. 6.*

Dices

Dices *Nicolaus* III. *a.* 3. §. *Insuper* : dicit Fratribus non licere vtensilia aut alia ad vllam superfluitatem , diuitias , seu copiam quæ deroget paupertati , vel eo animo vt ea distrahant, siue vendant , &c. ergò non licet talia mendicare vt vendantur,&c,

Respondeo 1. *Nicolaum III. ibidem* tantum dicere , se huiusmodi in dominium Romanæ Ecclesiæ non recipere.

Respondeo 2. Illa verba & similia (eo animo vt ea distrahant siue vendant) debere intelligi (per se , siue auctoritate suâ) hoc enim modo Fratres vendere , aut distrahere non possunt.

Respondeo 3. & clarissimè, Verba illa (eo animo vt ea distrahant siue vendant) referri debere ad illa (*ad vllam superfluitatem, diuitias, siue copiam, quæ deroget paupertati*) Hoc enim modo huiusmodi recipere non licet.

Hunc verò esse sensum patet, quià posteà domos, agros, vineas permittit recipi , eo animo, vt per personas idoneas distrahantur &c. vt iam frequentissime repetitum est: quod simpliciter non liceret , si omnis rerum receptio eo animo, vt vendantur, esset Fratri Minori interdicta.

Petes 3. Ad cuius dominium spectent res illæ quæ sic mendicantur vel recipiuntur vt vendantur.

Reſpondeo. Si dominium dantes ſibi non retinuerint, pertinere ad Romanum Pontificem. Ità inſinuat *Nicolaus* 3.*a.*6. vbi loquens de mobilibus Fratrum alienandis: *Quorum* (inquit) *dominium* (*cum non ſint dominij aliorum*) *ad præfatam Eccleſiam ſpecialiter ſpectare dignoſcitur.* Nec obſtat quod *a.* 3. idem Pontifex non recipiat in ſuum dominium ea quæ recipiuntur, eo animo, vt diſtrahantur &c. id enim intelligendum eſt de iis quæ diſtrahuntur ad ſuperfluitatem vel theſaurizationem &c. Iſta enim quæ recipiuntur vt vendantur vel diſtrahantur &c. (vt ſupponitur) verè neceſſaria ſunt, ſi non in ſe immediatè, in iis tamen, quæ per illa acquiruntur. Dixi ſuprà (ſi dominium dantes ſibi non retinuerint) ſi enim ſibi retinuerunt, iſta ſine eorum auctoritate & voluntate vendi aut diſtrahi non poſſunt.

COROLLARIVM. ET CAVTELÆ.

Ex his patet qualiter ſe debeant gerere Fratres Minores, ſi quandò res aliquæ in eorum vtilitatem diuendantur.

1. Vt nec per ipſos, nec eorum nomine diuendantur.

2. Vt non concurrant ad aliquem actum iuris vel proprietatis, paciſcendo, ſe

ſe obligando, pretium pecuniarum recipiendo.

3. Vt non recipiant res, vt vendantur, niſi in iiſdem caſibus, quibus ad pecuniarias eleemoſinas recurritur.

4. Vt nihil vendi pemittant pro rebus curioſis, ſuperfluis, pretioſis, vel quæ ſapiant copiam aut theſaurizationem.

ABVSVS.

PEccant igitur Fratres, qui res quaſcumque ſine delectu, abſque verâ neceſſitate recipiunt vt vendantur, aut vendi permittunt. Item qui pretium rerum ſic venditarum; in vſus ſuperfluos &c. expendi, vel petunt vel patiuntur. Item qui quouis modo paciſcuntur, contrahunt, vel nomine ſuo contractus venditionis fieri permittunt. Item qui indecentibus verbis ſtatui Fratrum, in huiuſmodi vtuntur.

QVÆSTIO V.

An liceat Fratribus Minoribus res aliquas commutare?

NOtandum 1. Duplicem hic nos diſtinguere poſſe commutationem: Alia eſt Ciuilis, qua res pro aliâ re, æſtimato

to pretio, cum obligatione Ciuili vtrumque præstatur: Alia est Naturalis, qua naturali gratitudine, res vtrimque velut inuicem communicantur: quæ exprimi potest his verbis: *Do vt des: Tu meâ re vtere, & ego vtar tuâ:* Quomodò (ait Bonauentura *in quæstionibus*) duo pauperes sibi communicant, quæ mendicauerunt, vnus alteri panem, alter carnem.

Notandum 2. Commutationem Ciuilem dupliciter fieri posse. 1. Quasi iuridicè, a personis in rebus dominium vel ius habentibus 2. Purè ministerialiter, à personâ, quæ in rem plane nullum ius habet, sed, alterius nomine, exhibet purum ministerium.

Notandum 3. Commutationem fieri posse vel extra Ordinem, vel intra Ordinem.

CONCLVSIO I.

COmmutatio Naturalis gratitudinis Fratribus Minoribus est licita. Ratio est, quià, nullum ius vel dominium dicit ex parte Fratris Minoris, sed tantum vsum simplicem. Neque enim obstat, quod videatur rem suis vsibus concessam, in alterius, cum quo commutat dominium transferre, Qui enim eleemòsinas largiuntur, intendunt, vt recipiens eis vtatur, modo sibi com-

commodo & conueniente: conueniens autem interdum eſt, vt pauper interdum donet panem ſibi datum, & accipiat ab alio carnem. Si quod verò dominium in altero ſequitur, ex dantis voluntate interpretatiuâ ſequitur, non eſt ex meo huiuſmodi vſu, vt clarius poſteà patebit.

CONCLVSIO II.

Commutatio Ciuilis, prout obligationem & dominium Ciuile includit, & fit ab habente dominium, vel ius in rem, non eſt licita Fratribus Minoribus. Ratio eſt, quià Fratres Minores ſunt incapaces huiuſmodi dominij.

CONCLVSIO III.

Commutatio Ciuilis purè Miniſterialis non eſt Fratribus Minoribus illicita. Ratio eſt, quià qui purè miniſterialiter in rebus commutandis ſe habet, ius nullum aut proprietatem in ſimilibus rebus prætendit aut prætēdere poteſt, ſed nudè rem, æſtimatâ æqualitate vtrimque, nomine alterius tradit, ſeu nudum exhibet miniſterium. Quo modò Frater Minor poteſt accipere quotidiè centum panes, quos nomine alicuius diuitis, pauperibus diſtribuat. Etſi enim iſtorum panum dominium dictis pauperibus cedat, mediante miniſterio Fratris Minoris, non tranſit tamen per miniſte-

nisterium velut per causam, sed per voluntatem donantis in isto ministerio virtute contentam & operantem. Vnde iungo sequentem Conclusionem.

CONCLVSIO. IV.

RES mobiles, libri, & huiusmodi Fratrum Minorum cum expedit illa distrahi, possunt per Generales & Prouinciales, vel per alios Fratres etiam extrà Ordinem, nullo interuentu Syndici commutari. Ità expressè *Nicolaus 3. a.6. De commutatione rerum mobilium.* Vbi patenter distinguit commutationem rerum huiusmodi, à venditione; & venditionem quidem vult fieri per Syndicum, siue Procuratorem: Commutationem vero committit Generalibus & Prouincialibus, nullâ habitâ ratione eiusmodi Syndici. Hæc quidem Conclusio est contrà multorum opinionem, verissima tamen est & litteralis iuxtà verba Declarationis, quæ sunt sequentia.

Quia vero libros (inquit) *& alia mobilia, quibus tam Ordo quam Fratres vtuntur &c, interdum contingit seu expedit vendi, vel commutari: Fratrum vtilitatibus & eorum conscientiis prouidere volentes, eadem auctoritate concedimus, vt commutatio talium rerum, & ad eas res, quarum vsum Fratribus licet habere, de Generalium, & Prouincialium Ministrorum in suis ad-*

administrationibus, coniunctim & diuisim auctoritate procedat. Quibus etiam de dispositione vsus talium rerum, concedimus ordinare. Hæc ibi. In quibus pondera illud (*Auctoritate.*)

Dices: Frates Minores sunt incapaces talis auctoritatis: Respondeo, negando assumptum: Est enim purè ministerialis. Sicuti enim Pontifex dat auctoritatem Fratribus dandi vilia & parum valentia extrà Ordinem, & quamuis per talem donationem dominium transeat in recipientes, nihilominus Fratres huiusmodi donationum non sunt incapaces, quia purè ministerialiter se habent; sic in huiusmodi commutationibus: auctoritas Ministrorum Generalium & Fratrum in solo & nudo ministerio consistit, sine vllo iure, ius autem quod in alterum transit, ministerio quidem mediante, transit, sed per voluntatem Domini in ministerio virtualiter operantem sine vlla Fratris Minoris maculâ.

Dices 2. Ergò liceret emere & vendere ministerialiter? Respondeo, negando consequentiam: Et ratio est, quia in venditione & emptione interuenit pecunia, cuius vsus Fratribus Minoribus est planè interdictus; Quâ ratione *Clemens V. in suâ*

De-

Declaratione cap. 7. prohibuit Fratribus Minoribus ne acceptarent Teſtamentorum executiones: non quia per ſe ex Regulâ prohibitæ: *Sed quia hæc* (inquit) *ſæpius abſque litigio, & contrectatione vel adminiſtratione pecuniæ nequeunt expediri.* Hæc ibi. Vbi tamen permittit conſilium dare: *Cum* (inquit) *ex hoc ipſis circà bona temporalia nulla iuriſdictio, ſiue actio in iudicio, ſiue diſpenſatio tribuatur.* Vndè in venditione licet Fratri Minori tradere ſimpliciter rem à Syndico venditam, etſi ex eius miniſteriali traditione vſucapio in emptore ſequatur, quia ex traditione nihil ei iuris competit.

CONCLVSIO. V.

OMnis commutatio, accedẽtè Papæ (in iis, quæ Eccleſiæ dominij ſunt) vel donantium (in iis, quæ ſibi reſeruarunt) conſenſu & voluntate ſiue facultate, poteſt per Miniſtros & Superiores Fratrum Minorum fieri.

Ratio quæ ſuprà. Quia ex hoc nihil iuris habent, ſed nudum miniſterium.

CONCLVSIO VI.

MIniſtri Generales & Prouinciales & alij inferiores Prælati, de eorum licentia poſſũnt intrà Ordinem omnia permutare. 1. Poteſt Generalis commutare quæ data ſunt vni Prouinciæ cum iis quæ data

data sunt alteri, & Prouiuciales, quæ sunt vni Conuentui data, alteri applicare & ab altero accipere, quæ ipsi aliàs concessa erant: nisi obstet expressa prohibitio donantium. Ratio est: quia hæc est potiùs commutatio vsus, quam rei, & quæ Ordini donantur, nisi aliud explicitè exprimatur, censetur in administratione Superiorum intrà Ordinem dari.

COROLLARIVM.

EX his contrà multorum scrupulos infero.

1. Licere Superiori filum, lanam, &c. extrà Ordinem commutare pro telâ vel panno: siliginem pro frumentô, granum pro butyro, &c. etiam æstimato prætio siue valore, de licentia Generalis vel Prouincialis (si non obstet expressa prohibitio donantis) quia hic interuenit nudum ministerium, sine aliquo iure.

2. Eodem modo licere; vni Guardiano commutare ea quibus abundat in suo districtu, cum iis quibus abundat alter Guardianus in suo. Exempla plura non addo, quia de multis similibus eadem plane ratio est.

APPENDIX.

Hic quærendum fuiſſet: An Fratres poſſent recipere, procurare, mendicare aliqua, eo animo, vt ea commutarent. Sed eadem eſt reſponſio quæ ſuprà, de iis quæ recipiuntur vel procurantur, eo animo, vt per perſonas vendantur.

Reſpondeo enim poſſe eiuſmodi procurare, vt commutentur legitimè iuxtà dicta, modò ſit vera neceſſitas, præterita, præſens, vel imminens. Ità vt omnia quæ dicta ſunt *ſuprà q.4.* his poſſint meliori modo accommodari.

QVÆSTIO VI.

An Fratres Minores poßint res aliquas locare?

Locare dupliciter accipitur. 1. Actiuè, quia locum, fundum, vel aliud alteri in vſum iuris vel vſum fructum trado. 2. Paſſiuè, quia ab altero rem ad vſum iuris vel vſum fructum mihi accipio, ſeruatâ in vtroque obligatione pretij perſoluendi vel recipiendi,

CONCLVSIO I.

Neutro modo, licet Fratribus Minoribus rem aliquam locare per ſe, vel no-

nomine ſuo: Ratio eſt, quia vtrumque ſupponit ius aliquod ad rem, cuius omninò incapax eſt Frater Minor.

CONCLVSIO II.

Licet Syndicus Fratrum Minorum res aliquas ipſorum vſui deputatas pro aliquo breui,& determinato tempore,quo eis vtiles eſſe non poſſunt, elocare, & pretium in vſus neceſſarios applicare: Ratiò eſt à maiori ad minus: Poſſunt rem minus vtilem vendere, ergò multò magis tempore,quo inutilis eſt,elocare. Explico: Eſt hortus, quo ante quatuor vel quinque annos Fratres non indigent: indigebunt autem ſtatim poſteà: Syndicus poteſt dictum hortum tamquam Romanæ Eccleſiæ,eiuſdem auctoritate,elocare,& pretium in vſus neceſſarios Fratrum conuertere,auctoritate Domini Papæ.

Dixi (pro breui & determinato tempore) non enim poteſt in longum tempus aut perpetuum, quia haberet rationem cenſus vel reditus quorum incapaces ſunt Fratres Minores.

CONCLVSIO III.

Poſſunt etiam Amici ſpirituales ſine interuentu Fratrum aliquam domum vel locum ipſis neceſſarium ad vſum paſſiuè locare. Ratio eſt, quia poſſunt emere in

ipſorum vtilitatem, ergò multò magis locare. Tunc verò domus illa vel locus in ius amicorum ſpiritualium, quamdiu elocata ſunt, manent, Fratres autem nudi facti vſum retinent.

QVÆSTIO VII.

An poßint Fratres Minores mutuare, impignorare, commodare, pacta, conuentiones, obligationes facere, debita contrahere, &c. mutuum, commodatum, pignus recipere, &c.

ADuerte: Supradicta dupliciter ſumi poſſe.

1. Rigoroſè, vt ius aliquod & obligationem ciuilem in perſonis reſpectiuè inducunt.

2. Latè, vt dicunt tantum in perſonis naturalem æquitatem, fidem humanam, &c.

CONCLVSIO I.

OMnia ſuprà enumerata non licent Fratribus Minoribus in rigoroſo ſenſu. Ratio clara eſt, quia Fratres Minores huiuſmodi iuris & obligationum non ſunt capaces.

CON-

CONCLVSIO II.

OMnia suprà enumerata, quatenus dicunt solam fidelitatem humanam, & æquitatem naturalem, Fratribus Minoribus licent (modò sit in materiâ competenti, & absit scandalum) *Ità 4. Magistri, & Expositores passim.* Et ratio per se patet: quia etsi Fratres Minores non sint capaces iuris vel obligationis ciuilis; tenentur tamen ad æquitatem naturalem, & fidelitatem humanam.

Dixi (in materiâ competenti) ad excludendos huiusmodi actus, vbi interuenit vsus pecuniæ.

Dixi (& absit scandalum) quia interdum potest apud non intelligentes scandalum generari. Vndè debent multum cauere Fratres in similibus ab omni verbo aut signo, quod ius aut obligationem ciuilem significare possit, ad euitandum scandalum pusillorum.

CAVTELÆ.

VIdeant igitur qui similibus intricantur, vt quantum possunt ista euitent; quia res plenæ periculis sunt: vbi tamen euitari non possunt; ità se in factis ac verbis gerant, vt omnibus pateat, se in rebus nihil iuris habere.

QVÆSTIO VIII.

An Fratres Minores poßint aliquid donare?

ADuerte 1. Donationem in rigore, includere dominij siue iuris in alterum translationem.

2. Rem, quæ donatur aut esse pecuniam, aut aliud quo Fratres Minores in sua specie vti possunt.

3. Donationem fieri posse aut intra Ordinem aut extrà Ordinem.

CONCLVSIO. I.

NVllus Frater Minor, suo nomine aut auctoritate, in rigore potest aliquid donare. Ratio est: Quia vt suprà notatum est, suo nomine non potest ius alicuius rei in alium transferre, cum ius nullum habere possit.

CONCLVSIO II.

NVllus Frater Minor, nec totus Ordo non dispensatus in Regulæ puritate, potest dare pecuniam alteri, etiam alienâ auctoritate domini proprij cuius est pecunia. Ratio est, quia quouis modo hæc donatio sumatur, vsus tamen est & administratio pecuniæ, quæ omninò Fratribus & toti Ordini interdicuntur.

CON-

CONCLVSIO III.

POssunt Fratres Minores legitimâ auctoritate Superiorum, ad quos spectat dare intra Ordinem quæ ipsorum vsibus licita sunt. Ratio est, quia huiusmodi donatio intrà Ordinem est tantum simplicis vsus facti translatio: Quæ autem Ordini data sunt in administratione Superiorum, data sunt intrà Ordinem, vt de ipsis & per se & per alios disponere possint, nisi donans explicitè prohibeat.

CONCLVSIO. IV.

LIcet Fratribus Minoribus legitimâ auctoritate Superiorum, ex Concessione Summi Pontificis, vilia aut parum valentià, extrà Ordinem dare. *Ità expressè Nicolaus 3.a.6.de vilibus:De vilibus autem*(inquit) *mobilibus aut parum valentibus, liceat ex præsenti nostra Constitutione Fratribus pietatis seu deuotionis intuitu, vel pro alia honesta & rationabili causa (obtenta super hoc prius superiorum licentia) iuxtà quod inter Fratres in Generali vel Prouincialibus Capitulis, tam de ipsis rebus vilibus, seu parum valentibus, & earum valore, quam præfatâ licentiâ, scilicet: à quibus, & qualiter sit habenda, extiterit ordinatum, intrà & extrà Ordinem elargiri.* Hæc ibi.

Ex quâ ordinatione colligo ſequentes conditiones:

1. Vt res quæ datur ſit mobilis.

2. Vt ſit vilis vel parum valens.

3. Vt iudicium de vilitate & valore à Prouinciali Capitulo vel Generali proueniat.

4. Vt donatio fiat cum licentiâ obtentâ à Superiore & iis, quibus Capitulum Generale vel Prouinciale commiſerit.

CAVTELÆ.

Ex quibus hæ Cautelæ notantur.

1. Quod non liceat Fratribus Minoribus res immobiles dare intrà ſiue extrà Ordinem: ſine expreſſâ alia auctoritate Pontificis, ſi res ad eius dominium ſpectat.

2. Quod res magni valoris dari ſimiliter non poſſint; niſi à Superioribus, quibus omnium rerum diſpoſitio inter ſuos ſubditos eſt relicta.

3. Quod attendant Capitula Generalia vel Prouincialia vt de vilitate & valore huiuſmodi rerum ſententiam ferant.

4. Vt quamuis Pontifex vel Domini darent licentiam alicui Fratri ad huiuſmodi donationes, non poſſint tamen dare niſi obten-

obtenta licentiâ à Superiore: nisi alia dispositio summi Pontificis emanaret.

CONCLVSIO V.

POssunt Fratres res quaslibet donare de auctoritate Dominorum; modò adsit Superiorum licentia & absit scandalum. Ratio est, quia huiusmodi donatio est nudum ministerium, siue nuda rei traditio ex sola auctoritate Dominorum, absque vllo iure Fratris donantis.

Dixi (modò adsit Superiorum licentia:) Nullus enim Frater potest recipere aliquid donandum sine expressâ licentiâ Superiorum: quia saltem in isto rei vsu esset proprietarius.

ABVSVS.

VNdè falluntur & grauiter peccant, qui imagines, donaria, & alia à benefactoribus acceptant, cum mandato quodam illa elargiendi: fingentes ea esse Dominorum, & de voluntate Dominorum distribui, cum exclusione auctoritatis Superioris: Non attendentes quod distributio huiusmodi sine licētiâ Superioris, tamquam proprietaria, ex vi Regulæ sit ipsis prohibita.

Dixi 2. In Conclusione (& absit scandalum) semper enim vitanda sunt in simi-

libus non tantum mala, ſed quæ ſpeciem mali ingerere poſſunt, etiamſi aliàs eſſent bona. Vndè non licet Fratribus acceptare diſtributiones bonorum & eleemoſynarum (etſi pecunia non interueniat) ex quibus poſſet ſiniſter oculus præſumi contrà illos.

DVBIVM.

An liceat Fratribus operariis ſuis victum dare in partem mercedis?

RESpondeo 1. Non licet Fratribus paciſci ciuili obligatione cum operariis de victu donando, in partem mercedis. Ratio eſt, quia Fratres ſunt incapaces talis obligationis.

Reſpondeo 2. Licere Syndicis huiuſmodi pacta facere. Ratio eſt, quia licet illis bona Fratrum vſibus deputata vendere, ergò magis in mercedem dare.

Reſpondeo 3. Licere Fratribus granum, victum, & alia eiuſdem generis dare operariis in mercedem, ex æquitate quâdam & gratitudine naturali.

Dices 1. Iſta quæ ſic donantur, habent rationem pecuniæ. Reſpondeo; negando aſſumptum, ſed ſunt tantum merces labo-

ris

ris, quam etiam Fratres laborantes recipere possunt.

Dices 2. Quo iure vel nomine talia donantur, cum nomine Fratrum dari non possint, quippe qui nihil iuris in istis habere valeant? Respondeo nomine & iure Ecclesiæ ac Dominorum, qui talia donantes censentur dare in vtilitatem Fratrum: qui enim dat cibum Fratribus, non censetur ità restringere ad Fratres, quin qui laborant cum Fratribus & pro Fratribus ex eo comedere possint. Similiter qui dat granum, & huiusmodi, censetur dare modo magis vtili Fratribus, nisi aliud exprimat. Consule quæ diximus de venditione, & commutatione huiusmodi rerum.

ANNOTATIO NOTABILIS.

ADuertant tamen Fratres, quod etsi ista liceant, aliquando non expedire, siue ex abusu operariorum qui expensas non æstimant, & prodigaliter vtuntur, siue ex aliquo scandalo quod indirectè euenire potest, non æstimantes paupertatem nostram.

Aduertant etiam in omnibus donationibus sequendam *Bullam Clementis VIII. de largitione munerum*: quam vide in Compendio Priuilegiorum.

TEX-

TEXTVS II.

Sed tamquam peregrini & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosinâ confidenter.

TITVLVS VNICVS.

De Redditibus & Mendicatione.

QVÆSTIO I.

An liceat Fratribus Minoribus habere redditus, vel quæ ad naturam redditus accedunt vt, agros, vineas, animalia &c.

RAtio dubitandi est; quia etsi ius nullum in istis, Fratribus Minoribus competere possit, vsus tamen simplex absque vllo iure vel dominio non videtur eis interdictus.

CONCLVSIO.

NOn licet Fratribus Minoribus habere redditus vel quæ ad naturã redditus accedunt. Ratio est quia hæc contradicunt nostræ altissimæ paupertati, & mendicitati:

ti: tenemur enim esse sicut aduenæ & peregrini mendicantes, sed tales vt tales, possessiones & redditus non habent, sed domo, victu &c. tamquam in transitu vtuntur, ergò nec nos habere possumus. Et ità declarat *Clemens* 5. *a.* 6. Cuius declaratio ita est aperta, vt illis diutius immorari superuacaneum credam: *Cumque* (inquit) *annui redditus inter immobilia censeantur à iure, ac huiusmodi redditus obtinere, paupertati & mendicitati repugnet, nulla dubitatio est, quod prædictis Fratribus redditus quoscumque sicut & possessiones, vel etiam eorum vsum, cum eis non reperiatur concessus, recipere vel habere, conditione ipsarum consideratâ, non licet*. Et articulo octauo: *Licet verò non solum sit licitum, sed & multum conueniens rationi, quod Fratres qui in laboribus spiritualibus orationis & studij sedulò occupantur, hortos & areas habeant competentes, ad recollectionem, vel recreationem sui &c. Nec non ad habenda hortalitia pro ipsis necessaria: habere tamen hortos aliquos vt colantur, ac olera, & alia hortalitia pretio distrahantur, nec non & vineas, repugnat suæ Regulæ & Ordinis puritati: secundum quod dictus prædecessor noster declarauit ac etiam ordinauit; quod si talia ad vsus proximè dictos, vt puta, agrum aut vineam ad colendum, & consimilia Fratribus legarentur, per omnem modum Fratres*

tres à receptione talium abstineant, cum etiam præmissa habere, vt pretium fructuum suis temporibus habeatur, ad naturam & formam prouentuum appropinquet. Hæc ille.

Pro cuius declarationis pleniori intellectu aduertendum est, duplices esse redditus, Formales videlicet & Virtuales.

Formalis redditus, est ius seu actio ad aliquid annuatim recipiendum.

Virtualis est, qui ad naturam redditus appropinquat, vti sunt legata perpetua, oues, boues, apiaria, columbaria, quæ fructum aliquem reddunt, & hi omnes prohibentur: tum quia aut mendicitatem tollunt, aut quandam certitudinem præbent, quæ ambo sunt contrà statum nostrum: nam ità Sanctus Franciscus abstulit à nobis rerum proprietatem, vt relinqueret incertam mẽdicitatem. Quidquid igitur aut aliquid certi inducit, aut mendicitatem tollit, contrà Regulam est.

DVBIVM. I.

An possint Fratres permittere se Hæredes institui?

RESpondet Clemens V. Quod non: quia Hæreditas ius quoddam dicit.

DVBIVM. II.

An poßint Legata in Testamentis Fratres recipere?

RESpondet *Nicolaus* 3. *a*, 5. Posse; si videlicet modo congruo & Fratribus licito relinquantur. Congruus autem ille modus in 4. potissimum consistit.

1. Vt per modum puræ eleemosinæ fiat, sine vllo iure Fratrum.

2. Vt res quæ Testamento relinquitur, vel vsibus Fratrum cedere possit, in se, vel ex commissione testatoris, in rem Fratribus vtilem & necessariam conuerti possit, siue sint denarij siue pecunia. Ex. gr. Vt cum relinquit domum vel vineam vt vendatur, & pretium in Fratrum necessitates expendatur.

3. Vt per tale legatum mendicitas Fratrum non tollatur. aut certè grauem iacturam patiatur, vt in similibus explicat Clemens V. Vnde non licet Fratribus acceptare legata, & eleemosinas in tali quantitate, vt Fratres ex eis sperarent se longum tempus posse exigere sine mendicatione.

4. Vt ex magna quantitate non possit præsumi fieri in fraudem Hæredum, aut præ-

præſumi oculus ſiniſter aduerſus Fratres *Vnde Clemens V. Nec licet eis valorem hæreditatum talium, vel tantam earum partem, quod præſumi poſſet, hoc in fraudem fieri, ſub modo & forma legati, dimitti ſibi facere, vel ſic dimiſſa recipere, quin potius iſta ſic fieri ab ipſis prohibemus.*

DVBIVM.

An liceat nutrire oues, boues, porcos. &c.

REſpondetur 1. Non eſſe per ſe illicitum nutrire vnum porcum aut alterum, vnum bouem, vnam ouem aut alteram ad mactandum ad aliquod tempus, pro aliquo ſubleuamine rationabili vel congruâ neceſſitate. Ratio eſt quia hoc non præiudicat mendicitati & incertitudini vitæ Fratrum Minorum.

Reſpondeo 2. Nutrire oues, boues, porcos, habere apiaria &c. quaſi ad fructificandum, vendendum, vel etiam in numero & quantitate, quibus notabiliter mendicitas & paupertas imminueretur, eſſe contrà Regulam: *Vt benè notat Corduba c.6.q.10.* Idque ſiue fiat per Fratres ſiue per ſæculares.

DV-

DVBIVM IV.

An liceat annuum Legatum recipere?

RESpondeo dupliciter fieri posse legatum.

1. Directè in personã Fratrum, hoc pacto: relinquo Fratribus quotannis decem mensuras bladij, &c. & hoc modo Fratribus acceptare nõ licet, quia non sunt capaces redditus, vel iuris in redditu & legato, *vt habetur in Serena Conscientia q.* 19.

2. Indirectè. Vt relinquo tantum hæredibus cum onere dandi Fratribus Minoribus quotannis decem mensuras bladij, &c. Et hoc etiam per se non potest acceptare Frater Minor, quia videtur fieri in fraudem, & speciem redditus sapit. Posset tamen per modum puræ eleemosynæ, ad aliquod breue tempus à Fratribus hoc posteriori modo acceptari: *vt dicitur ibidem q.* 20. exprimiturque tempus decem annorum, factâ tamen protestatione, & seruatis modis, de quibus *in Statutis Barchinonensibus.*

DVBIVM. V.

Quid ſi in Legato nulla conditio exprimatur?

Reſpondet *Nicolaus* 3. *a* 5. §. 3. quod tunc cenſebitur modo licito Fratribus eſſe relictum, tà vt nec legans merito, nec Fratres ipſi effectu relicti fraudentur.

DVBIVM. VI.

Quid ſi Legans ex ignorantia aliquam conditionem illicitam Fratribus appoſuerit?

Reſpondeo: Hæredes aut executores, ſiue Epiſcopum, vt pauperum Patrem, poſſe illam mutare: quod ſi non mutauerint, Fratres à tali legato abſtineant neceſſe eſt.

DVBIVM. VII.

Quid agendum ſit de quibusdam pecuniis & rebus mobilibus, quæ apud Fratres morientes, proprietarios, vel alios reperiuntur, ſiue illas apud ſe habeant, ſiue apud alios illic itè depoſita ſint?

Reſpondet *Aluarus apud Serenam Conſcientiam q.* 28. Guardianũ nullo modo

do posse sibi aut Fratribus pecuniam talem applicare, sed resignanda est in manus Domini, si noscatur: sin minus in manus Episcopi vt pro animâ Domini defuncti, aut viui, qui ignoratur, eam prout voluerit distribuat: aliæ res mobiles in vsum Ordinis cedunt, quamdiu donator permiserit.

QVÆSTIO II.

An Fratres Minores teneantur ad mendicationem?

Ratio dubitandi est, quia etiam alij duo modi in Regula prouidétur, nimirum de his quæ offeruntur liberaliter, & quæ per laboritium acquiruntur, vt aiunt Pontifices Regulam declarantes. Accedit quod S. Franciscus *in suo Testamento* videtur tantum mendicationẽ requirere, quandò labore conquisita desunt: *Et quando* (ait) *non daretur nobis pretium laboris, recurrebamus ad mensam Domini, petendo eleemosinam ostiatim.*

CONCLVSIO I.

Fratres Minores ad mendicitatem seu mendicationem aliquam tenentur. Ità declarant Pontifices, *Nicolaus & Clemens*, qui refutant vt illicita omnia, quæ nos Fratres Minores à mendicatione separarent, vt possemus sine mendicatione quotidianâ,

vitam transigere. Et in Cap. 6. dicitur: *Vadant pro eleemosina confidenter.*

Ratio fundamentalis est, quià cum in rebus nihil iuris habere possimus, res quibus vtimur, debemus per modum puræ eleemosinæ recipere.

Dixi (ad aliquam mendicationem tenentur) non enim videntur Fratres Minores strictè teneri ad mendicationem, quæ fit ostiatim, sed generaliter ad mendicationem, quâ ea quæ donantur, quouis modo, vt mendici recipiunt. Benè enim mendicat, qui oblata quotidiè vt mendicus recipit: Bene mendicat, qui nec ad pretium siue mercedem suo labori debitam recipiendam, nisi vt mendicus accedit. Et per hoc rationi dubitandi est satisfactum.

CONCLVSIO II.

MEndicatio ostiaria seu quæ fit ostiatim, est Ordini Fratrum Minorum multum meritoria, & decora. Probatur Exemplo Christi qui dicente S. Bernardo, triduò quo in templo se à matre separauit, stipem ostiatim quæsiuit, quod & fecisse Apostolòs B. P. Franciscus in primâ suâ Regulâ asserit.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

An liceat Fratribus prouisiones facere?

CONCLVSIO I.

NOn licet Fratribus prouisiones aliquas facere, nisi tunc tantùm, cum esset multum credibile ex iam expertis, quod non possent vitæ necessaria aliter inuenire. *Ità Clemens V. c. 9. per totum.*

CONCLVSIO II.

NEcessitas ista congregationes faciendi siue hadendi granaria aut cellaria &c. relinquitur Ministrorum & Custodum simul & separatim in administrationibus & Custodiis, cùm Guardiani & duorum Discretorum de Conuentu Sacerdotum & antiquorum in Ordine Fratrum consilio, & assensu, eorum super hoc conscientiis specialiter oneratis. *Ità Clemens V. suprà* ferè iisdem verbis: qui etiam ponit tres conditiones necessarias ad huiusmodi prouisiones faciendas.

1. Vt non sit timor leuis, sed aliquo experimento res constet.

2. Vt non tollant mendicationem quotidianam, vt Clemens eodem capite docet.

3. Vt fiat de Ministrorum & Custodum,

cum Guardiani & duorum diſcretorum Sacerdotum iudicio.

ABVSVS.

VIdeant qui aliter faciunt; qui non tantum ad annum, ſed etiam annuatim, & ad annos ſibi prouident, ſicut enim debet æſtimari neceſſitas, ſic debet ſuo tempore coärctari.

TEXTVS III.

Hæc eſt illa celſitudo altiſſimæ paupertatis quæ vos chariſſimos Fratres meos hæredes, & Reges regni cælorum inſtituit, &c.

TEXTVS VNICVS.

De Celſitudine Paupertatis Fratrum Minorum.

QVÆSTIO I.

In quo conſiſtat celſitudo paupertatis Fratrum Minorum?

CONCLVSIO.

CElſitudo paupertatis Fratrum Minorum conſiſtit in tribus; ratione quorum, ſuper omnem paupertatem aliorum Religioſorum rectè dicitur Altiſſima.

Pri-

Primò: In omnimodâ abdicatione omnis Dominij vel iuris, tam ad rem quam ad vsum rei, tam in particulari, quam in communi. Cæteræ enim Religiones in communi possident, & in particulari vsum fructũ, vel vsum iuris habere possunt. Sola paupertas Fratrum Minorum omnia abdicat, ità vt nec habeat cum Filio hominis, vbi iure caput reclinet. Et hoc indicant prima huius Capitis verba: *Fratres nihil sibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem* &c. vide quæ initio *cap.* 4. sunt dicta.

Secundò: In vsu arcto & paupere. Tenentur enim, vt diximus vbi suprà, ad arctos vsus qui in Regula exprimuntur & ad pauperes siue moderatos in illis quæ non exprimuntur. Vnde vsus diues qui fortè Monacho siue alterius Ordinis Religioso est permissus, Fratri Minori est damnabilis. Et hæc conditio exprimitur istis verbis: *Sed tamquam peregrini & aduenæ in hoc sæculo, in paupertate & humilitate Domino famulantes* &c. Paupertas enim & humilitas vsum rerum moderatum, humilem, & pauperem dicunt, & omnem superfluum, curiosum, vel pretiosum abdicant. Vndè *Clemens V. cap.* 10. *Hinc est etiam quod cum vir Sanctus Fratres suos in paupertate summâ & humilita-*

 te

te fundare voluerit, quoad effectum pariter, & affectum, sicut ferè tota Regula clamat: conuenit ipsis quod nullo modo deinceps fieri faciant, vel sustineant, Ecclesias, vel alia quæcumque ædificia, quæ considerato Fratrum numero, excessiua in multitudine, & magnitudine debeant reputari &c., quæ latè prosequitur, de ornamentis, vasis, paramentis Ecclesiasticis, à quibus omninò vult omnem superfluitatem, nimiam pretiositatem aut quamcumque curiositatem arceri. Cuius Rationem reddit: 1. *Ne huic tantæ Paupertati promissæ quod patet oculis, contrarium foris clamet.* 2. Quia; *Absconditorum cognitor Deus ad animum sibi ministrantium respicit non ad manum: nec per illa sibi vult seruiri, quæ suorum seruitorum conditioni & statui dissonarent.* Hæc ille. *Vide autem præclara de huiusmodi rerum vsu apud Hugonem de Dina in c. 6. Regulæ.*

De moderantiâ verò & paupertate huiusmodi vsus notanda est Regula *Nicol.* 3. *a.* 3. vbi loquens de necessitate vsus: *Hoc autem* (inquit) *secundum exigentiam personarum & locorum, Ministri & Custodes simul, & separatim, in suis administrationibus, & custodiis, cum discretione disponant: cum de talibus interdum personarum qualitas & temporum varietas, locorum conditio, & aliæ circumstantiæ plus minusue, ac aliter prouideri requirant; ista tamen*

tamen sic faciant, quod semper in eis, & eorum actibus, paupertas sancta reluceat, prout ipsis ex eorum Regula inuenitur indicta. Hæc ille.

Ex quibus colligitur 1. Mensurationem paupertatis siue moderantiæ vsus esse penes Custodes & Ministros. 2. Non omnibus eundem vsum competere: aliter enim prouidendum est seni quam iuueni, infirmo quam forti, Prelato laboranti quam Fratri quiescenti, aliter in via quam domi, & alias conditiones à nobis examinatas *vide Caput 4.*

Tertio: Celsitudo paupertatis consistit in eo, quod omnia quibus Fratres Minores vtuntur ea recipiant, eisque vtantur vt mendici, nihil vt debitum (quamuis ex laboritio) recipientes, sed vt pauperes stipem mendicantes, & hoc his verbis significatur: *Vadant pro eleemosina confidenter: Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo.* Præclarè S. *Bonauentura* causam altissimæ paupertatis paucis verbis perstrinxit: *Quare* (inquit) *altissimæ? nisi quia à mundo remotissima & per consequens cælorum regno summè vicina, illi etiam vitæ æternæ, vt est possibile simillima, vbi nihil terrenum, est proprium, vel commune.*

QVÆSTIO II.

In quo fundentur elogia Sanctæ Paupertatis aßignata à Sancto Francisco?

HÆc est (inquit) *celsitudo altißimæ paupertatis, quæ vos charißimos Fratres meos, hæredes & reges regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimauit: Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viuentium.*

CONCLVSIO.

HÆc elogia fundantur in promissionibus Christi, verbis Sancti Euangelij. *Ità Sanctus Bonauentura. Ideò* (ait) *hæredes; quià omnia dimittentibus pro regno cælorum promittitur gloria æterna.* Ideò Reges; quià solutione factâ *pro re emendâ, Idcircò Matth. 5. dicitur: Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum cælorum. Sunt ergò tamquam domini cælorum, quià cuncta dederunt propter deum, quamuis nondum sint in eius possessione. Hanc autem modum acquirendi regnum addit dicens: Pauperes rebus fecit, virtutibus sublimauit. Ad hoc enim ordinatur paupertas ista, vt resoluto per eam prohibente, virtutum sanctitas augeatur.* &c. *Hæc* sit *portio vestra quæ* per-

perducit in terram viuentium, qui in terra morientium nihil quærunt. Hæc Sanctus Bonauentura.

TEXTVS IV.

Et vbicumque ſunt Fratres & ſe inuenerint, oſtendant ſe domeſticos inuicem inter ſe &c. Et ſi quis eorum in infirmitatem ceciderit, alij Fratres debent illi ſeruire, ſicut vellent ſibi ſeruiri.

TITVLVS VNICVS.

De Charitate Fratrum ad inuicem.

QVÆSTIO VNICA.

An præter communia officia charitatis, teneantur Fratres Minores ſibi inuicem per ſe ſeruire, in quibuſcunque morbis etiam contagioſis?

CONCLVSIO.

PRæter officia communia charitatis tenentur Fratres per ſe ſibi inuicem in infirmitatibus inſeruire. *Ità Clemens.*

IN

IN CAPVT VII. REGVLÆ.

TEXTVS I.

Si qui Fratrum, instigante inimico, mortaliter peccauerint, pro illis peccatis de quibus ordinatum fuerit inter Fratres, vt recurratur ad solos Ministros Prouinciales, teneantur prædicti Fratres ad eos recurrere, quam citius poterunt sine morâ.

TITVLVS I.

De Casuum reseruatione.

QVÆSTIO I.

Penes quos sit potestas in Ordine Fratrum Minorum Casus reseruandi?

CONCLVSIO I.

EX vi Regulæ reseruatio Casuum pertinet ad Capitula Generalia vel Prouincialia. Ratio sumitur ex textu: *Pro illis* (ait) *peccatis de quibus ordinatum fuerit inter Fratres vt recurratur* &c. Ex quibus constat initio institutæ Regulæ Fratres inter se congregatos

gatos de huiuſmodi reſeruationibus & earum modis ordinaſſe, quæ ordinatio congruè fieri non poterat niſi in Capitulis Generalibus pro toto Ordine, & in Prouincialibus pro Prouinciis.

CONCLVSIO II.

Ex vi muneris Paſtoralis Generales in toto Ordine, & Prouinciales in ſuis Prouinciis, habent poteſtatem reſeruandi caſus. Ratio eſt, quia dicti Prælati habent poteſtatem Epiſcopalem, vel quaſi Epiſcopalem in ſuos ſubditos, vt communiter docent Doctores. Et conſtat ex Decreto Clementis VIII. infrà ponendo. *Vide Emanuelem Roderiguez 1. tom. qq. Reg. q. 17. & alios paßim.*

Petes: An etiam Guardiani poſſint ſibi caſus reſeruare? Reſpondeo quod non: quia eorum poteſtas eſt coarctata; nec excedit poteſtatem Archipresbyterorum, ſiue Decanorum, quamuis modò de iure ſint Prælati.

QVÆSTIO II.

An poßint Generales siue Prouinciales quoscumque casus sibi reseruare?

COCNLVSIO I.

NOn possunt dicti Prælati reseruare nisi peccata mortalia. *Patet ex textu Regulæ: Si quis Fratrum, instigante inimico mortaliter peccauerit, &c.* Et ratio ex terminis clara est: *quia venialia sunt materia planè voluntaria absolutionis.*

CONCLVSIO II.

NOn possunt prædicti per se reseruare nisi casus in Decreto Clementis VIII. expressos. *Ità expreßè Pontifex ibidem. Nemo* (ait) *Regularium Superiorum peccatorum absolutiones sibi reseruet, exceptis iis quæ sequuntur, aut omnibus aut eorum aliquibus, prout subditorum vtilitati expedire in Domino prudenter iudicauerint,* &c.

Dixi (per se) quia *vt ibidem Pontifex: Si quod aliud præterea peccatum graue pro Religionis conseruatione, aut pro conscientiæ puritate reseruandum iudicabitur, id non aliter fiat quam Generalis Capituli in toto Ordine, aut Prouincialis in Prouincia maturâ discußione & assensu.* Vndè quamuis alios casus soli reser-

ſeruare non poſſint, cum aſſenſu tamen Capitulorum reſeruare alios poſſunt.

Aduertendum tamen eſt iuxtà prædicta: ne facilè Superiores aliquem caſum reſeruent, niſi atrocem admodum, & grauem, ac magnæ conſequentiæ, maximè qui vergat in magnum Religionis detrimentum, aut animarum grauem iacturam, idque nonniſi, cum maturâ diſcuſſione, vt ſuprà Pontifex monet.

QVÆSTIO III.

An Superiores Regulares poßint præter caſus in Decreto Clementis VIII. contentos ſibi reſeruare excommunicationes?

AFfirmat Suarez: Cuius ratio eſt: quia verba decreti tantum prohibent reſeruationem peccatorum ſiue culparum; exceptis iis quæ ibi enumerantur, ſed excommunicatio ſub culpis non continetur, ergò illam reſeruare Superior non prohibetur, & conſequenter iure ſuo vti poteſt: Vndè cenſet Superiorem poſſe prohibere acceſſum ad aliquam domum, ex cuius acceſſu ſcandalum graue naſcitur, ſub pœna excommunicationis; cuius abſolutio ſibi reſeruetur.

Alij tenent Superiores, eiusmodi Excommunicationes reseruare non posse. Quia talis reseruatio eneruat vim Decreti, quod datum est in fauorem inferiorum, qui indiscretis ac nimis rigidis & importunis Superiorum reseruationibus grauabantur. Sic enim singulis peccatis mortalibus excommunicationem reseruatam Superiores iungere poterunt pro arbitrio suo.

CONCLVSIO I.

NOn licet generaliter per modum legis Superiori per se reseruare aliquam excommunicationem, peccatis in Decreto sæpedicto expressis nō annexam. Ratio est. 1. quia ipsius non est leges vel iura condere. 2. Quia hic modus totam vim decreti eneruaret, vt suprà notatum est.

CONCLVSIO. II.

LIcet Superiori in causâ & casu particulari excommunicationem in aliquē extrà casus Decreti ferre, & eam sibi reseruare. Ratio sumenda est ex naturâ excommunicationis, quæ fertur ab homine, quæ non potest tolli, nisi ab ipso, vel eius successore, vel delegato; ergo Superior ferens excommunicationem potest prohibere, ne delegatus absoluat, & consequenter sibi reseruare.

Ad-

Aduerte tamen huiuſmodi excommunicationes, ſicut nonniſi cum magnâ diſcretione ſunt ferendæ, ſic nonniſi maximâ de cauſâ reſeruandæ, imò ſi abuſus fiat: à Superioribus & Capitulis prohiberi debent.

QVÆSTIO IV.

An Superiores poſſint in caſibus in Decreto non comprehenſis ſibi reſeruare pœnitentias?

CONCLVSIO I.

SVperiores in caſibus in Decreto reſeruatis, poſſunt taxare pœnitentias à Confeſſariis neceſſariò imponendas. Ratio eſt; quia poſſunt per ſe imponere, ergò & taxare. Ex. g. vbi Confeſſarius eorum auctoritatem abſoluendi à caſu reſeruato, iuxtà formam Decreti exigit; poteſt ſuam auctoritatem delegando imponere, vt certam pœnitentiam iniungat, modò eius executio ſigillo & ſecreto Sacramenti non aduerſetur.

CONCLVSIO II.

SVperiores, in aliquibus grauibus delictis in Decreto non expreſſis poſſunt taxare pœnitentias aliquas graues, ſecretas tamen, & quæ ſecretò peragi poſſint:

quas teneantur Confessarij imponere. *Ità Clemens VIII. in Decreto. Licebit tamen* (inquit) *Superioribus determinare pœnitentias graues quibusdam peccatis etiam non reseruatis à Confessariis imponendas, quæ subditos ab huiusmodi perpetrandis cohiberi poßint.* Hæc ibi.

TITVLVS II.

De casibus reseruatis.

QVÆSTIO I.

Qui sunt casus in Ordine Fratrum Minorum communiter reseruati?

SVppono non posse dari numerum reseruatorum præcisè, & in singulari: quia Prouinciæ, imò & diuersæ in Ordine Reformationes plures vel pauciores casus reseruant, siue ex iis qui *in Decreto Clementis VIII.* continentur (non enim omnes necessariò reseruantur) siue ex iis quæ Capitulorum iudicio & assensu determinantur, siue superadduntur.

CONCLVSIO.

CAsus communiter reseruati sunt omnes illi, & soli, qui in Decreto Clemen-

mentis VIII. comprehenduntur. Suntque vndecim.

1. Veneficia, Incantationes, & Sortilegia.

2. Apostasia à Religione, siue habitu dimisso, siue retento, quandò eò peruenerit, vt extrà septa Monasterij seu Conuentus fiat egressio.

3. Nocturna ac furtiua è Monasterio seu Conuentu egressio, etiam non animo apostatandi facta.

4. Proprietas contrà votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale.

5. Lapsus carnis voluntarius opere consummatus.

6. Occisio aut vulneratio, seu grauis percussio cuiuscumque personæ.

7. Malitiosum impedimentum aut retardatio, aut apertio litterarum à superioribus ad inferiores, & ab inferioribus ad superiores.

8. Iuramentum falsum in iudicio regulari seu legitimo.

9. Procuratio, auxilium, seu consilium ad abortum faciendum post animatum fœtum, etiam effectu non secuto.

10. Falsificatio manus aut sigilli Officialium Monasterij aut Conuentus.

11. Furtum de rebus Monasterij aut

Conuentus, in ea quantitate, quæ fit peccatum mortale.

Breuis & succincta horum casuum elucidatio.

DVBIVM I.

Quid sub veneficio, incantatione, & sortilegio intelligatur?

RESpondeo 1. Sub veneficio intelligitur omne maleficium, quo per adhibitionem rerum naturalium, signorum, ligaminum, & similium aliquis inficitur, intoxicatur, occiditur, alteratur, siue quo alicui quouis modo arte dæmonis nocetur, vt venenis, radicibus, poculis amatoriis, cibis, signaturis, characteribus, & id genus quibus sagæ seu venefici vtuntur.

Respondeo 2. Sub incantationibus intelliguntur omnes deceptiones quæ arte magicâ fiunt, per sensuum & rerum varias immutationes, per morborum superstitiosas curationes, siue veras, siue apparentes; omnia denique præstigia, quæ ex pacto implicito vel expresso cum dæmone, oriuntur.

Respondeo 3. Sub sortilegiis omnis species diuinationis magicæ, omnisque superstitio comprehenditur.

De quibus omnibus ponitur Regula generalis.

Omnis actus Maleficij, Magiæ, aut cuiusuis superstitionis, per quæuis signa, siue sacra, siue naturalia fiat, si ex aduertentiâ & deliberatione sufficiente fiat, & in materiâ, quæ sit peccatum mortale, est casus inter Regulares reseruatus.

DVBIVM. II.

Quid per Apostasiam à Religione intelligatur?

RESpondeo illam solam Apostasiam à Religione intelligi, quæ fit per exitum temerarium, & illicitum à Religione, animo non reuertendi ad illam, siue dimittatur habitus Religionis, siue non. *Patet Responsio ex iure communi, & interpretatione omnium Canonistarum.*

Dixi (exitum à Religione) vt distinguatur ab Apostasia à Fide, quam committit qui fidē, quam prius recepit, dimittit, & fit hæreticus; quæ Apostasia pertinet ad reseruationes Bullæ Cænæ. Similiter vt distinguatur ab Apostasia ab Obedientia, quam committit qui in Religione manens, absolutè Religiosam obedientiam ad Superiores repudiat, *de qua c.* 10.

Dixi (per exitum temerarium, & illicitum) in multis enim casibus aliquis à suâ Religione legitimè exire potest sine Apostasiæ periculo.

1. Animo intrandi aliam religionem arctiorem; quod iure communi licet petitâ licentiâ, etsi non obtentâ, vt colligitur ex multis Capitibus. *c. Statuimus. c. Mandamus. 19. q. 13. & c. Licet. c. Significatum. c. Sanè de Regularibus.*

2. Ex legitimâ dispensatione etiam ad minus arctam. *Extrau, Viam ambitiosæ. De Regul. sub finem.*

3. Ex translatione ad Episcopatum. *iuxtà Clem. 1. de Elect.*

4. Vt quis subueniat parentibus, quos ante Religionis ingressum, contrà obligationem naturalem, reliquit in extremâ egestate, vel illius periculo proximo. *Vt tenent Siluester V. Relig. 6. §. 9. Nauarrus in Man. c. 14. n. 14. & alij.*

5. Vt vadat ad Superiorem ob iniustum grauamen, nisi aliundè ex Statutis Religionis suæ sit prouisum aut prohibitum. Quod dico, quia in nostrâ Religione excommunicati sunt, & pro excommunicatis habentur, qui prætextu grauaminis vel recursus ad Superiores, Conuentibus sine licentiâ egrediuntur; mulctanturque pœnis

nis Apoſtatarum, quia per alias vias eorum grauaminibus ordinatè eſt prouiſum. Hunc tamen caſum reſeruatū non innuunt.

Dixi (animo non reuertendi ad illam) vt excludantur ij qui animo tantum ad aliquod tempus vagandi egrediuntur, & cum propoſitò aliquandò reuertendi. Qui quidem iuxtà Ius commune non ſunt dicendi Apoſtatæ; ex Conſtitutionibus tamen noſtræ Religionis, vt Apoſtatæ, ſiue pœnis Apoſtatarum plectuntur, & excommunicationem incurrunt; quamuis iſto caſu reſeruato non comprehendantur.

Dixi (habitu dimiſſo vel retento) Parum enim refert ſi habitum retineat, ſi verè animo non reuertendi egrediatur, niſi quod qui habitum retinet Excommunicationem Iuris communis non incurrat, quamuis incurrat alias excomunicationes à ſuâ Religione, & Summis Pontificibus latas, *quas vide in Compendio Priuilegiorum V, Apoſtata ab Ordine.*

DVBIVM III.

Quid requiratur vt tertius caſus de egreſſione nocturna, &c. incurratur?

Reſpondeo tria potiſſimum requiri. 1. Vt egreſſio fiat nocte, quæ pru-

denti iudicio mensurari debet ab horâ post occasum solis, ad horam ante ortum solis, vel circiter, quia odiosa sunt restringenda. Vndè qui egrederetur immediatè in occasu, vel immediatè antè ortum, quandò iam est clara dies, non videretur hunc casum præcisè incurrere.

2. Vt egressio furtiuè fiat & occultè. Si enim alij non complices huiusmodi egressionis, sciant & videant, iam casus non incurritur. Dixi (alij non complices) si enim plures complices sciant, non ideò desinit esse furtiua egressio, quia illi in vno crimine etiam ad occultationem censentur cooperari.

3. Vt fiat extrà Monasterium. Nomine autem Monasterij intelliguntur sepes, vel muri hortorum adiacentium, qui communi portâ clauduntur.

Petes: An qui egrediuntur furtiuè de die non incurrant hunc casum. Respondeo, non incurrere: Ex communi tamen Religionis nostræ obedientia peccatum mortale incurrere, si notabilis egressio fiat, & cum vagabundis, pœnis Apostatarum, pro ratione egressionis iustè puniri.

DV-

DVBIVM. IV.

Quæ proprietas censeatur mortale peccatum, contrà votum paupertatis?

RESpondeo 1. Proprietatem contrà votum paupertatis dici, quandò quis acquirit, retinet, alienat, consumit, &c. rem aliquam contrà voluntatem Superioris.

Hic notanter expressi actus diuersos; hi enim omnes & similes proprietariorum actus sunt.

Dixi (contrà voluntatem Superioris) expressam scilicet, vel sufficienter cognitam, & apprehensam: ità vt iusta interpretatio vel probabilis præsumptio voluntatis illius rem retinenti, &c. non faueat. Si quis enim probabiliter & iustè præsumat Superiorem velle, aut contrarium non esse, non est proprietarius, si ei opportunò tépore indicet. Similiter si præsumat probabiliter consensurum, & casu quo negaret sit paratus rem omninò à se abdicare, vel ab omni actu proprietario rescitâ voluntate Superioris abstinere.

Porrò aduertendum 1. voluntatem Superioris huiusmodi rerum detentioni, &c. aduersari duobus modis 1, simpliciter: quia non vult absolutè inferiorem talem

rem habere vel eâ vti, &c. 2. tantum in modo habendi, quia non vult vt tali modo eam acquirat, vel vtatur. Priori itaque modo contrà voluntatem Superioris rem retinere est proprietatis actus: Non autem posteriori, qui magis est contrà obedientiam. Aliqui addunt debere rem occultè detinere: verum si quis detineat contrà voluntatem Superioris, tantum abest vt peccatum proprietatis diminuatur ex eo quod in manifesto & violenter detineat; quin & vltrà proprietatis delictum sæpe inobedientiæ & rebellionis peccatum adiungat. *Et contrà Nauarrum, l. 3. Consil. de Reg. Consil. 75. n. 49.* Tamen manifestum est ex naturâ proprietatis; abstrahit enim à publico vel occulto, sufficit verò, vt rem quis sibi aliquo actu approprietet.

Aduertendum 2. Proprietatem non tantum esse in numeratâ pecuniâ, sed in quacumque re mobili, vel immobili: nec tantum in permanentibus, sed etiam in vsu consumptibilibus vt escis, vino, & aliis.

Respondeo 2. Proprietatem tunc dici peccatum mortale, quando est in rè moraliter reputata notabili.

Dixi (moraliter) hoc enim magis iudicio prudentis relinquitur, quam certæ determinationi.

Com-

Communis ſententia eſt, proprietatem Religioſorum menſurandam furto ſæcularium : ità vt quantitas quæ in furto ſæcularium cauſat mortale peccatum, in Religioſorum proprietate ad mortale æſtimetur. Sed quamuis hæc ſententia ſit veriſſima, non excludit Religioſorum anxietatem, de quantitate enim furti, vt mortali culpâ plectatur, tot ſunt ſententiæ, quot capita, tot opiniones, quot ſcripta,

Ego non condemnarem vllum proprietatis mortalis niſi res appropriata tres ſaltem Iulios excedat, & ad florenum perueniat in re aliqua permanenti, & cuius valor à naturâ rei pendet non ex opinione, In quâ tamen qualitate omni determinationi præpono iudicium ſingulare boni & prudentis viri; Fieri enim poteſt, vt ex circumſtantiis loci, monaſterij, abundantiæ Regionis, conſuetudinis, vſus inter probos & timoratos, maior etiam quantitas mortalem proprietatem non faciat.

Dixi Notanter (in re permanenti) habenda eſt enim ratio rerum vſu conſumptibilium, vt potus, & cibariorum, in quibus occultè & contrà voluntatem Superioris conſumendis, quandoque plus diſplicet modus Superiori, quam voluntas contrarietur : Et ſi voluntas contrarietur, quantitas

tas & pretium aliter attenduntur, eo quod ſint obiecta frequenter liberalis donationis, & oblationis, aut quod in quotidiano victu, & potu, vix æſtimentur aut appretientur. In quibus, ſicut viri probi arbitrium magni faciendum eſt, ſic Fratri Minori ſpecialior ratio ponderanda venit, quod altero aliquando peccato per pecuniam acquirantur contra c. 4. Regulæ, aut quod vſum pauperem excedant.

Dixi (cuius valor, &c. non pendet ab opinione) vbi enim ab opinione vanâ hominum ſæcularium res pendet, vix huiuſmodi inter Religioſos ratio eſt habenda, vt in Tulipis floribus, &c. quoad quantitatem rei in appropriatione.

Dices 1. *S. Franciſcus ſimpliciter c.* 6. *Regulæ dicit: Fratres nihil ſibi approprient*, *ergò* in quacumque quantitate eſt peccatum mortale: Qui enim dicit nihil, omne excludit. Reſpondeo negando conſequentiam. Deus enim dicit ſimiliter non furaberis, Omne tamen furtum peccatum mortale non eſt.

Dices 2. Nihil ſibi appropriare eſt votum Fratri Minori, omne autem votum ſub mortali peccato obligat.

Reſpondeo, diſſimulato antecedente, (non enim omnia præcepta Regulæ ſunt vota

vota, vt dicemus c. 10. latius) negando ſubſumptum. Sicut enim in præceptis, ſic & in votis paruitas materiæ excuſat à mortali. Vnde falſum arbitror quod *Politius ex Caietano citat*: Quod qui vouiſſet in vno Roſario ſingula, *Aue Maria*, omittendo vnum peccaret mortaliter. Eſt enim materiæ paruitas, & quamuis vnum *Aue Maria* eſſet tota materia voti, ſi ommitteretur, nec peccatum mortale eſſet.

DVBIVM. V.

Quis cenſeatur lapſus carnis opere conſummatus?

RESpondeo: Lapſus carnis opere conſummatus, cenſetur omnis concubitus, ſiue coitus carnalis; ſiue fiat ſecundum naturam: vt in fornicatione, adulterio, inceſtu, ſacrilegio; ſiue contrâ naturam: vt in Sodomia, Beſtialitate & id genus nefandis criminibus.

Petes: An pollutio voluntariè procurata in propria perſona, vel per tactus impudicos ſolos, abſque coitu in ſecunda perſona, ſub lapſu carnis comprehendatur? Reſpondeo quod alij negant: alij affirmant. Securius eſt, & malitia ipſa peccati meretur, vt per Capitula Generalia aut

Pro

Prouincialia referuetur, ficut in diuerfis Prouinciis, ad maiorem fecuritatem, & mali deteftationem, fieri vidi.

Petitur 2. An in concubitu fiue lapfu ifto referuato neceffariò debeat fieri feminatio in vafe? Refpondeo: quod non; fed fufficit coiiffe; & fi feminatio extrà vas compleretur.

DVBIVM. VI.

Quæ occifio, vulneratio, aut percußio requiratur ad cafum referuatum?

RESpondeo 1. Occifionem debere effe fui, aut alterius; voluntariam, culpabilem fiue illicitam, culpam mortalem attingentem. Vnde qui omninò à cafu & inuoluntariè: aut inculpabiliter, cum moderamine inculpatæ tutelæ: aut actu imperfectè deliberato aut culpabili, hominem occideret, in hunc cafum referuatum non cenferetur incidiffe.

Refpondeo 2. Vt vulneratio fit cafus referuatus, debet fimiliter effe voluntaria & culpabilis, nec fufficit vt fit peccatum mortale, fed debet etiam notabilis effe. Tunc verò cenfetur notabilis, quā non paruum vulnufculum nullius momenti, fed graue vulnus, vt mutilatio, contufio, membri alicuius

cuius inutilitas, vel grauis afflictio aut huiusmodi, quæ curam medici multam requirat, infligatur.

Respondeo 3. Non sufficit etiam ad reseruationem, vt percussio sit culpa mortifera, sed requiritur amplius vt sit grauis, siue atrox, quæ grauitas, siue (vt ab aliis vocatur) enormitas, attendenda est tum ex naturâ rei, vtpotè quod graue nocumentum corpori inferatur, sanguis ex aliqua parte notabiliter diffluat (non tamen è naribus; quia fluxus ille leuissimâ occasione causari potest): tum etiam ex circumstantiis personæ. Quæ enim leuis esset percussio in persona vulgari; in Episcopo, Abbate, Generali, Prouinciali, Guardiano, &c. enormis censeri deberet, ratione scandali & iniuriæ, vt declarat *Innocentius 3. in Cap, Cum illorum.*

DVBIVM. VII.

Quid requiratur vt malitiosum impedimentum aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad Inferiores, & è contra, sit casus reseruatus?

Respondeo Tria requiri 1. Vt quis sciens & volens impediat, retardet, aperiat, &c, Si enim quis ex in aduertentia,

tiâ, aut nesciens esse litteras superioris, &c. id faceret, nō incurreret hunc casum 2. debet concurrere malitia aut malitiosa intentio: Si quis enim ex solâ negligentiâ, & socordiâ, daret causam huiusmodi impedimento, aut retardationi absque malitia, aut intentione mala, non incurreret. 3. debet esse in materia graui & sufficiente ad peccatum mortale: quæ scilicet, mittenti aut ei ad quem mittitur, inferat aliquod nocumentum, aut putatur illatura: In materia enim leui non incurritur. Ex. g. Ioannes Petri litteras congratulatorias ad Superiorem detinet, vt suæ prius perueniat, ob aliquam leuem & vanam auram humanam sine alio detrimento: Huiusmodi detentiō sicut non est peccatum mortale, sic non est casus reseruatus.

Petes: An vt apertio litterarum sit casus reseruatus, oporteat eas legere: Respondeo, si nullum detrimentum ex simplici apertione oriatur, aut oriri possit absque lectione, tunc si non legantur casum reseruatum non incurri. Ratio est, quia finis reseruationis cessat, qui est, auertere huiusmodi nocumentum. Aduerte tamen, si ex apertione tua des alteri occasionem vel causam legendi, aut periculo lectionis nociuæ illas exponas, tunc casum reseruatum

com-

committi. Aduerte iterum, quod si tantum operculũ, quo litteræ in fasciculo suo continentur aperias, & aliundè litteræ proprio sigillo clausæ remaneant, casum non incurris, nisi fortè ex sublato dicto operculo simili, auferres signum quo dignoscebantur esse superioris ad inferiorem, vnde retardatio aut impedimentum malitiosum sequeretur.

DVBIVM VIII.

Quod sit iudicium Regulare & Legitimum?

Respondeo 1. Iudicium Regulare est, cui præsidet Regularis, estque de causis Regularibus vel personas Regulares concernentibus.

Respondeo 2. Iudicium legitimum esse: quandò est Iudex competens, & iuris ordine seruato, saltem quoad substantiam, iuridicè interrogat. Qui enim sic interrogatus, falsum iurat, incurrit in casum reseruatum, cum teneatur veritatem fateri, & iurare verum absque æquiuocatione. *Vide Coriolanum latè p. 2. Casu 5. de Iudicio Regulari.*

DVBIVM. IX.

Quæ requirantur vt casus reseruatus de procuratione aborsus incurratur?

RESpondeo requiri 1. Vt mulier verè sit grauida, & sciatur esse grauida. 2. Vt sit fœtus animatus animâ rationali, quod iuxtà communem sententiam in masculis post quadraginta dies, in fæminis post octoginta fieri dicitur. 3 Vt potio, vel quod ad talem aborsum adhibetur, vt saltatio, onus, percussio, &c. eâ intentione adhibeatur: si enim non adhibeantur illâ intentione, non incurritur: vt qui cum muliere grauidâ tripudiaret, ex qua tripudiatione aborsus sequeretur. Item: qui ad curandam aliam infirmitatem potionem adhiberet.

Respondeo 2. Omnes personas sequentes casum reseruatum incurrere. 1. Qui dat potionem. 2. Qui illam eâ intentione præparauit. 3. Qui eâ intentione misit. 4. Qui tulit. 5. Qui consilium dedit. 6. Qui mulieri vt sumeret suasit. Denique omnes qui ex intentione concurrunt.

Aduerte porrò 1. Casum reseruatum incurri etiam effectu non secuto. 2. Effectu

ctu secuto post fœtum animatum verum homicidium esse, & Religiosum, præter casum reseruatum, incurrere irregularitatem, & pœnas omnes homicidarum, tam Ecclesiasticas, quam Ciuiles. 3. Procurantes aborsum etiam antè animatum fœtum, aut impedientes potionibus aut venenis conceptum, præter alias grauissimas pœnas degradationis, depositionis, & capitis, incurrere Excommunicationem S. Sedi reseruatam *ex Constitutione Sixti V. datâ anno.* 1588. quam moderauit tamen *Gregorius. XIV. anno* 1591. vt à Confessario, ab Ordinario approbato, & ad hoc deputato absolui in foro interno posset. Et à qua etiam Superiores Regulares in externo foro, per priuilegia absoluunt. *Vide Roderiguez.* 1. 2. *Reg. QQ. q.* 33 *a.* 4.

DVBIVM X.

Quæ requirantur vt incurratur Casus reseruatus de falsificatione sigilli vel manus Officialium Monasterij, &c.

RESpondeo 1. Requiri falsitatem siue mutationem veritatis, qui enim nomine alicuius Officialis ab eo requisitus signaret, vel sigillaret, fingendo manum vel sigillum, non incurreret.

2. Requiri dolum ſeu animum decipiendi: ſi enim tantum ad artem ſiue ingenium adſtruendum fiat, caſus non incurritur.

3. Debet fieri cum intentione nocendi; ſi enim ad recreationem & iocum, ſine vllâ intentione aut periculo nocendi, vel detrimentum inferendi fiat, ſicut peccatum vix eſſe poteſt, ſic caſus reſeruatus non erit. Dixi (ſine periculo nocendi) ne nimirum alius tali ſignaturâ vel falſitate ab altero factâ vtatur. Tunc namque ex tali falſificatione, detrimento & dolo futuro, cauſam dat, & caſum incurrit.

4. Damnum intentum, aut quod ſequi poteſt, debet peruenire ad peccatum mortale, alioquin caſus reſeruatus non erit, materiæ defectu.

Reſpondeo 2. Nomine Officialium intelligi eos qui regimen aliquod Monaſterij habent, vt Generales, Prouinciales, Commiſſarij, Guardiani, Vicarij, &c.

DVBIVM. XI.

Quæ requirantur, vt Caſus reſeruatus de furto rerum Monaſterij incurratur?

RESpondeo 1. Requiri vt reuera ſit furtum, id eſt, Acceptio rei alienæ inuito Do-

Domino, Vſuário, ſiue Adminiſtratore. Quod committere conuincuntur qui res de facto communi vſui in communi officina vel officio applicatas, ſurripiunt furtim, & ſibi applicant vel conſumunt, vt libros ex bibliothecis, pannum ex ſartorio, inſtrumenta ex officinis. Item, qui res Fratrum vſibus de facto applicatas ſibi furtim vſurpant, vt veſtes, libros, manuſcripta, &c. Item qui res Monaſterij, etſi nulli in ſpeciali applicatas ſurripiunt, vt foris ſæcularibus aut aliis donent,

Porrò aduerte: Non paruæ difficultatis eſſe diſtinguere inter proprietatem & furtum, cum ferè iſta duo ſimul concurrant: qui enim, inuito ſuperiore, aliquid ſurripit, vt plurimum proprietatis vitium committit: hoc ſolum diſtinctionis excogitari poſſe videtur: quod ſi quis res iam vel communi officinæ, vel officio, aut particulari Fratri aſſignatas furtim ſurripiat, inuitis ſuperioribus, furtum committit: Sin autem rem necdum applicatam aut alicui communi vel particulari vſui aſſignatam, ſibi, contradicente Superiore, applicet, tunc demum proprietatis vitium incurrere.

Reſpondeo 2. Requiri vt quantitas rei, quæ ſurripitur, perueniat ad peccatum

mortale, cuius suprà in explicatione casus proprietatis mensuram dedimus. Vnum tamen hic aduertendũ est circà esculenta & poculenta, quod de ipsis aliud sit iudicium, quam de aliis rebus mobilibus vel immobilibus; tam quoad pretium, quam quoad rationem furti. Quia enim huiusmodi singulis diebus consumuntur, ab vno plus, ab alio minus; in quantitate & æstimatione pretij excessus aliquis præter communem aliarum rerum æstimationem attendi debet, vt quis condemnetur peccati mortalis. Quomodo auctores communiter docent, in furto cibariorum quæ ab ancillis & famulis furtim accipiuntur, non debere seruari rigorem æstimationis, qui in aliis rebus furto sublatis seruatur, tam respectu mortalis peccati, quam restitutionis, vndè in his iudicium prudens, omnem communis doctrinæ in similibus, rigorem tollere debet & supplere.

In ratione etiam furti prudenter aduertendum est, quod sicut in iis quæ subripiuntur à filiis familias, sæpè magis displicet modus quam factum, ità vt furti non habeat rationem, non æstimatur tam rigorosè: quia filij familias sunt, & in cibo & potu nonnullam videntur in familiâ habere in similibus liberaliorem facul-

tatem:

tatem: ità & in Religiosis huiusmodi subreptiones maturius sunt expendendæ, quia sunt velut filij familias & Monasterij membra: adeòque etsi in his peccent, & de peccatis grauiter sint monendi, ob rationem proprietatis & furti: vbi tamen de ratione casus reseruati agitur, Confessarij maturiùs omnes circumstantias expendere debent, vt nec Religio patiatur detrimentum, nec pœnitens grauamen nimium.

Ex his porrò benè aduertant Fratres casum reseruatum incurri, non tantum vbi res communitati assignatæ subripiuntur, sed etiam vbi res Fratrum vsibus relictæ, vt libelli, scripta, imagines, & id genus: quæ enim Fratrum sunt, Monasterij sunt, etsi vsus illis concedatur.

TITVLVS II.

De recursu pro Casibus reseruatis.

QVÆSTIO I.

An ex vi Regulæ teneantur Fratres personaliter ad Ministros pro Casibus reseruatis recurrere, eodem instanti sine mora?

CONCLVSIO. I.

Ex vi Regulæ tenebantur initio nascentis Religionis, pro peccatis publicis reseruatis, ad Ministros recurrere. Conclusio patet ex Regulæ textu.

Ista verò peccata, de quibus Regula loquitur, fuisse publica manifestum est ex circumstantiis; Recursus enim ille fieri non poterat, nisi constaret Superiori Conuentus, Fratrem recedere, & ad Superiorem accedere: Vt autem eum non impediret saltem in genere, constare debebat de causâ. Secundò tenebatur peccatum manifestare Ministro non Sacerdoti, contrà Sacramenti secretum. Tertiò imponebatur Pœnitentia publica vt plurimum. Quartò prohibetur superioribus ira & conturbatio,

tio, quæ in ſecreta correctione ſecretorum delictorum non interuenit, minus in Sacramentali. *Et ità declarauerunt Gregorius 9. & Innocentius 4. Quorum declarationes in hoc articulo non ſunt immutatæ. Eſtque ſententia communis Expoſitorum.*

CONCLVSIO II.

FRatres ex vi Regulæ non tenebantur pro peccatis etiam reſeruatis occultis Miniſtros perſonaliter accedere. Ratio eſt, quia de his Regula non loquitur; & alias nemo ſe infamare tenetur: ſe autem manifeſtè infamaret qui pro aliquo occulto peccato ſtatim à Conuentu recedere & ad Miniſtrum diſtantem accedere teneretur.

CONCLVSIO III.

Tenentur Fratres iure diuino pro peccatis reſeruatis Miniſtris Prouincialibus, ad illos vel eorum delegatos accedere. Ratio manifeſta eſt. Quia abſque illius auctoritate ordinariâ vel delegatâ abſolui non poſſunt à caſu reſeruato.

CONCLVSIO. IV.

Tenentur Fratres pro caſibus reſeruatis recurrere ad habentes poteſtatem, quamprimum ordinato ac debito modo poteſt, fieri ſine morâ. Ratio eſt, quià tenentur ſe à peccato mortali expedire. Nulla tamen

alia.

alia obligatio est quam non peccandi vlterius, & quærendæ salutis.

QVÆSTIO II.

An modò præceptum Regulæ de recursu pro publicis peccatis sit seruandum?

CONCLVSIO.

MOdò recursus personalis pro publicis peccatis ad ministros non est seruandus, nisi expressè de nouo stabiliatur: Ratio est, quia illud præceptum pendebat ab ordinatione Fratrum in Capitulis, vt constat ex verbis Regulæ (*Prò illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter Fratres*) Item ex prudenti iudicio Ministri (*Iniungi faciant per alios sacerdotes Ordinis; sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire*) atqui modò nec Patribus sic visum, nec Ministris, vt huiusmodi comparitiones personales communiter fiant, ergò seruandum. Dixi (nisi expressè de nouo stabiliatur) si enim sic placeret Patribus in Capitulis ordinare, aut Ministri iudicarent expedire, præceptum Regulæ reuiuisceret, & Fratres pro publicis peccatis, ad huiusmodi recursum tenerentur.

TEX-

TEXTVS II.

Ipsi verò Ministri si Presbyteri sint cum misericordia iniungant eis pœnitentiam; si verò Presbyteri non sint iniungi faciant per alios sacerdotes Ordinis, &c.

TITVLVS VNICVS.

De absolutione reseruatorum.

QVÆSTIO I.

Quis possit à peccatis reseruatis absoluere?

CONCLVSIO I.

SOlus Sacerdos potest à peccatis reseruatis absoluere. Ratio est, quia solus in Ordinatione potestatem à peccatis absoluendi recepit.

Dixi (Sacerdos). Sicut enim Clericus vel laicus à peccatis communibus non absoluit, sic nec à reseruatis absoluere potest. Vnde recursus ad Ministros non Sacerdotes, erat tantum recursus externus in pœnam & vindictam publicè peccantis, cum ipse à Sacerdotibus in foro Conscientiæ absolui deberet.

Petes

Petes 1. Si erat tantum recursus externus in pœnam, cur pœnitentia à Sacerdote infligenda erat? Respondeo *ex Pisano in Regulam.* 1. Quia impositio Pœnitentiæ aliquo modo spectabat ad claues, & canonem. 2. Quia incongruum fuisset, vt Sacerdote peccante, non Sacerdos imponeret pœnitentiam. 3. Quia Sacerdotes melius qualitatem delicti dignoscere poterant, ob circumstantias aliquas, quæ, etsi factum sit publicum, occultæ tamen sunt, & non nisi in foro interiori manifestandæ.

Petes 2. An Ministri possint institui non Sacerdotes.

Respondeo 1. Initio Ordinis *(iuxtà Sanctum Bonauenturam)* cum non esset tanta Sacerdotum copia, potuisse. Illa tamen magis erant cum auctoritate Patrum-Familias Ordinem gubernantes: cum munia Pastoralia alij Sacerdotes Ordinis subirent. Sicut fit in similibus Congregationibus, vbi non Sacerdotes præsident.

Pro quo aduerte 1. Si laicus præsideat (cum iurisdictionis spiritualis incapax sit) non habere plus iurisdictionis quam Pater in Familiâ. 2. Si Clericus sit, iurisdictionem Spiritualem Ecclesiasticam penes ipsum residere posse, ideò Excommunicare posse, Iurisdictionem delegar, &c. quamuis

uis alia, quæ caracterem Ordinis requirunt, exercere nullatenus possit. 3. Quod si Sacerdos sit, tunc liberam, & potestatem & executionem iurisdictionis habere potest, & iure ordinario habet.

Ex quibus collige minus decuisse vt Ministri qui initio Ordinis erant, Laici essent, cum sic omnis iurisdictionis spiritualis Ecclesiasticæ ad regimen incapaces essent. Vnde nec vsquam legitur aliquis laicus Minister fuisse. Soli diacono S. Francisco ex priuilegio competebat, qui Fundator & Patriarcha tanti Ordinis à Deo mittebatur & initiabatur. Post illum nullus Minister fuit, qui Sacerdos non fuerit.

Respondeo 2. Ordine modo sic constituto, & dilatato non possunt nisi Sacerdotes in Ministros, aut, Guardianos eligi. Ratio est, quia illi status, vt modò, curam animarum annexam habent, quæ congruè non potest nisi per Sacerdotes exerceri: vnde & Ministri Prouinciales Episcopalem iurisdictionem ex vi officij nanciscuntur, & Guardiani mediam quasi Archi presbyterorum super Parochos. Sicut itaque legibus Ecclesiæ cauetur, ne cui parochiale beneficium conferatur, nisi intrà certum tempus Ordinem Sacerdotalem suscipiat ad exercitium curæ Pastoralis, sic

non

non possunt legitimè ad Officia Ordinis non Sacerdotes promoueri, quia cura animarum, velut Episcopalis aut ad minus Parochialis, istis officiis Ordinis est annexa. Et sic resolutum fuit in diffinitorio Capituli Generalis Romani anno 1625. me præsente, quæ resolutio approbata fuit per Congregationem Illustrissimorum Cardinalium, & condemnati quidam laici Galliæ, qui nitente pro eis Pœnitentiario quodam Andegauensi, prætendebant vocem actiuam & passiuam ad Officia Ordinis, allegantes pro sua humilitate, se huiusmodi Suffragiorum ex Regula esse capaces: quia dicit hoc cap. *Ministri verò si presbyteri sint*: Non attendentes quod præter laicos sint Clerici, & quod Ecclesia multas in Prælatis Ordinum conditiones requirit, quarum incapaces laici sunt, quibus Ecclesiæ Ordinationibus Fundator & se & Regulam subiecit.

Dixi porrò (Ordine sic constituto) vbi enim iterum constringeretur, vt in Indiis aut terris Barbaris, vt Sacerdotes sufficientes non reperirentur; tunc enim vt Sanctus Didacus sic & alij humiles laici præfici vt Patres Familias possent.

CON-

CONCLVSIO II.

Soli Superiores, quibus casus reseruati sunt, possunt per se vel per delegatos à casibus reseruatis absoluere. Ratio manifesta est ex terminis, si enim reseruati sunt Generali, solus Generalis absoluere potest vel delegare, Si Prouinciali, solus Prouincialis, &c. Excipio semper Papam & Superiorum Superiores, qui possunt quidquid inferiotes possunt.

CONCLVSIO III.

Possunt de consuetudine siue delegatione vniuersali & perpetua Guardiani, & in eorum absentiâ Vicarij sine Præsidentes per se absoluere, imò & delegare alios Confessarios, vt subditos á peccatis reseruatis absoluant. Ratio conclusionis sumenda est ex communi praxi Ordinis, pro quibus *videndus est Corduda, qui nonnullas Constitutiones & litteras citat.*

Dices, Guardiani respectu auctoritatis absoluendi à reseruatis sunt delegati, ergò vices suas seu auctoritatem delegare non possunt. Respondeo 1. negando consequentiam, sunt enim delegati perpetui & ad vniuersalitatem causarum, qui delegare possunt in causis singularibus. Respondeo 2. Consuetudine antiquissimâ & perpetua obtinere rationem Ordinariorum, vnde & absol-

abſoluere & delegare communiter poſſunt, niſi Prouinciales huiuſmodi poteſtatem coarctarint. Poſſunt enim ex natura reſeruationis Prouinciales poteſtatem Guardianorum quauis conſuetudine immemorabili introductam coarctare, imò & Generales Prouincialium.

CONCLVSIO IV.

OMnes Superiores quibus câſus reſeruantur, tenentur auctoritatem abſoluendi delegare deputatis Confeſſariis, quoties eam ſibi concedendam indicauerit ipſe Confeſſarius poſtulans pro Pænitente. *Ità Clemens VIII. in ſuo Decreto.*

Petes: Quos poſſint Superiores à caſibus reſeruatis abſoluere? Reſpondeo Subditos omnes ſuos reſpectiuè; Generalis omnes Fratres Ordinis; Prouincialis Fratres ſuæ Prouinciæ; Guardianus omnes Fratres ſui Conuentus, &c. His annectuntur Hoſpites per Prouincias ſiue Conuentus tranſeuntes, aut in eis aliquo tempore remanentes; Apoſtatæ cum à Guardianis & aliis Superioribus etiam extrà ſuas Prouincias diuagantes comprehenduntur, qui ab illis abſolui poſſunt, non tantum dum ſunt in Conuentibus, ſed etiam foris in Conuentuum ſuorum diſtrictibus. *Patet*

ex

ex Constitutionibus Ordinis & Priuilegiis Apostolicis ac communi praxi.

QVÆSTIO II.

An superiores Ordinis Fratrum Minorum possint suam auctoritatem alicui Confessario extrà Ordinem delegare?

RAtio dubitandi sumitur ex verbis Regulæ; *Si verò (Ministri) Presbiteri non sint mittant eos ad alios Sacerdotes Ordinis:* Ex quo *Hugo de Dina in hunc locum dicit: Quod Ministris, qui curam animarum Fratrum principaliter habent, non permittitur, vt in Casibus suis extraneos eisdem Fratribus Confessores; videlicet Sæculares, vel Religiosos assignent, sed tantum huius Ordinis Sacerdotes.* Hæc ille: qui posteà excipit necessitatem in periculo mortis: Eodem modo loquitur & censet *Bartholomæus Pisanus in hunc locum.*

CONCLVSIO I.

EX vi Regulæ non est prohibitum Ministris siue Superioribus delegare Confessariis sæcularibus, aut aliis Regularibus suam auctoritatem absoluendi subditos in foro Conscientiæ. Ratio est, quia vt superius diximus: Regula tantum loquitur de recursu publico pro peccatis, & de iniunctione publicæ pœnitentiæ, quæ bene

assignanda remittitur ad Sacerdotes Ordinis: quia conuenientissimum est vt peccata in Ordine commissa in Ordine iudicentur, tam ex perfectione iudicij, quâm ex naturâ delegationis, quæ intrà Rempublicam eandem fieri debet: tum ad euitandum scandalum: maximè cum ea, quæ in Regula præscribuntur, sint fori externi.

CONCLVSIO II.

De Iure nullus Confessarius sæcularis aut alterius Religionis Regularis etiam ab Ordinario approbatus, potest in foro interno Confessiones Fratrum Minorum audire, & eos absoluere à peccatis mortalibus. Ratio est: quia, vt supponitur, non sunt approbati ab Ordinario Pœnitentis, qui est Minister Prouincialis vel Generalis.

Et ne quis virtute Priuilegiorum generalium prætendat aliquam in huiusmodi Confessionibus & Absolutionibus auctoritatem, expressæ sunt prohibitiones in Priuilegiis Fratrum Minorum. *Clemens IV*, Inhibuit vniuersis Ecclesiarum Prælatis, & aliis quibuscumque, ne Confessiones Fratrum Minorum præsumant, inuitis eorum Prælatis, audire. *Compend. Priuileg. V. Confessio. n. 4. Bonifacius VIII. in Mari magno: Inhibemus*

bemus vniuersis Fratribus vestri Ordinis, ne aliqui illorum nisi in necessitatis articulo, aliis quam Prælatis suis peccata sua confiteri præsumat, vel aliis Sacerdotibus eiusdem Ordinis, secundum Regulæ & ipsius Ordinis Statuta.

Huc spectat prohibitio *Leonis X.* sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ; ne vllus Fratrum Minorum audeat accipere Bullam Cruciatæ, ratione cuius possit confiteri quibuscumque Sacerdotibus, &c.

Et Innocentius VIII. idem prohibuit ac declarauit, quamcumque absolutionem, quoad Fratres, irritam & inanem.

Alia etiam ampla habetur Declaratio *Clementis VIII.* per expressam Bullam, quæ incipit: *Romani Pontificis; datam Romæ 23. Nouembris, anno 1599. Pontificatus sui anno octauo.* Vbi pro omnibus, tam Fratribus quam Monialibus omnium Ordinum mendicantium, & non mendicantium, reuocat Bullam Cruciatæ, & alia omnia particularia indulta, quoad articulum electionis Confessariorum extra Ordinem, & subdit: *Sed nostræ* (ait) *intentionis existere quod iidem Fratres & Moniales, quantum ad Sacramentum Pœnitentiæ seu Confessionis administrationem, dispositioni suorum Prælatorum subiecti sint, Apostolicâ auctoritate, præsentium tenore, perpetuò declaramus, eis ta-*

 men

men Prælatis, vt in vsu huiusmodi potestatis se cum subditis benignos & faciles exhibeant, præcipimus & mandamus. Hæc ibi.

CONCLVSIO III.

EX priuilegio interdum in casibus necessitatis, licet Fratribus Minoribus extrà Ordinem confiteri. Sic *apud Hugonem,* in articulo mortis. Sic *Leo* X. Concessit Fratribus Minoribus iter agentibus, quandò copiam Sacerdotis siue Confessarij sui Ordinis non habent, vt possint Sacerdoti alterius Ordinis vel Presbitero sæculari confiteri: dummodò non fiat in fraudem, & dicant suo Prelato posteá vbi domum fuerint reuersi vel illi occurrerint. *Vnde Compend. Priuileg. V. Absolutio ordinaria quoad Fratres.*

CONCLVSIO. IV.

POssunt Ministri Prouinciales delegare interdum ex graui causa auctoritatem suam Confessario sæculari vel Regulari alterius Ordinis, ad absoluendum Fratres suos subditos in foro Conscientiæ. Ratio est quia nullo iure prohibetur, & ipse quasi Episcopalem respectù suorum subditorum potestatem & Iurisdictionem habet: Nec Regula, vt supra docui, de hoc foro loquitur: Vnde sicut Monialibus sæpè Sacerdotes Sæculares præficiunt, sic in certis causis

pro-

pro Fratribus auctoritatem delegare possunt. Idque supponunt decreta Pontificum, quæ prohibent ne audiant Confessiones inuitis Superioribus.

Dixi (Ministri Prouinciales) Hoc enim iure non gaudent Guardiani, quorum sicut non est approbare Confessarios, sic nec extrà Ordinem delegare.

Dixi (Ex graui causâ) quia ob scandalum & circumstantias, non expedit huiusmodi facultates dare, nisi causa salutis inferioris vrgeat. Ex dictis in 1. Conclusione patet Responsio ad rationem dubitandi &c.

QVÆSTIO III.

An Superiores siue Prælati Ordinis possint absoluere à Casibus Papæ reseruatis?

SVppono: Multos casus Summo Pontifici reseruatos esse, *vt patet ex Bulla Cœnæ & aliis Decretis & Sacris Canonibus.*

CONCLVSIO.

Omnes Prælati siue Superiores Ordinis possunt ex indultis & Priuilegiis Summorum Pontificum absoluere Subditos ab omnibus casibus etiam Bullæ Cœnæ reseruatis, nec non ab omnibus sententiis,

censuris, & pœnis, à iure, vel homine quouis modo latis, etiam eidem Sedi Apostolicæ reseruatis, exceptis casibus, pro quibus meritò ad S. Sedem Apostolicam destinandi essent: qui *à Sixto 4. circà Annum Domini* 1454. quatuor referuntur nimirū, 1. Si Hæretici reiapsi. 2. Si Schismatici 3. Si litteras Apostolicas falsificassent. 4. Si ad infideles prohibita detulissent. Pro quibus omnibus *vide Emanuelem Roderiguez tom.* 1 *Q. Q. Reg: q.* 20. *a.* 9. *& aliquot antecedentibus, & sequentibus.* Qui particulariter *a.* 9. probat per processus & publicationes annuas Bullæ Cœnæ Priuilegia, siue per *Clementem* 4. siue per *Sixtum* 4. non esse reuocata (contrà opinionem Collectoris aut aliorum) cuius sententiæ ob rationes quas allegat, lubens subscribo; nec addere plura desidero; cum hæc præcisè non spectent ad Regulæ expositionem.

ANNOTATIO NOTABILIS.

Obserua verò sub nomine Superiorum intelligi non tantum Prouinciales sed etiam Guardianos, Vicarios in absentiâ Guardianorum, Præsidentes qui vicem Guardianorum subeunt, ex communicatione cum Patribus Dominicanis iuxtà Concessionem *Iulij* 2. *Pontificatus sui anno* 6. qui om-

omnia concessa Prouincialibus, & Prioribus Conuentualibus, concessit Guardianis Fratrum Minorum: Et *Sixtus* 4. ad Vicarios in absentiâ Priorum ac consequenter Guardianorum ampliauit, & veracius de Vicariis sententiam istam defendit, vt videre est apud *Emanuelem Roderiguez supra a.2. & 3. Cætera vide apud eundem diuersis locis, & Compilatores Priuilegiorum*, ne excedam, vbi singula nimis pro Regulæ explanatione inquiro.

IN CAPVT VIII.

TEXTVS I.

Vniuersi Fratres vnum de Fratribus istius Religionis, teneantur semper habere Generalem Ministrum & Seruum totius Fraternitatis & ei teneantur firmiter obedire.

TITVLVS PRIMVS.
De Ministro Generali.

QVÆSTIO VNICA.

An possint esse plures Generales Ministri Ordinis Fratrum Minorum?

CONCLVSIO I.

EX vi Regulæ non possunt esse plures Ministri Generales Ordinis Fratrum Minorum. Patet ex Regulæ verbis. Vnde *Hugo de Dina: voluit Sanctus vnitatis amator vt familia sua poneret sibi caput vnum, & totius ouilis sui fieret pastor vnus* &c. Porrò qualiter modò plures sint Generales, iuxtà diuersas familias Reformationum, diximus latius *in c. 1.*

CON-

CONCLVSIO II.

Generalis Fratrum Minorum ex vi Regulæ debet assumi ex Fratribus professis. Patet similiter ex textu. *Teneantur* (inquit) *vnum de Fratribus istius Religionis semper habere Generalem Ministrum*, &c.

Porrò hic aduertendum est nomen Superioris Generalis ab ipso fundatore dictatum esse, vt Minister & Seruus vocetur, quod *iuxtà S. Bonauenturam* summam humilitatem tangit, *vt* (inquit) *qui dum Subditus erat obediebat vni, aut duobus, sciat se in Generalem Ministrum electum, debere omnium necessitatibus obedire.*

Aduertendum 2. Obedientiam hic intelligi debere eodem modo & præcepto, quo *in* 1. *cap.* intelligitur *& in c.* 10. latius explicabitur. Vnde hic non est speciale præceptum sed in idem concurrit.

TITVLVS II.

De Fraternitate Ordinis, & eius scissione.

QVÆSTIO I.

Quid intelligat S. Franciscus nomine Fraternitatis?

Aduerte 1. Vbicumque S. Franciscus in Regulâ loquitur de suo Ordine,

 non

non vti nomine *Ordinis*, sed semper nomine *Fraternitatis*. Ità hoc c. 8. *Vniuersi Fratres vnum de Fratribus istius Religionis teneantur semper habere Generalem Ministrum, & Seruum totius Fraternitatis, &c.* Et c. 12. mandatur Ministris vt petant à Domino Papa vnum Cardinalem: *Qui sit Gubernator, Protector, & Corrector istius Fraternitatis.*

Aduerte 2. illud nomen sumptum esse ex Euangelio Matth. 2. & Ioan. 12. vbi Apostoli vocantur *Fratres*, & ex Apostolo Paulo 1. *ad Thess.* 4. & *ad Hebr.* 13. vbi Christiani nomine *Fraternitatis* significantur, & frequentissimè apud Petrum 1. *Epist. c.* 1. 2. & 3.

Aduerte 3. nomen hoc *Fraternitatis* dicere duos respectus: Prior est, ad identitatem siue vnitatem Principij, à quo qui *Fratres* dicuntur descendũt: Posterior est ad commune vinculum, quo iidem ad inuicem fraternè vniuntur. Vnde sicuti in naturalibus illi verè & propriè Fratres dicuntur, qui ab iisdem parentibus originem trahunt, & communione sanguinis coniuncti sunt: sic in moralibus illi Fratres sunt, qui ab vno; seu sub vno morali principio degentes, communi lege, spiritu, educatione, &c, viuunt. Quomodo notauit *Tertullianus l. de Corona militis*, Christianos dici Fra-

Fratres: *Non* (inquit) *tantum iure naturæ, quo quibis Frater & proximus est, etiam hæreticus, etiam infidelis; sed quia Patrem vnum Deum agnoscimus; vnum sanctitatis spiritum bibimus, de vno vtero ignorantiæ eiusdem, ad vnam lucem expauescimus veritatis.* Quibus alibi similia habet.

Aduerte 4. *Fraternitatem* dupliciter sumi: 1 Logicè, pro ipsa relatione Fratrum ad inuicem. 2. Moraliter, pro ipsa Fratrum ongregatione, in quo sensu hic accipitur.

CONCLVSIO.

FRaternitas in Regulâ Fratrum Minorum nihil est aliud quam: *Congregatio plurium, à S. Francisco, vel eius successoribus ordinatè descendentium, qui Regulam Fratrum Minorum in suâ puritate, sub eodem S. Francisco, vel eius Successoribus vouerunt, & seruare contendunt.*

Dixi (*Congregatio plurium*) Fraternitas enim non nisi inter plures seruari, aut dici potest. Vnde si quis priuatus Regulam S. Francisci voueret sine Ordine ad Congregationem, Frater Ordinis dici non posset.

Dixi (*à S. Francisco, vel eius Successoribus descendentium*) solus enim S. Franciscus, & eius Successores tamquam principia generationis

rationis spiritualis, huic Fraternitati aggregare possunt. Vnde si quis inter manus Episcopi Regulam S. Francisci voueret, de hac Fraternitate & Ordine non esset, nisi fortè Episcopus auctoritate Prælatorum Ordinis id faceret.

Dixi (*qui Regulam Fratrum Minorum vouerunt*) si enim distinctam, huius Fraternitatis non erunt. Quomodò Fratres Tertij Ordinis, ad hanc Fraternitatem non pertinent, quia etsi ab eodem principio descendunt, non tamen eodem generationis semine; quia Regulam aliam habent, & velut altero vtero nascuntur. Quod similiter dicendum est de Sororibus, tam secundi Ordinis S. Claræ, quam Tertij Ordinis Pœnitentium, siue facto respectu ad inuicem, siue ad nos.

Dixi (*sub eodem S. Francisco, vel eiusdem Successoribus*) quemadmodum enim Christiani quantumuis piè in Christo viuant, si tamen & Papam & legitimos Episcopos, ac Pastores Ecclesiæ non agnoscant, à communi Ecclesiæ Fraternitate, suo schismate rescissi sunt: sic qui à S. Francisco & eius legitimis Successoribus recedunt, in hac Ordinis Fraternitate non computantur, etsi Regulam S. Francisci in puritate voueant & seruent.

Dixi

Dixi amplius (*qui Regulam Fratrum Minorum in sua puritate vouerunt*) qui enim Priuilegiis alteratam vouent, ad hanc Fraternitatem non spectant, cum non censeantur eodem semine nati, sed alio, siue alterato; ac consequenter eiusdem sanguinis communionem non habeant.

Ex quibus omnibus infero tria requiri ad hanc Fraternitatem. 1. Vt Fratres descendant à S. Francisco immediatè, vel mediantibus eius legitimis Successoribus. 2. Vt Regulam in suâ puritate voueant. 3. Vt illam sub S. Francisco, vel eius Successoribus legitimis seruare contendant.

QVÆSTIO II.

Quod sit speciale symbolum huius Fraternitatis?

COmmune est Fraternitatibus & Sodalitiis præter leges, & decreta communia, in quibus aliquandò cum aliis conueníunt, speciale symbolum habere, quo à cæteris distinguantur, & sub quo, velut speciali signo, adunentur. Quod & in militiis peruium est.

COCNLVSIO.

SPeciale symbolum Fraternitatis Ordinis S. Francisci, est *Altißima Paupertas*

quia:

quia etsi, vt aliàs docuimus, summam obedientiam habeat, quæ duobus solis terminis clauditur, *contra Animam*, scilicet *&* *Regulam*: purissimam Castitatem voueat, quæ non solum actus & cogitationes malas, sed etiam suspecta consortia & consilia, quamuis non mala, rescindit, *vt latius dicetur c.* 11. specialiter tamen à cæteris Ordinibus distinguitur & super illos efflorescit, *Altißimâ Paupertate*, quæ omnis rei proprietatem, & quoſuis iuris actus abiicit, tam in communi, quam in particulari. In quâ paupertate nullus hactenus Ordo in Ecclesiâ huic Fraternitati assimilatus est, imò per hanc omnes legitimi Filij S. Francisci ab illegitimis & spuriis sunt distincti, vt posteà patebit.

Hoc porrò symbolum erexit ipse S. Patriarcha c. 6. Regulæ. *Hæc est*, inquit, *celsitudo altißimæ paupertatis, quæ vos charißimos Fratres meos, Hæredes, & Reges Regni cælorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimauit. Hæc sit portio vestra, quæ perducit in terram viuentium, cui dilectißimi Fratres totaliter inhærentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub cælo habere velitis.* Vnde & idem S. Patriarcha, dum Institutum suum ab *Innocentio* 3. *anno* 1210. stabiliri auctoritate Apostolicâ postula-

ſtularet, efficaciſſimè propoſuit Parabolam Regis Ieſu Chriſti, Virginem quamdam ſpecioſam in deſerto velut dereliĉtam, paupertatem (ſcilicet) deſponſantis, ex quâ Filios genuit, Fratres Minores, de quibus infert: *Non eſt* (inquit) *formidandum, quod fame pereant æterni Regis Filij & Hæredes, qui ad imaginem Regis Chriſti per Spiritus Sancti virtutem, de paupere Matre nati, & qui per Spiritum paupertatis ſunt in Religione pauperculâ enutriendi.* Vide S. Bonauent. *in vita S. Franciſci l. 1. c. 3. qui & c. 7.* Paupertatem deſcribit S. Franciſci Sponſam, pro quâ Patrem, Matremque reliquit. Et in grauiſſimâ illâ oratione, quam S. Franciſcus habuit ad Fratres ſuos de laudibus paupertatis relatâ in antiquâ legenda *c. de perfectione paupertatis*, & apud Piſanum *Conformit.* 12. *c.* 15. oſtendit: *Paupertatem eſſe virtutum Reginam, Specialem viam ſalutis, Humilitatis fomentum, Perfectionis radicem, Euangelici agri theſaurum abſconditum concludit: Euangelica* (inquit) *hæc Paupertas noſtri Ordinis eſt Fundamentum, cui ſubſtrato primariè ſic omnis ſtructura Religionis innititur, vt ipſius firmitate firmetur, & euerſione funditus euertatur. Quantum itaquè Fratres declinabunt a Paupertate, tantum mundus declinabit ab eis, & quærent, & non inuenient. Si dominam*

minam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, quia mundo dati sunt ad salutem. Hæc ibi. Amplius *Marianus c. 13 §. 1. citatus à R. P. Luca VVadingo, ad annum Christi* 1215. refert S. Franciſcum, habitâ grauiſſimâ aliâ oratione de laudibus Paupertatis, cum Fratre Maſſæo iuiſſe Romam, ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli, vt illorum precibus Spiritum S. paupertatis pro ſe & Ordine ſuo impetrarent: quem etiam orantes in diuerſis Sacellis, apparentibus SS. Apoſtolis B. Franciſco obtinuerunt, Vnde illum SS. Apoſtoli ſic ſunt allocuti: *F. Franciſce exauditæ ſunt in conſpectu Dei orationes tuæ, & vberes lachrimæ, quas effundis, pro acquirendâ ſanctâ paupertate, quam Christus Magiſter noſter, eiuſque S. Genitrix amplexi ſunt, & nos ipſius Apoſtoli ſumus ſectati. Miſit proinde nos ad te Dominus Ieſus Chriſtus, vt annuntiemus tibi quod fæliciter exoraſti, & conceſſus tibi, tuiſque eſt theſaurus Sanctiſſimæ Paupertatis, quam qui verè poſſ derint, & perfectè profeſſi fuerint, ipſorum erit regnum cælorum.* Hæc ibi. Hoc ſymbolum aſſumpſerunt tres illæ mulieres pauperculæ ſtaturâ, ætate, ac facie per omnia ſimiles, quæ Sancto Franciſco in planitie illâ inter Campilium & S. Quirinum occurrerunt illum nouo ſalutationis modo ſalutantes: *Benè veniat* (in-

(inquit) *Domina Paupertas*, Et Nicolaus III. *in Bullâ quæ incipit: Conuenientibus vobis*, &c. *Datâ Romæ* 17. *Calendas Iunij, Pontificatus anno* 2. de hoc Ordine loquens: *Hic est* (inquit) *fons scientiarum fluenta scaturiens, signatus paupertatis insignijs.*

Ex quibus omnibus constat huius Fraternitatis singulare, & fundamentum, & symbolum fuisse. Vndè & in primæua illa nascentis Religionis ætate: Ordo Fratrum Minorum vocabatur: *Religio pauperum crucifixi*, prout ex Illmo. Iacobo de Vitriaco *in Historia Occidentali. c.*32. in Prœmio retulimus, cuius Encomia de hac paupertate Fratrum latius ibi vide.

Hæc porrò prolixius dixi, quia video ab antiquo sanctam paupertatem fuisse, *Signum cui contradicetur*, & hactenus fuit ab omnibus relaxatis contradictum, & obiectum, ac causa scissionum omnium in Ordine, eo quod pro illâ stabiliendâ, & restituendâ laborarent veri sectatores & Filij pauperum Patriarchæ.

QVÆSTIO III.

An omnes qui sub Ordine Fratrum Minorum & S. Francisci Regulâ militauerint, vel ad præsens militant, ad hanc Fraternitatem pertineant?

HÆc Quæstio ponitur ratione multarum Reformationum & communis Status Religionis, in quibus totius corporis scissio fuisse videtur: imò & hoc tempore, quo hæc scribo, non est interReformatos, qui non ambiat primatum huius Fraternitatis, quem & Conuentuales Priuilegiis Regulam relaxantibus vtentes sibi velut iure vendicare volunt, post negotium per Leonem X. omnium Regum & Monarcharum postulationibus decisum& conclusum. Vt igitur res omnibus pateat, statui omnium Familiarum huius Ordinis, & originem & modum examinare, ex probatissimis Auctoribus, ac vnicuique quod suum est reddere, breui quidem & præcisâ methodo, ad quod examen, narrationem historicam præmitto primò Reformationum, quæ velut membratim introierunt, vsque ad tempora Leonis X. demum eas, quæ post tempora Leonis X. surrexerunt, subnectam.

His-

Historica narratio Reformationum Ordinis Minorum, quæ vsque ad tempora Leonis X. in Ordine natæ sunt.

OMnibus quidem peruium est S. Patriarcham Franciscum altissima iecisse, diuinâ virtute, sui Ordinis fundamenta, ac discipulos suos sanctissimis legibus, verbo pariter & exemplo, instituisse: verum hæc est naturæ humanæ conditio & infirmitas, vt successu temporis etiam solidissima infirmentur, feruida tepescant, & mundanum puluerem etiam purissima quæque & sanctissima contrahant. Verum qui S. Francisco promiserat Ordinem suum in finem mundi duraturum: & qui (ne personarum, tum multitudine, tum virtute deficeret) addiderat; *Quod illis non nascentibus faceret alios nasci, qui, de lapidibus potens est suscitare Filios Abrahæ*, tantâ hunc Ordinem dignatus est benignitate prosequi, vt nullo non tempore operarios suscitarit, qui & vineam hanc excolerent, & ruinas Ordinis huius repararent, secundum verum & legitimum spiritum S. Patris.

Prima Reformatio per Cæſarenos.

CVm igitur adhuc, viuente S. Patre, feruor ille primæuus in pluribus langueret, præeunte in huiuſmodi relaxatione ſanctæ Paupertatis & ſimplicitatis F. Heliâ, quem primò conſtitutum Vicarium ſuum S. Franciſcus depoſuerat, & frequentioribus reprehenſionibus, imò prædictione mortis extrà Ordinem obeundæ à ſuis relaxationibus abſterrere conatus fuerat: mortuo eodem S. Patre, eiuſdem Heliæ & ſequacium factionibus, graues contrà Paupertatem Ordinis abuſus in Ordinem ſenſim irrepſerunt, ingenti luctu Sociorum S. Patris, & aliorum plurimorum Zelatorum, quorum numerus non erat exiguus. Sanè contrà F. Heliam, tunc iterum Ordinis Vicarium S. Antonius Paduanus, & F. Adam de Mariſco, grauiter inſurrexerunt, & coram Summo Pontifice Gregorio IX. *anno* 1230. eum accuſantes ab officio Vicariatus, abſolui curarunt, ſubſtituto in Generalem Miniſtrum per electionem, F. Ioanne Parente viro admodum Religioſo, & ſuæ Regulæ obſeruatore. Sed mortuo F. Ioanne Parente, cum iterum F. Helias (qui apparente quâdam Pœnitentia & vitæ auſteritate, ſibi animos

Fra-

Fratrum deuinxerat) electus in Generalem esset, cæpit reuerti ad vomitum & viam paupertatis & humilitatis exosus, contrariam ei, quam S. Franciscus introduxerat, tenere: donec demum pij Fratres ad vbera sancti Institutoris enutriti, Duce F. Cæsario Spirensi, viro sanctissimo & integerrimo, grauiter Heliam commonerent & instanter rogarent, vt ab huiusmodi relaxationibus & Fratrum seductionibus abstineret, & vitam instituere t S. P. institutis conformem. Dissimulauit ille, & callidi ingenij sui impio stratagemate, insurgentem Fratrum zelum oppressit, carcerum ergastulis continuit, ità vt pessimo casu F. Cæsarius carcere egrediens necaretur, cuius animam multitudine Angelorum stipatam vidit Summus Pontifex in cælum efferri: Angelo ei significante: F. Cæsarium Spirensem martyrio affectum ob propugnatam sanctioris instituti rationem, adeoque anno 1239. his commotus iterum Summus Pontifex, Heliam ab Officio absoluit, vt Religionis perturbatorem, substituto per electionem F. Alberto Pisano, viro perfecto & bono, qui mensibus quatuor dumtaxat Ordinem rexit morte præuentus, in cuius locum per electionem suffectus est F. Haymo Anglicus,

glicus, vir magnæ sanctitatis & prudentiæ, qui Ordinem sedulò rexit, Regulam exponi per 4. Magistros, pro Fratrum pacificatione curauit, donec *anno* 1244. vitâ fungeretur. Post huius mortem iterum F. Helias occasionem arripit suæ ambitioni fauentem, sed dum putat iterum ad Generalatum sibi sternere viam, detectis eius fraudibus, ab Innocentio IV. omni fauore & gratiâ spoliatur, ipse verò ab Ordine contrà Pontificem ad Fredericum II. Ecclesiæ inimicum profugit: In locum verò F. Haymonis Anglici electus est F. Crescentius de Essæio, vir venerabilis, iustus, & disciplinæ zelo probatus. Dum porrò hæc ageret Helias, viri pij & sancti, Regulæ S. Francisci zelatores rerum tædio affecti surgunt, & Regulæ suæ puritatem zelantes, in solitaria loca & siluas se recipiunt, vbi extrà communitatis puluerem Deo seruiant secundum puritatem Regulæ, & Spiritum S. Patris; in quibus locis ab anno 1244. in sanctâ obseruantiâ perseuerarunt sub obedientiâ Generalium, & aliorum Ordinis Prælatorum ad annos sexaginta tres, multo odore pietatis. Et hi dicti sunt Cæsareni à F. Cæsario de Spirâ, cuius fortè disciplinam primò sectati erant, fuitque hæc prima Re-

Reformatio in Ordine: tamen vt notat R. P. Wadingus *anno Christi* 1244.*n*.3. *Corpus Religionis in medio sistens, hac membrorum inæqualitate ac diuerso studio diuexatum, inter extrema securum iter tenebat, vt nec prætensæ perfectionis intuitu aliorum contemptum præseferret, aut sacrosanctum pacis ac charitatis violaret seditione nexum, aut litigiis interturbaret silentium, nec etiam irrepentem dissolutione labem foueret, aut probaret excessus.* Hæc ille.

Reformatio II. per Clarenos.

EXundantibus (vt fieri solet) nonnullis falsorum Fratrum relaxationibus, aliqui suæ Regulæ zelatores, quibus semper Religionis corpus abundauit, sæpius surrexerunt, quorum tamen conatus variè sunt repressi ab iis, qui diuisiones Ordinis metuebant: vt constat de F. Raymundo, F. Thoma Tolentinate, & F. Petro Maceratensi, qui videntes negligentiâ aut facilitate Generalis Aquaspartani multos abusus irrepsisse, in faciē laxioris disciplinæ *circa annum* 1289. restiterunt, quorum tamen conatus fuerunt impediti. Sed *anno* 1294. sedente in Cathedra Petri Cælestino Quinto, alij purioris vitæ desiderio allecti, ac captatâ pietate ac propensione

Pontificis in Eremitas: à Summo Pontifice impetrarunt, vt Eremitoria & Solitudines sibi liceret vbicumque ædificare, & in illis Regulam S. Francisci, secundum eius intentionem, & omnimodam puritatem obseruare. Obtinueruut amplam quidem facultatem, & à Bралatis Ordinis exemptionem, quibus etiam præfectus fuit auctoritate Pontificiâ in Prælatum F. Liberatus, maximus paupertatis zelator (quamuis R. Pater Gonzaga eis ducem præficiat F. Angelum de Cingulo, qui & Clarenus dictus fuit) Hi omninò ab Ordinis consortio se separauerunt: & vt cauerent ab Ordinis molestiis, Pontifex ad eorum petitionem constituit, vt non vocarentur Fratres Minores, *sed Pauperes Eremitæ Domini Cælestini*, assumpseruntque habitus breues cum simplici caputio dependente pyramidali forma vsque ad chordam, antè, & retrò, cui à tergo pannea lingua hærebat. Subiicebantur Episcopis tamquam Ordinariis suis. Posteà verò dicti sunt Clareni à Claro monte, quem primò inhabitarunt. Horum magna pars, se in Græciam & in partes Achaæ recepit, timens Ordinis indignationem, post renuntiationem Cælestini V. sed circa *annum* 1296. in Italiam redeuntes, separati ab Or-

Ordine remanſerunt vſque ad *annũ* 1477. quo curante Sixto IV. & inſtante F. Franciſco Samſone Generali, ad Ordinis vnionem redierunt, ea lege, vt ſoli Miniſtro Generali ſubderentur, & ſub proprio P.. .e.lato viuerent. Horum aliquæ reliquiæ ſub Epiſcopis permanſerunt, & *Aclareni*, ſiue *Clarenuli* ſunt dicti.

Reformatio III. per Patres Obſeruantiæ Regularis.

HÆc reformatio, quam quidem ad totius corporis reſtitutionem Deus per merita Sanctiſſimi Confeſſoris ſui S. Franciſci ordinauerat, paruis initiis in diuerſis orbis partibus, diuerſo tempore incepit, vt melius in toto corpore exurgeret, & quamuis in principio ſui, diuerſis & aduerſis fluxibus periclitata fuerit, ad extremum tamen uniuerſa orbis climata, & totum Ordinem peruaſit: ità vt quamuis primò partialis in membris fuerit, meritò tamen generalis totius corporis dici poſſit.

Inchoarunt illam in Italia primò F. Ioannes de Vallibus Sacerdos, egregius paupertatis zelator, cum quodam F. Gentili à Spoleto, qui & F. Paulutius de Fulgineo dictus eſt, obtento loco Bruliani à Gene-

rali Ministro, sub quo & Ministris Prouincialibus suam Reformationem auspicabantur: sed horum irritus conatus fuit, quia timore scissionis in Ordine, breui sunt separati & per loca alia Fratrum de Communitate distributi.

Resumpsit primum opus F. Gentilis, & à Clemente 6. iterum locum *Bruliani* impetrauit cum aliis tribus scilicet, *Carceris, Eremitæ, ac Montis Lucij*, cum auctoritate recipiendi pro quolibet loco duodecim Fratres, siue ex Fratribus in Communitate professis, siue ex sæcularibus ad Religionem aduolantibus. Sed iterum, tempestate exurgente, hac gratiâ priuantur, & locis cedere compelluntur.

Feliciori successu rem aggreditur F. Paulus de Trincis Laicus, ex nobili familiâ Trinciorum, qui fauore sui Fratris Domini de Fulgineo à R. P. F. Thoma de Frigniano Generali Ministro, *anno* 1368. præfata loca obtinuit, cum auctoritate viuendi in iisdem, cum quatuor aut quinque sociis, secundum Regulæ puritatem, separatim ab aliis Fratribus: Huic se iunxerunt duo Venerabiles Patres F. Angelus à Monte Leonis & F. Ioannes à Strocomio viri sanctissimi & Prædicatores eximij.

Fouit hanc Reformationem Gregorius

XI.

XI. qui vndecim alia loca circa Auinionem F. Paulo concessit, ac ipsum & socios spiritualibus gratiis & indulgentiis prosecutus est, quibus adiuncta sunt alia loca in Prouinciâ Romanâ.

Fouerunt & piissimi Generales sequentes: F. Leonardus de Giffono circa *Annum* 1373. omni beneuolentiâ huic Reformationi affectus, & litteris patentibus eam confirmauit, & F. Paulum constituit omnium Eremitoriorum Guardianum. Certarunt in beneficiis elargiendis cum illo successores F. Ludouicus Venetus. 25. Generalis, F. Petrus Cassana 26. F. Martinus à S. Georgio 27. F. Henricus Astensis 28. qui & F. Paulum suum fecit Commissarium omnium locorum Prouinciarum S. Francisci, Romanæ Marchiæ, &c. plenitudinemque potestatis contulit, Fratres suos quocumque transferendi *Anno* 1390.

F. Paulo diem obeunte, secessit F. Ioannes de Strocomio, sub quo & alia loca in Tusciâ huic Reformationi sunt annumerata, quorum omnium locorum à R. P. F. Antonio Pyreto 29. Generali factus est Commissarius *anno* 1420.

Inceperant etiam sub hoc Generali in Galliis *anno* 1388. nonnulli Conuentus reformari in Prouinciâ Turoniæ, quibus & vnde-

vndecim loca erant addicta, à quibus cum suboriente vento contratio contentionum eiecti essent Fratres: ipse Generalis F. Antonius Pyreto eos per Apostolicas litteras Benedicti XIII. restituit, eisque F. Thomam de Curte Commissarium suum præfecit. Paulò ante hæc tempora venerabilis sanctitatis F. Petrus Villacretius in Hispaniis Reformationi illi initium dederat in Prouincia Castellæ, quæ etiam fœliciter propagata fuit per Hispaniam, & *anno* 1388. Portugaliam penetrauit.

His porrò temporibus oborto in Ecclesia schismate circà annum 1405. substitit tantisper Reformatio per 30. annos & amplius velut in deserto tentationum & tribulationum multarum, donec cessante schismate in Concilio Constantiensi eleuato in Petri Cathedram Martino V. plurimi Fratres Regulam sub Ministris obseruantes, tædio persecutionum affecti ad sacrum Concilium Constantiense accesserunt, in quo Fratres illi ab aliis de Communitate sequestrati sunt, & de Obseruantia nuncupati, prouisumque est illis de Vicariis Prouincialibus, qui sub Ministro Generali dictos Obseruantiæ Fratres gubernarent. Quod Priuilegium & alij plures in diuersis partibus orbis, qui Concilio Constan-

ſtantienſi non ſupplicauerant, poſteà obtinuerunt à Martino V. Quæ prouiſio pro Obſeruantibus etiam ſub Eugenio 4. durauit, à quo & F. Ioannes de Capiſtrano auctoritate Apoſtolicâ Commiſſarius ſuper Fratres Obſeruantes conſtitutus eſt; Et demum ad eius mandatum R. P. F. Guilhelmus de Caſſali F. Bernardinum de Senis ſuum Commiſſarium Generalem inſtituit ſuper Vltramontanos Obſeruantes, vſque quo Rmo. P. F. Antonio de Ruſconibus in Generalem Miniſtrum electo, ipſius rogatu idem Generalis Miniſter conſtitueret F. Ioannem de Mauberto pro nobis Ciſmontanis ſuum Commiſſarium Generalem, pro Vltramontanis autem F. Ioannem Capiſtranum *anno* 1443. Obedientia tamen ſemper ad Miniſtros iſtis temporibus ſeruabatur, quamuis diſtributa ſic poteſtas ſufficiens eſſet ad commune regimen Fratrum de Obſeruantia. Ex hoc tempore, virtute Bullæ Eugenianæ, cæperunt Vicarij Generales eligi à ſuis familiis vſque ad tempora Leonis X. quo reformatio vniuerſalis facta eſt ſub nomine Obſeruantiæ. Ità vt Vicarij Prouinciales in Ciſmontanâ Familiâ à Conſtantienſi Concilio *anno* 1415. inceperint, in Familiâ verò Vltramontana *ab anno* 1431. in primo Capitulo Bon-

Bonnoniensi, pro Fratribus Obseruantiæ Regularis siue de Familiâ.

Reformatio IV. per Patres Colletanos, siue etiam Obseruantes sub Ministris.

DVm Fratrum de Obseruantiâ siue de Familiâ sic sub Vicariis lux crescit quasi in meridianum fulgorem: Aliqui secundum puritatem Regulæ viuentes, rationibus nonnullis permoti; sub Ministris Prouincialibus, & eorum immediato regimine permanserunt, qui etiam de Obseruantiâ dicti sunt, non simpliciter sed de Obseruantiâ sub Ministris, siue sub Obedientiâ Ministrorum, de quibus Leo X. in Bulla quæ incipit: *Ite & vos in vineam meam.*

Ad hos pertinet Reformatio Fratrum Colletanorum, qui procurante B. Virgine Coletâ Ordinis S. Claræ Reformatrici, circa *annum Domini* 1410. iuxta Monasteria ab ipsâ reformata primum inceperunt strictissimam vitam secundum Regulæ puritatem; demum verò in plurima loca, ac Conuentus Prouinciæ Franciæ se dilatauerunt vsque ad *annum Domini* 1508. quò Obseruantibus nomen dederunt, eisque adhæserunt.

De

De Reformatione Fratrum Amadæorum.

HÆc etiam reformatio sub Obedientiâ Ministrorum Prouincialium cæpit *circà annum Domini* 1460. per Nobilem quemdam Lusitanum, qui nomen Amatoris vel Amadæi assumpsit, & fauente illi tum Summo Pontifice Sixto IV. tum Generali Ministro, per Italiam propagata multum fuit, donec iterum *anno* 1608. Obseruantibus vniretur.

De Reformatione per Patres de S. Euangelio siue de Capucio, aut Discalceatos, dictos sub Alexandro VI.

HÆc reformatio cæpit *anno* 1500. cui initium dedit F. Ioannes de Guadulupe ex Obseruantiâ Regulari, obtentâ licentiâ & auctoritate recipiendi Fratres, & ædificandi paupercula Monasteria, siue domunculas pauperculas, in quibus viuere possent iuxtá formam S. Euangelij, & puritatem Regulæ S. Francisci, à quâ etiam Patres Regularis Obseruantiæ incipiebant tantisper declinare.

Porrò hi Patres vocati sunt diuersis nominibus: 1. Fratres de S. Euangelio, tum quia

viuebant pauperrimè secundum sanctum Euangelium: tum quia prima eorum Custodia fuit erecta sub titulo S. Euangelij. 2. Vocati sunt Fratres de Capucio, quia elegerunt ad imitationem S. Patris capucium tantisper acuminatum. 3. Vocati sunt Fratres Discalceati, quia nudis plantis ambulabant. Hi aduenientibus variis persecutionibus variè fluctuauerunt, & modo soli Generali Ministro, modò Vicariis Generalibus Obseruantiæ, imò interdum etiam Ministris Prouincialibus subiecti fuerunt, vt latè docet Barezzo Barezzi *in 4. parte Chronicorum c. 1. 2. 3. & seq.* tandem tamen emerserunt & plures Prouincias obtinuerunt, & ad sollicitationem Patrum de Obseruantiâ pro maiori vniformitate *circa annum* 1506. acumen capucij dereliquerunt, & rotundam figuram resumpserunt: denique se regulari Obseruantiæ sub Leone X. perfectè vnierunt, ea lege, vt in sua puritate & perfectione vitæ ac austeritate permanerent, quomodò vsque ad præsens manent rigore disciplinæ omnes alias Reformationes excedentes.

Et hæ sunt præcipuæ Reformationes quæ ex Ordine processerunt vsque ad tempora Leonis X.

Sum-

SVMMA IGITVR QVÆSTIONIS EST.

An hi omnes Reformati ad vnitatem huius totius Fraternitatis pertinuerint?

Ratio dubitandi eſt: quia videntur ſciſſiones & diuiſiones in Ordine cauſaſſe.

CONCLVSIO.

Omnes ſupradictæ Reformationes ad vnitatem totius Fraternitatis ſiue Ordinis *S.* Franciſci pertinuerunt, exceptis Clarenis. Ratio eſt, quia tres conditiones nuper requiſitæ ad hanc Fraternitatem, cum ſymbolo Fraternitatis in illis reperiuntur. Quod ſic declaratur: 1. enim huiuſmodi Reformati deſcenderunt à S. Franciſco immediatè, vel mediantibus Succeſſoribus eius legitimis, cum fuerint profeſſi in Ordine ipſo, ſub auctoritate Miniſtri Generalis. 2. Quia Regulam in ſuâ puritate vouerunt ſine priuilegiis relaxantibus. 3. Quia ſemper ſub Obedientiâ legitimorum Succeſſorum S. Franciſci, nimirum ſub Miniſtris Generalibus militauerunt. 4. Denique pro Altiſſimâ Paupertate,

tate, quæ est ſymbolum huius Fraternitatis, perpetuò decertauerunt.

Dixi (exceptis Clarenis) etſi enim hi Regulam in ſuâ puritate profiterentur & ſeruare conarentur, ſymbolumque Altiſſimæ Paupertatis erigerent: à Succeſſoribus tamen S. Franciſci defecerunt, & ad obedientiam Epiſcoporum tranſierunt, ab vnitate ſeparati: quamuis tamen aliquæ eorum Reliquiæ ſe denuò reunierint, vt ſuperius eſt annotatum.

Dices: Plures Reformatorum ſuprà nominatorum, & ſpecialiter Fratres Regularis Obſeruantiæ de familia ſe ab Obedientiâ Miniſtrorum Prouincialium ſeparauerunt contra ordinatam Ordinis Hierarchiam, ergò vnitatem Ordinis ſciderunt, & ab vnitate Fraternitatis diſceſſerunt. Reſpondeo, negando conſequentiam. Sub Obedientiâ enim Miniſtrorum Generalium ſemper permanſerunt, & ſi quidem Vicarios Generales & Prouinciales aliqui habuerunt, hi veram poteſtatem Miniſtrorum habebant, eorumque vices gerebant, deriuatâ ſemper poteſtate à capite, vnico Miniſtro videlicet Generali.

Ad rationem itaque dubitandi dico: huiuſmodi Reformationes Ordinem non ſcidiſſe, ſed reſtauraſſe, & ſaniora eius mem-

membra conseruasse, fuisseque velut fortalitia totius Ordinis contrà nequitias inimici, Ordinem dissipare contendentis, resistentia.

QVÆSTIO IV.

An Fratres de Communitate siue Conuentuales ante tempora Leonis X. pertinuerint ad hanc Fraternitatem?

OBseruandum 1. quod nomen *Conuentualis* tripliciter vsurpetur. 1. Vt est nomen commune omnibus qui Ecclesias Collegiales siue Conuentuales habent, siue qui Collegiorum ac Congregationum priuilegiis gaudent. Quomodo nomine Conuentualium insignitæ sunt Ecclesiæ Fratrum Minorum, apud quas Conuentus erant per Innocentium IV. *in Bulla quæ incipit: Cum tamquam veri*, &c. *Datâ Nonis Aprilis, Pontificatus anno* 8. vbi Fratres Ordinis Minorum sic alloquitur Pontifex. *Cum (inquit) tamquam veri & fideles Christi Ministri, elegeritis vobis in domo Domini mansiones, dignum esse credimus, vt habitacula vestra inter alias honorabiles Congregationes fidelium statuantur: hinc est igitur, quod vestris supplicationibus inclinati, præsentium auctori-*

tate decernimus: vt Ecclesiæ vestræ omnes vti Conuentus existunt, CONVENTVALES *vocentur.* Hæc ibi.

In hac significatione nomen *Conuentualis* omnes Fratres concernit, tam de Obseruantiâ, quam Capuccinos, aut quosuis Recollectos, aut Reformatos, qui Conuentus formatos & Ecclesias habent, & tantum excludit eos, qui extrâ huiusmodi Conuentus in locis solitariis siue eremitoriis habitant, pro eo tempore, quo in prædictis locis morantur; eo enim ipso, quod ad Conuentus formatos, vbi sunt Ecclesiæ, reuertuntur, Conuentuales iterum iuxtà hoc commune nomen & priuilegium nuncupari possunt. Itaque de hac primâ significatione in hoc toto tractatu non est Quæstio.

2. Sumitur nomen *Conuentualis*, pro nomine distinctiuo proprio siue appropriato alicui membro Ordinis, vt ab altero distingueretur. Et hoc modo nomen *Conuentualis* primò appropriatum est Fratribus viuentibus sub Ministris Prouincialibus, vt distinguerentur contrà Frâtres de Familiâ, siue de Obseruantiâ sub Vicariis Prouincialibus, siue etiam sub Vicariis Generalibus viuentes. Cuius appellationis fundamentum fuit, quod dicti Fratres de

Fa-

Familiâ primùm in locis paruis & solitariis, siue etiam eremitoriis cum paruis Oratoriis pauci simul habitarint, quamuis posteà ad magnos Conuentus se extenderint, vt nuper est dictum. Alij igitur Fratres nomine distinctiuo & appropriato Conuentuales dicti sunt, quod in Conuentibus formatis & Ecclesiis communiter habitarent. Et de his Conuentualibus Quæstio iam mouetur.

3. Nomen *Conuentualis* modò sumitur pro Fratribus Minoribus, qui bona & redditus in communi possident, ac aliis Priuilegiis, Regulæ rigorem relaxantibus, gaudent, ac sub eiusmodi Priuilegiis explicitè professionem emittunt. Quales sunt illi, qui per Leonem X. sub Magistris Generalibus & Prouincialibus in corpus particulare separati sunt. Quo iterum nomine distinctiuo & appropriato, distinguuntur à Fratribus Regularis Obseruantiæ & Capuccinis, sed de his iterum in hac quæstione non agetur, sed postea, vt certa ab incertis remoueantur, cum & hi Conuentuales toto cælo à prioribus distent. His sic diligenter obseruatis, pono sequentes Conclusiones distinctas & dilucidas.

CONCLVSIO I.

A Tempore S. Francisci vsque ad Concilium Constantiense, nullus Frater in Ordine fuit vocatus *Conuentualis*, nomine appropriato aut distinctiuo, vt in 2. notabili sumitur. Patet hæc Conclusio legenti omnes Bullas Pontificias & Ordinis Statuta, ac Memorialia vsque ad illud tempus. Vnde & in Memoriali Ordinis, vbi referuntur Reformationes & Reformatorum origines, toto illo tempore Fratres non Reformati, non vocantur *Fratres Conuentuales*, sed *Fratres de Communitate*, Et Clemens V. *in Clementinâ; Exiui de Paradyso*, vbi retulit quærimonias ad S. Sedem relatas à Reformatis contra relaxationem Ordinis, proponens excusationes Fratrum non Reformatorum, vocat eos non *Conuentuales*, sed *Fratrum Communitatum* : *Tamen* (inquit) *Communitas Fratrum, & specialiter Rectores ipsius Ordinis asserebant, quod prædicta seu plura ex ipsis in Ordine non fiebant*, &c. vbi nomine *Communitatis* Fratrum intelliguntur Fratres communiter viuentes, vt à Reformatis illius temporis distinguebantur. Simili nomine vocantur in Decreto Concilij Constantiensis, vbi ordinatur quod Fratres Obseruantiæ per mundum euntes, declinent

clinent si voluerint, *ad loca & Conuentus Communitatis Ordinis.*

CONCLVSIO II.

NOmen *Conuentualis*, vt distinguit Fratres sub Ministris viuentes, ab Obseruantibus de Familiâ sub Vicarijs, estque illis appropriatum, primò inditum est à tempore Concilij Constantiensis, potissimùm ab Eugenio IV. & demum à sequentibus Pontificibus vsurpatum. Patet Conclusio legenti *Bullas Eugenianas, Pianas, Paulinas,* &c. *tangentes huiusmodi distinctionem in Firmamento trium Ordinum.* Cur verò tunc temporis illis nomen istud distinctiuum inditum & appropriatum sit: nulla alia ratio reddi potest: nisi quod iam Obseruantia de Familiâ in magnam Ordinis partem se extendisset, ità vt adæquatum membrum faceret, & respectu totius videretur Communitatem æquare. Nam fuit subitò tantum Obseruantiæ Regularis accrementum, vt tempore Iulij II. quo celebratum est sextum Capitulum Generalissimum, numerarentur ex Fratribus de Familia *quadraginta quinque Prouinciæ, ac mille ducenti & quinquaginta Conuentus, in quibus triginta millia & octingenti Fratres morabantur.* Fuit igitur necessarium, vt relicto nomine Communitatis, Fratres sub Ministris

niſtris viuentes, alio nomine ab Obſeruantibus de Familiâ diſcernerentur. Vocati ſunt igitur à Pontificibus Conuentuales appropriato nomine, alias communi omnibus, ad ſignificandum alterum Ordinis membrum, quod ſub Miniſtris militabat.

Dices Rmus. P. Franciſcus Gonzaga, *Orig. Seraphicæ Religionis p.1.fol.44.* dicit Patres Conuentuales Obſeruantibus multò antiquiores eſſe, & Obſeruantes à Conuentualibus originem ducere, ſed Obſeruantes diu ante Concilium Conſtantienſe inceperunt, ergò & magis Conuentuales. Reſpondeo P. Gonzagam ſicut Hiſtoricos plures, Ordinis nomen poſterius impoſitum vſurpaſſe prius, non habitâ ratione temporis, quo impoſitum eſt, quomodò in Scriptura nomina centum aut mille annis poſteà impoſita, in Hiſtoriæ narratione centum aut mille annis ante vſurpantur ob vocabuli claritatem & meliorem rei expreſſionem. Sic P. Gonzaga, quia ſuo tempore nomen Conuentualis in vſu erat, illud etiam vſurpauit vt Fratres deſignaret, quibus poſteà Conuentualis nomen clarius inditum eſt. Senſus igitur eſt: quod Conuentuales ſint antiquiores Obſeruantibus, non huius nominis diſtinctione, ſed

quia

quia Fratres de Communitate in eos deuoluti sunt, à quibus Patres de Obſeruantiâ, antequam Conuentuales nuncuparentur, exierunt. Cæterum veritatem, quam in Concluſione propoſuimus, quilibet ſedulus Lector Bullarum Pontificiarum, & Antiquitatis Ordinis palpare poteſt.

CONCLVSIO. III.

FRatres de Communitate & Conuentuales dicti vſque ad tempora Leonis X. ſimpliciter profeſſi ſunt Regulam S. Franciſci abſque Priuilegiis. Patet iterum hæc Concluſio, quia ante tempora Leonis X. in toto Ordine non inuenitur alia Profeſſionis forma, quam illa quâ hodiè adhuc vtuntur FF. Minores de Obſeruantiâ & Capucini, aliique Reformati ſequentis tenoris.

Ego Frater N: voueo & promitto Deo. B. Mariæ Virgini, & B. Franciſco ac omnibus Sanctis & tibi Pater, toto tempore vitæ meæ ſeruare Regulam Fratrum Minorum per Dominum Honorium Papam confirmatam viuendo in Obedientia ſine proprio & in Caſtitate.

CONCLVSIO IV.

FRatres de Communitate & Conuentuales dicti non potuerunt licitè pecuniam, bona temporalia, & redditus poſſi-

dere, aut Priuilegiis contrà Regulæ puritatem vti à tempore S. Francisci vsque ad tempora Leonis X.

Probatur 1. Quia vt dixi simpliciter & purè Regulam vouerunt, ergò ad eius obseruantiam obligati fuerunt.

Probatur 2. Quia Regulæ dictator Christus huiusmodi Priuilegia repudiauit, & à professoribus huius admitti noluit, dum è nube in monte Palumbo, Ministris audientibus, clamauit se hanc Regulam ab eius Professoribus velle obseruari: *Ad Litteram, ad Litteram, ad Litteram; Sine Glossa, sine Glossa, sine Glossa*: inferens se scire *Quid humana fragilitas posset, & quantum eam iuuare vellet.*

Probatur 3. Quia discurrendo per vniuersa Ordinis tempora vsque ad Leonem X. nec S. Franciscus, nec Successores eius Ministri Generales in officio tolerati, nec Communitas Fratrum huiusmodi Priuilegia receperunt, imò illis verbo & facto contradixerunt. Quod inductione probo.

§ 1.

§. 1. S. Franciscus redditutum receptionem & Priuilegia contra Regulæ puritatem nec permisit nec admisit.

Patet ex eius tam formidabili maledictione contrà relaxatos huiusmodi, & eos qui pecuniæ receptionem inducerent, aut sanctam paupertatem terrenarum rerum puluere macularent, aut aliquam relaxationem quouis modo contrà Regulæ puritatem admitterent fulminatâ, quam refert firmamentum Trium Ordinum, *Primâ parte fol.* 17 *A te* (ait) *Sanctissime Pater, & à totâ cœlesti curiâ, & à me paperculo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt & destruunt, quod per Sanctos Fratres huius Ordinis ædificasti, & ædificare non cessas.*

Patet & ex factis eius, qui non tantum superflua & redditus vitabat, sed excessiua œdificia destruebat, & in Testamento loca recipi prohibebat nisi essent secundum sanctam paupertatem in Regulâ promissam. Ad hæc F. Heliam, qui huiusmodi relaxationibus fauere videbatur, non tantum ab officio Vicariatus amouit, sed grauius reprehendens eum extrà Ordinem suum moriturum prædixit,

De-

Denique non eſt credibile quod tantæ paupertatis & amator & aſſertor aliquam in Paupertate Altiſſimâ & Regulæ puritate maculam diſſimularet, vbi prohibere potuit, quamuis non deeſſet in agro eius Zizanium, ad quòd euellendum laboraret.

§. 2. *Miniſtri Generales à tempore S. Franciſci in officio tolerati, nec reddi-tus, nec Priuilegia contra Regulæ puritatem admiſerunt aut permiſe-runt.*

HÆc iterum clara ſunt ex Ordinis memoriali vbi ſingulorum zelus oſtenditur. Et quidem F. *Ioannes Parens* 2. *Miniſter Generalis pauperrimus deſcribitur, qui totũ Ordinem nudis pedibus viſitarit*, quem III. F. *Helias* ſequutus eſt, bis à Vicariatu Ordinis, ſemel à Generalatu depoſitus, quem quia Ordo ob ſuas relaxationes non tolerauit, etiam à teſtimonio paupertatis meritò reſecandus eſt. *IV*. F. *Albextus de Piſis* perfectus & bonus intitulatur. *V*. F. *Haymo vir magnæ reuerentiæ & totius ſpeculum honeſtatis* vocatur, qui & pro zelo ſuo impoſuit 4. Magiſtris doctiſſimis pariter & ſanctiſſimis, F. Alexandro de Ales, F. Ioanni de Rupella,

F.

F. Rigando, & F. Roberto de Bastio, vt Expositionem in Regulam facerent, quæ modò adhuc exstat sub nomine *Expositionis 4. Magistrorum*: quæ Expositio quantum ab huiusmodi Priuilegiis & bonis temporalibus sit aliena, omni legenti patet. *VI. Frater Crescentius de Estexo* eius successor *homo iustus* describitur *& disciplinæ zelo probatus*, qui curauit etiam Regulæ dubia ad omnimodam eius puritatem melius seruandam ab Innocentio 4. declarari. *VII. F. Ioannes de Parma* in suspicionem huiusmodi reddituum & Priuilegiorum venire non potuit qui maximus paupertatis amicus celebratur, de quo Socij S. Francisci dicere solebant; *S. Patrem sibi resuscitatum*, & qui pedes visitauit totum Ordinem, vnicâ tunicâ contentus. Nec *VIII. S. Bonauentura* aliquam relaxationem aut reddituum receptionem dissimulasse credendus est, qui *anno* 1260. Narbonæ celebrans Capitulum Generale Constitutionibus Ordinis formam dedit & Ordinem, ac altissimam paupertatem restituit vsque ad vtensilia mensarum, quæ ità vilia esse voluit, vt etiam non solum stannea, sed etiam vitrea prohiberet. Reformauit denique Ordinem, & dolens in illum plurima mala irrepere scripsit insignem illam Epistolam

ad

nis & Regulæ puritate approbarunt: *Bonifacius VIII.* eam *L. 6. Decretalium* inseruit. *Clemens V.* in suâ, quæ incipit, *Exiui de Paradiso*; illam commendauit. *Ioannes XXII. in Constit. Quorumdam exigit*, illam vt maturissimam extollit. Demum hic Generalis tantam habuit curam paupertatis quod *anno* 1280. per obedientiam & sub pœnâ excommunicationis prohibuerit, ne oblatio vlla pecuniaria in Ecclesia S. Mariæ de Portiuncula, etiam in Festo Dedicationis, vel pro eorum necessitatibus recepta expenderetur, propter cupiditatis notam quam possent Fratres incurrere. F. *Atholotus XI.* non potuit tam benè stabilita per prædecessorum non continuare, cum per annum tantum Minister Generalis fuerit. Sub F. *Matthæo de Aquasparta XII.* Generali nonnullæ relaxationes in Ordinem irrepserunt, non quod fuerit malus aut relaxatus, sed quia factus Cardinalis, externis nimis implicabatur, & in regimine lenis admodum esset, & mitius in re tanti momenti ageret. Quantus verò fuerit puritatis Regulæ & paupertatis assertor, probat eius Zelus in Comitiis Prouinciæ Marchiæ, in quibus omnibus electoribus minus idoneum eligere volentibus restitit, & curauit virum piissimum F. Solomæum de Luca præ-

præfici,quó tempore vidit F. Ioannes de Aluernâ in confirmationem huius zeli S. Franciſcum pro ſuis ſtrenuè pugnantem, diabolum fugare,ipſo tempore quo Aquaſpartanus Electonem ad ſe reuocabat, cui ſimilia vidit F. Iacobus Auximanus. Conſule P. Wadingum *ad annum* 1289. Aquaſpartanum ſecutús eſt F.*Raymundus Gaufredi XIII.* qui quantum fuerit veræ paupertatis amator & temporalium rerum contemptor, conſtat ex eo quod à Generalatu abſolutus, & ad Epiſcopatum Paduanum à Bonifacio VIII.electus,non tantum Epiſcopatum non acceptauit, ſed cum Vbertino Caſali pro reformatione veræ paupertatis apud Clementem V. laborauit, donec in Concilio Viennenſi ab eodem Clemente V. emanaret ſolennis illa, & ab omnibus recepta Declaratio ſiue Decretalis quæ incipit, *Exiui de Paradyſo.* Dictum Raymundum Scriptores maximè commendant quód fuerit: *Omnium bonorum fautor, & Euangelicæ paupertatis acerrimus zelator.* Zelum F. Raymundi aſſecutus eſt F.*Ioannes de Murro, XIV. Generalis,* qui S. Ludouicum ad Ordinem recepit: qui iterum abuſus ſub Aquaſpartano contrà paupertatem irrepentes eradicare conatus eſt, ad quod ſcripſit grauiſſimam Epi-

Epistolam ad Patres Ordinis: *Inter cæle-stium insignia gratiarum*: in quâ possessiones & redditus, vocat, *venena paupertatis, maculas gloriæ nostræ ex quibus Deus offenditur, & Ordo vilescit; & animarum perditio procuratur*: Adiurat verò omnes: *Per inappreciabile pretium effusi pro nobis Sanguinis Saluatoris, & per ipsius sacra Stigmata, quæ in sacro corpore B. P. N. Francisci claruerunt*, &c. Et simul prohibet, *per obedientiam salutarem sub pænâ Excommunicationis, ne quis inducat de cætero, aut induci per alios permittat, vt vlli Fratri, Conuentui, siue loco nostri Ordinis, possessiones siue redditus annui, aut eleemosyna de prouentibus eorumdem perpetua assignetur, quinimò huiusmodi redditus si qui sint, mandat vendi aut distrahi.* Vide Firm. 3. Ord. 1. *p. f.* 24. F. Ioannem de Murro excepit F. *Gundisaluus* XV. *qui zelo paupertatis accensus* (vt ait Memoriale Ordinis) *post Concilium Viennense per totum Ordinem discurrens, ædificia nimis sumptuosa dirui faciebat, vestes excessiuas Fratribus auferebat, eleemosynas perpetuas relinquere, & annualia (redditis suis Dominis quibuscumque obligationibus) compellebat. Et quantum potuit pro Reformatione laborauit. Totum Ordinem* (vt dicit Aluarus de planctu Ecclesiæ) *expropriauit in vita sua, sententiam Excommunicationis ferens contrà omnes Fratres, tam Sub-*

ditos, quam Prælatos, nisi infrà certum terminum, illis à quibus habebant redditus vel eorum Hæredibus resignarent, quod & factum est. Qui postquam Parisiis anno 1313. in visitatione diem clausisset extremum, apparuit quibusdã Fratribus, gloriosus in throno residens cum sceptro & aureâ coronâ, dicens: Quod sedes throni illius sibi erat assignata, quia purissimè in Ordine seruauerat Regulam & Dominam Paupertatẽ. Hæc in Memoriali Ordinis: Et quidem Obseruantiam puram edocuit in libello quem *de Præceptis eminentibus & aliis* conscripsit. Successit F. Gundisaluo F. *Alexander de Alexandria XVI.* qui tantum Ordinem per annum cum dimidio gubernauit. Post cuius mortem iterum zelatores quidam perfectionis & paupertatis in communitate ex custodiâ Narbonensi surrexerant, & pro puritate Regulæ & Obseruantiâ Declarationis Clementis V. certantes, loca Narbonæ & Bituris inuaserunt, eiicientes Fratres qui Cellaria & redditus possidebant, & alia indecentia Ordini habebant. Vide Memoriale Ordinis *in Firmamento. F. Michael de Cesena XVII.* post F. Alexandrum clauum tenuit, cuius iterum puritas, quantum à relaxationibus paupertatis & Regulæ aliena fuerit, demonstrat: quod ipsius inductione Ioannes XXII. fecerit Decre-

cre-

cretalem, *Quorumdam exigit*, in quâ de forma & figura habitus Pontifex concludit, & de granariis & cellariis reformandis sententiam profert: declarat & illud; quod Quæstione de Paupertate Christi altissimâ resolutâ à Patribus in Capitulo Generali Perusino, *anno* 1325 contrà Pontificis mentem: ipse Pontificem adiit, & coram illo determinationem Paupertatis defendit. Vnde indignatio Pontificis contrà illum & Ordinem totum tunc pro paupertate pugnantem, nimis succensa fuit. Post F. Michaelem assumptus est ad regimen F. *Gerardus Odonis XVIII.* cuius etiã zelus contra relaxatos Fratres in hoc enituit, quod *anno* 1331 coacto Capitulo Generali Perpiginaci Statuta S. Bonauenturæ & Successorum restituit, & dictis SS. Patrum exornauit, quæ quantum abhorreant à receptione reddituum & priuilegiis relaxantibus, Lector iudicet. F. Geraldum Odonis secutus est F. *Fortanerius Vasalli XIX.* qui eodem Religionis spiritu Statuta S. Bonauenturæ tamquam Ordinis fundamenta iterum seruari mandauit, aliis omnibus reuocatis. F. Fortanerio successit F. *Guilielmus Farinerius* XX. qui surgentibus aliis quærimoniis inter Fratres, quod puritas Regulæ non seruaretur: iterum in Capitu-

lo Generali Assisij celebrato ordinauit, vt Statuta S. Bonauenturæ seruarentur ad amussum, quæ etiam per totum Ordinem misit: Et cum circa *annum* 1355. in omnibus ferè orbis Prouinciis viri Zelatores exurgerent sub illo ordinatum fuit: *vt obseruantia Regulæ perfectiori modo & formâ, prout à Principio Ordinis incepit, seruaretur.* F. Guillielmo Farinerio in Cardinalem assumpto F. *Ioannes de Bucco* XXI. ad clauum venit, qui vno tantum anno & mensibus septem Ordinem gubernauit. F. Ioanni de Bucco successerunt per Ordinem F. *Marcus de Viterbio* XXII. F. *Thomas de Frignano aliàs de Bononia* XXIII. F. *Leonardus de Giffonibus* XXIV. F. *Ludouicus Venetus* XXV. F. *Petrus de Cassana* XXVI. F. *Martinus à S. Georgio* XXVII. F. *Henricus Astensis* XXVIII. & F. *Antonius de Pyreto* XXIX. qui quantum Sanctæ Obseruantiæ zelatores & inimici relaxationum fuerint, probant extraordinarij fauores quos Fratribus se reformare volentibus præstiterunt, specialiter F. *Paulo de Trincis* F. *Ioanni Stocomio*, F. *Angelo Monte Leonis*, qui sub eorum protectione, fauore, & pleno patrocinio, Obseruantiæ Regulari in Italia initium dederunt: vt benè demonstrat R^mus. P. Gonzaga *p.* 1. *Orig. Serap. Religionis, pagina.* 6. Quinimò &

F. *An-*

F. *Antonius Pyretus* acceptis in fauorem Fratrum Obſeruantium zelantium litteris Apoſtolicis à Benedicto XIII. in Prouincia Turoniæ, domicilia dictis Fratribus non tantum aſſignauit, ſed etiam ab illis eiectos ſuo auxilio & fauore reſtituit, ità vt ei primitiæ reformationis Regularis in Galliis debeantur. Vide Gonzagam *ſupra pagina* 8. F. Antonio de Pyreto aſſignat R^mus. P. Gonzaga ſucceſſorem F. *Angelum Saluetum* XXX. de quo mentionem alij non faciunt, quod tempore iſto Ordo cum Eccleſiâ ſchiſmate nonnullo laborauerit. His igitur ſuccedit F. *Antonius de Maſſa* XXXI. ſciſmate Eccleſiæ ablato in Concilio Conſtantienſi, Martino V. Eccleſiam gubernante. *Hic (vt dicit Memoriale Ordinis) multum relaxatus fuit, & bonis Fratribus ſui ſtatus Obſeruatoribus & zelatoribus contrarius, qui iuxta Regulam cum non eſſet Ordini vtilis, ſed nociuus, Aßiſÿ à Generalatu fuit depoſitus.* F. *Guillielmus de Caſſali* XXXII. in locum F. Antonij de Maſſa reſtitutus errores prioris emendare conatus eſt. *Hic* (vt habet Memoriale Ordinis) *maximè Ordinis reformationem zelauit, & prout potuit, & quos potuit, reformauit, & S. Colettæ ob ſanctæ Reformationis ſpiritum magno affectu auxiliator fuit.*

Successit huic paupertatis zelatori F. *Antonius de Rusconibus* XXXIII. qui omnium vocalium compromisso, instinctu diuino, designatus est Generalis à S. P. F. Bernardino de Senis, cum vocales dissentirent, & plures F. *Albertum de Sartiano* de Obseruantia Generalem peterent: quem tamen S. Bernardinus F. Antonio præposuit, quod in oratione didicerit: *Obseruantiam adhuc in suis exordiis debilem B. P. Alberto indigere.* Fuit verò F. Antonius de Rusconibus omnis honestatis & obseruantiæ zelator, qui ad regimen euectus tantum zelatoribus verè Obseruantiæ fauit, vt sponte suâ Vltramontanis Fratribus Obseruantiæ S. Bernardinum suum Commissarium siue Vicarium præficeret, & posteà Citramontanis ad suasionem Summi Pontificis F. Ioannem de Manberto similiter suum Commissarium ad augmentum sanctæ Reformationis cum plenitudine suæ potestatis super Obseruantiæ zelatores designaret. Rmus. *P. Gonzaga 1. p. pag. 12.* putat S. Bernardinum de Senis Vicarium Obseruantiæ constitutum per Guilhelmum de Casali.

Post F. Antonium de Rusconibus, Prælatus Generalis electus est F. *Angelus de Perusio* XXXIV. quem Firmamentum trium

Or-

Ordinnm eodem suæ electionis anno mortuum asserit, quamuis R^mus. P. Gonzaga ei triennium regiminis assignet, & hic fuit zelosus suæ Regulæ sectator.

F. Angelum de Perusio in Ministerio Generali subsequitur F. *Iacobus Mozanica* XXXV. qui pro Obseruantiæ sanctæ puritate reformationes plures induxit per sanctam Obedientiam, præcipiens vt Statuta Benedicti XII. Guilhelmi Farinerij, & Antonij de Rusconibus ab omnibus seruarentur.

F. Iacobo de Mozanica per electionem substitutus est *Frater Franciscus de Sauona* XXXVI. qui ad Sedē Petri ascendens Sixtus IV. est nuncupatus. Hic iterū relaxatos Fratres reformare conatus est variis Statutis in vnum correpilatis, quæ posteà *Sixtina* dicta sunt, & solis Conuentualibus reformandis seruiebant.

Ante Franciscum de Sauona post F. Iacobum de Mozanica ponit R^mus. Gonzaga *F. Ioannem à Sarzuola 37. vel 36.* Cathalanum sub Calixto III. in Capitulo Generalissimo *anno* 1458. electum, de quo non est dubium quin suæ Regulæ zelozissimus fuerit, cum vt scribit R^mus. Gonzaga *suprà pag. 17.* sub illo, & F. Francisco Sauona, Obseruantia mirum in modum creuerit,

uerit, ac sub Pio II. & Paulo II. per tredecim annos, omni pace, tranquillitate, ac quiete potita fuerit.

F. Francisco de Sauona successor, nominatus est *F. Zanetus*, siue *Ioannes de Vtino* XXXVIII. Hic pro suâ in P. Franciscum pietate, egregiè pro sacrorum Stigmatum veritate & decore, velut pro Bulla Summi Regis, ád confirmandam altissimam Ordinis paupertatem singulariter pugnauit.

F. Zanetum de Vtino in Generalatu secutus est *F. Franciscus Sampson* XXXIX. qui quantum Regulæ puritatem dilexerit, eius publica suspiria in Capitulo Generali Cremonæ manifestant: cum enim videret Fratres Conuentuales indies magis relaxari, & à Regulæ puritate declinare ingemiscens coram toto Capitulo dixit: *Olim in nostro Ordine multis temporibus solebat esse & dominari vera Conscientia: tandem intrante & regnante scientiâ, dimissa est prima Syllaba* (Con) *& solum remansit* (Scientia): *Nunc verò Fratrum malitiâ & negligentiâ deperit secunda syllaba* (Sci) *quia scientia & studia depereunt in Ordine, & solum remanet nunc quod sequitur in dicto vocabulo, videlicet* (Entia): *Quia Fratres moderni tamquam Lapides Bestiales, & mali, sine conscientia & scientia, remanent sicut Entia bruta, & iuxtà dictum Apostoli, facti*

cti sunt primum velut æs sonans, posteà velut terra & lapides se inuicem collidentes. Hæc dicebat de Fratribus intrà Conuentuales relaxatis. Quod si ita relaxationes sensit, quis dubitet illum zelo plenum eos ad Conscientiam veram reducere studuisse, maximè spatio 24. annorum, quibus Ordinem gubernauit?

F. Francisco Sampsoni in zelo Regulæ & paupertatis non cessit eius Successor F. *Ægidius Delphini siue Amelianus* XXXX. qui vt scribit Memoriale Ordinis in Firmamento, *adeò zelare cepit Reformationem veram Ordinis, quod quidquid pro eâ, & pro Ordinis vnione potuit, compleuit in partibus maxime Gallicanis in quibus Conuentus multos Patribus Obseruantiæ addixit, Ministros Conuentuales, Custodes & Guardianos absoluit, & de Obseruantia alios in eorum locum restituit: Parisiensi Conuentui & reformatos Superiores & leges reformatas dedit: & Fratribus lachrymantibus in Hispaniam recedens, ibidem reformationem Obseruantiæ promouit, constitutis quatuor Ministris de Familiâ, qui reformationem & regimen Fratrum Conuentualium in illis partibus in se suscíperent. Quod & prouidè factum fuit.* Demum hic Generalis *anno* 1503. Capitulum Generale Trecis in Gallia celebrauit, quod & intitulauit *Primum Capitulum Reformatorum.*

 vo-

volens primos Officiales dicti Capituli esse de reformatis Obseruantiæ Regularis; vbi, & Breue Iulij Secundi, quo vera reformatio Ordinis vbique fieri demandabatur lectum est, & nonnulla pro dictâ reformatione prouidè ordinata. Et Romam rediens fortissimè pro dicta vnione laborauit, multa ingratitudine Fratrum Conuentualium relaxatorum, qui eum de multis falsò accusauerunt, eique restiterunt &c.

F. Ægidius Delphini officio defungens locum dedit *F. Raynaldo Gratiano de Cottignola XLI.* Qui iterum indicto per Iulium II. Capitulo Generalissimo pro reformatione multum laborauit, propositis Statutis ad istam reformationem congruentibus, & multos Conuentus suo studio & zelo ad Regularem Obseruantiam reduxit.

F. Raynaldum non Minori spiritu imitatus est eius Ministerij locum sortitus *F. Philippus Bagua Caualius* XLII. qui dum Reformationi promouendæ similiter studet, morte præuentus est, vno tantum existens anno Generalis.

Vltimum ante vniuersalem Ordinis Vnionem & reformationem locum obtinuit *F. Bernardinus à Prato* XLIII. qui Or-

Ordinem quatuor annis rexit, & defungens sub Leone X. vnitum, & velut renascentem vidit *anno* 1617. dans locum F. *Christophoro Forliuiensi qui* XLIV. *Generalis Totius Ordinis & primus ex Vicario Obseruantiæ electus & confirmatus fuit.*

Ex dictis constat 1. Omnes Generales à Sancto Francisco vsque ad Leonem X. ex viris perfectissimis & Regulam ad litteram profitentibus esse assumptos. 2. Omnes manutentioni obseruationis Regulæ ad litteram operam diligenter nauasse, præter F. Heliam, & F. Antonium de Massa, quos quia Relaxationes inducebant Ordo non tolerauit sed abiecit, ac officio priuauit. 3. Nullum ex ipsis (præter duos illos) Priuilegia contrà paupertatem siue in redditibus siue in pecuniis approbasse aut admisisse. Quomodò enim approbarent quod tantis sudoribus eradicare sunt conati?

DVBIVM INCIDENTALE.

An Omnes isti Generales fuerint Conuentuales vel ex Conuentualibus assumpti?

RESpondeo 1. Nullum ex omnibus Generalibus vsque ad trigesimum secundum fuisse aut Conuentualem, aut ex Con-

Conuentualibus aſſumptum. Ratio eſt, quia hoc nomen Conuentualis, vt eſt diſtinctiuum ab Obſeruantia, non fuit vſurpatum ante Concilium Conſtantienſe, & Eugenium IV, adeoque cum tales Conuentuales ante iſta tempora non fuerint agniti; qui ante tempora iſta ad Generalatum aſſumpti fuerunt, Conuentuales dici non potuerunt. *Vide Notabilia initio Quaſtionis, & Concluſionem* 1.

Reſpondeo 2. A tempore Concilij Conſtantienſis Generales omnes vſque ad F. Chriſtophorum de Forliuio ex Conuentualibus aſſumpti ſunt, non vt modo Conuentuales ſunt, bona temporalia poſſidentes, ſed prout nomen Conuentualis omnes complectitur qui ſub Miniſtris viuebant etiam Reformatos, ſeu Fratres de Obſeruantia Regulari ſub Miniſtris.

Reſpondeo 3. Omnes Generales qui à S. Franciſco vſque ad Leonem X. electi ſunt fuiſſe ex Obſeruantiſſimis Patribus, qui ſiue in Communitate Fratrum, ſiue ſub Miniſtris & nomine Conuentualium militauerunt: Nullus tamen fuit Conuentualis nomine aut profeſſione eorum, qui poſt Leonem X. fuerunt, quorum nomen cum prioribus æquiuocum eſt, & profeſſio planè diuerſa, vt patebit.

§. III.

§. III. *Communitas Ordinis numquam redditus aut priuilegia contrà paupertatem & Regulæ puritatem admisit:*

SVppono nonnulla Priuilegia Pontificum subreptitiè obtenta, redditus & bona temporalia permisisse Fratribus per Procuratores vice & nomine Romanæ Ecclesiæ recipi. Sic *Clemens IIII. In Bulla quæ incipit: Diuini nominis. Data Perusij Idibus Februarij: Pontificatus sui anno primo*, in qua declarat Fratres Minores posse succedere in bonis Parentum, in quibus succesissent in sæculo existentes; & ea vendere ac conuertere in vtilitatem suam. *Et Martinus V. in Bulla quæ incipit: Ad statum Ordinis: Data Romæ ad SS. Apostolos, Pontificatus sui anno* 13. concessit possessionem redditũum iuxtà exigentiam locorum: Ante hos neminem Pontificum potui videre qui huiusmodi concessionem daret, quamuis R. P. Gonzaga 1. *p. f.* 4. *tit. de Cæsarenorum initio* insinuet Innocentium IV. huiusmodi dispensationem dedisse circa *annum* 1244. *Ordinis* 35. cuius non potui reperire vllum vestigium, nec eius est vlla apparentia etiam in Regesto Pontificio.

Dico

Dico igitur resolutoriè: *Communitatem siue Corpus Ordinis huiusmodi Priuilegia non tantum non admisisse, sed omninò illa quouis modo data repudiasse.* Corpus Ordinis sumo ex membris sanis non ex putridis 1. ex Fratribus suæ professionis Sectatoribus, non tantum sigillatim Reformatis, sed etiam quibuscumque in Communitate Ordinis viuentibus, aut post Concilium Constantiense inter Conuentuales reputatis, quibus (non obstante multorum inhonestâ relaxatione) semper Ordo abundauit. Neque enim soli *Cæsareni, Clareni, Amadæi, Colletani, aut de Familia obseruantes inter sana membra computantur*, sed etiam Fratres multi Religiosi in Communitate Fratrum, sub Ordinariis Prælatis & Constitutionibus Religionis communiter viuentes, suæ puritatis Regulæ erant assertores Omnibus verò temporibus huiusmodi Priuilegiis & Reddituum possessionibus est contradictum.

1. *Per formales oppositiones.* Sic S. Antonius Paduanus, & B. F, Adam de Marisco nomine cæterorum Fratrum suæ Regulæ professionem zelantium, se F. Heliæ opposuerunt, & contra huiusmodi relaxationes Gregorio IX. supplicauerunt. Qui & ad Fratrum postulationem primò declaratio-

nem

nem pro seruandâ Regulæ puritate fecerat.

Post illum B.F. Cæsarius cum plurimis aliiseidem F. Heliæ restiterunt super iisdem relaxationibus (vt suprà diximus cum ageremus de Cæsarenis) qui simili occasione posteà ab Ordine se separauerunt circa annum 1244.

Post illum Fratres Zelatores ab Innocentio IV. Declarationem Regulæ postulauerunt ad huiusmodi abusus fugandos.

Post illos Fratres puritatis amantes NicolaumIII. induxerunt vt Declarationem, *Exiit qui seminat* ederet contrà huiusmodi potissimum impuritates, & Regulæ transgressiones.

Post hos iterum ducibus F. Vbertino Casali & F. Raynundo Gaufrædi aliquando Ministro Generali Fratres contrà relaxationes reddituum huiusmodi ad Clementem V. in Concilio Viennensi conclamarunt, ità vt Pontifex ad eradicandum hiiusmodi Zizania, præclaram illam Expositionem ederet quæ incipit: *Exiui de Paradyso.*

Secuti sunt præcedentes nonnulli alij, tempore F. Alexandri ab Alexandria Generalis Ministri, qui Narbone & Bituris

istos

iſtos Fratres relaxatos vi & violentiâ ſuis ſedibus eiecerunt.

Abuſus iterum illos exploderunt F. Ioannes de vallibus, F. Gentilis de Spoleto, F. Paulus de Trincis & alij, qui zelatorum duces fuerunt ad reducendam Obſeruantiam Regularem vbique terrarum. Contradixerunt non minus qui de Obſeruantia ſub Conuentualibus vixerunt, quocumque nomine nuncuparentur, de quibus *vide Memoriale Ordinis & Chronica.*

2. Contradictum eſt huiuſmodi abuſibus per Pontifices editis Declarationibus Regulæ ampliſſimis: *vt Nicolai 3. Clementis V. Ioannis* 22. in quibus & poſſeſſiones & redditus ac errores contra paupertatés condemnarunt.

3. Contradictum eſt per Statuta antiqua Ordinis, a tempore S. Bonauenturæ vſque ad tempora Leonis X. quæ huiuſmodi poſſeſſiones ſemper excluſerunt. Vide illa *in Firmamento trium Ordinum & Chronicis Ordinis, ac aliis antiquis monumentis.*

4. Contradictum eſt per ipſa Ordinis capita, qui reformationi ſimilium errorum ſtrenuè laborauerunt, vt diximus ſuprà de ſingulis Generalibus.

Certè Auctor Firmamenti trium Ordinum, qui fuit Conuentualis, & ſub Miniſtris

ſtris vixit, eorumque Obedientiæ aſſertor pertinaciſſimus exſtitit, vbi nuper relatas Bullas diſpenſatorias pro poſſeſſione redituum attigit 2. *p. tract.* 1. *fol.* 63. *& tract* 2. *fol.* 23. notat dicta Priuilegia fuiſſe à malè informatis Pontificibus ſubrepticiè impetrata, quod ſignum eſt in Communitate Ordinis, aut etiam inter Conuentuales non fuiſſe admiſſa.

Cum & Clemens V. in ſua Decretali *Exiui de Paradyſo*, vbi recenſuit abuſus illos de redditibus, pecuniâ, poſſeſſionibus, &c. De quibus Ordo accuſabatur, ſubiungit: *Tamen Communitas Fratrum, & ſpecialiter Rectores ipſius Ordinis aſſerebant; quod prædicta ſeu plura ex ipſis non fiebant. Quod & ſi qui reperiuntur rei in talibus rigidè puniuntur, nec non contrà talia, ne fiant, ſunt facta pluries ab antiquo ſtatuta in Ordine multùm ſtricta.* Hæc ibi. Ex quibus conſtat Ordinem huiuſmodi non conſenſiſſe, imò contradixiſſe, cum & Statuta S. Bonauenturæ in quibus huiuſmodi abuſus condemnantur, & ſancta Paupertas ſtabilitur, fuerint paucis additis perpetuò in Ordine commendata, & renouata, & Pontifices perpetuò huiuſmodi abuſuum Reformationes commendarunt, & omnes Reformationes à paupertate reſtituendâ cæperunt.

Ordinem & continuationem eleganter perstringit Leo X. in Bulla quæ incipit: *Ite & vos in vineam meam*, in qua & veros huius vineæ cultores agnoscit, & à cæteris separat: *Ad hanc* (ait) *vineam primo mane, oriente iam sole misit ipse Pater Familias Angelum illum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui S. Franciscum, qui comitantibus miræ Sanctitatis viris, prima huius vitis iecit fundamenta. His successerunt Viri Religiosi, qui Duce Beato Bonauenturâ, muros huius vineæ iam vtrimque ruinam minitantes hora 3. S.Trinitatis virtute & adiutorio reparauere: Post hos velut hora 6. prodierunt spiritu feruentes Fratres, nonnulli qui à sacro Viennensi Concilio, tamquam à Deo missi & confortati, eneruatam plenè disciplinæ censuram ad sua principia reuocarunt: Hora verò nona moriente Domino, surgentibus indies malis & scandalosis huius vineæ agricolis, suscitauit Dominus spiritum Adolescentis, paucorum videlicet Fratrum, qui Signifero Nominis Iesu B. Bernardino ductore, Sacri Concilij Constantiensis freti præsidiis languentem imo penè mortuum per orbem, vniuersum Ordinem viuificarunt. Nouissimè diebus istis quasi vltimâ horâ apparuerunt viri alij, qui zelantes pro domo Israel, succenderunt lucos, & demoliti sunt delubra*, &c. Hæc Leo.

Ex quibus constat, qui reputati fuerint inter

nter ſana membra in corpore Ordinis, & qualiter omnes, impuritates contrà Regulam ſunt abominati. Qualiter etiam relaxati reputarentur inter mortua membra, *& ſcandaloſos vineæ agricolas* à Summis Pontificibus. Vnde eſt & illa terribilis Bulla Alexandri VI. *ad Patres in Capitulo Generali Interramne congregatos. Data Romæ* 15. *Septembris* 1500. *Ex diuerſis* (ait) *mundi partibus, & à multis Principibus magnæ ad nos afferuntur querelæ de vita Fratrum Conuentualium Ordinis Minorum,ità quod niſi illam in melius commutent, cogamur pro Paſtoralis Officij Miniſterio deſuper oportunè prouidere, & eorum domos ipſis expulſis Fratribus eiuſdem Ordinis de Obſeruantia nuncupatis tradere. Quapropter ne id cum magno veſtro dedecore, & iacturâ fiat, vos in Domino, hortamur, ac paternè monemus, vt domos earum Prouinciarum, maximè pro quibus Reges & Communitates inſtant, omni diligentiâ reformetis, præcipuè autem Domum S. Franciſci de Aſiſio,* &c. Ex quibus conſtat Fratres Conuentuales viros habuiſſe, qui reformati iuxtà Regulam viuerent, quique maculis illis Ordinis non conſentirent, quibus cæterorum reformatio demandabatur.

Dices 1. Si Generales Ordinis & ipſum Corpus ſiue Communitas poſſeſſiones &

redditus non admisit, aut Priuilegia concedentia reddituum vsum non acceptauit: Vndè ergo tot possessiones & redditus in Conuentibus reperta sunt ante eorum reformationem? Respondeo id factum malitiâ vel negligentiâ immediatorum Superiorum, & relaxatione malorum Fratrum, qui non obstante zelo Generalium & bonorum lamento, sub prætextibus Bullarum ea introduxerunt. Nullum autem Capitulum Generale (in quo totus Ordo in virtute congregatur) tale Priuilegium admisit, imò vt docuimus, semper contradixit.

Dices 2. Si Corpus totum Ordinis pro paupertate & Regulæ purâ obseruantiâ zelauit, vnde tot Reformationes in Corpore multiplicatæ sunt, cùm separatione à communi Ministrorum regimine?

Respondeo 1. Neminem vnquam in Ordine fuisse, qui negaret obseruandam paupertatem secundumRegulæ puritatem, quam fatebantur melius à Reformatis obseruari, & propter cuius meliorem obseruantiam, plurimi Reformati ab obedientiâ Ministrorum se separauerunt, ne communibus Fratrum maculis inuoluerentur.

Respondeo 2. Omnes Fratres sub Ministris viuentes causas dissentionum præten-

tendisse violatam ordinariam Obedientiam ad ordinarios Prælatos, non verò alia Regulæ præcepta, quibus se obligari omnes videbant, & quæ apud Reformatos melius seruari non dubitabant. His sic deductis soluenda est principalis Quæstio.

RESOLVTIO QVÆSTIONIS PRINCIPALIS.

An Fratres de Communitate & Conuentuales ante tempus Leonis X. ad vniuersalem Ordinis Fraternitatem pertinuerint?

CONCLVSIO.

OMnes Fratres de Communitate, & Conuentuales vsque ad tempora Leonis X. ad vniuersalem Ordinis Fraternitatem pertinuerunt. Ratio est: quia à S. Francisco & eius Successoribus descendentes, Regulam simpliciter & ad litteram sine Priuilegiis sunt professi, & sub Ministro Generali Successore legitimo S. Francisci, ac sub symbolo Paupertatis militârunt. Nec valet quod relaxatis & Regulam uon seruantibus scaterent: non enim triticum de agro Domini non fuit, quia permixtum zizanium habuit; nec à piscatione & reti Petri, pisces mali, qui foras mit-

tuntur excluduntur, ſicut nec peccatores ab Eccleſia. Quemadmodum enim, vt argumentatur S. Paulus, etſi plurimi Iudeorum non crediderint, eorum tamen incredulitas Fidem Dei non euacuauit: Remanſit ſanè Regulæ Obſeruantia inter pios illos qui in medio Communitatis & Conuentualium habitantes, non adorauerunt idolum auaritiæ & relaxationis, nec flexerunt genua coram Baal, quorum plurimi erant de aliorum peccatis gementes, vt ex Chronicis conſtat.

QVÆSTIO V.

An Regularis Obſeruantia tempore Leonis X. vnita, ad vniuerſalem Fraternitatem Ordinis pertineat?

HIc iterum reſumenda Hiſtorica narratio, & ſciendum, quod cum Ordo S. Franciſci iam multis annis ob diſcordias fluctuaſſet, iis qui ſecundum carnem nati erant, relaxatis nimirum Fratribus perſequentibus eos, qui ſecundum Spiritum S. Patris Franciſci Regulam ad litteram obſeruare nitebantur; quibus diſcordiis celebratis iam ſex Capitulis Generaliſſimis ad effectum vnionis reſtituendæ finis imponi non potuerat: Leo X. diuino inſtin-

ctu

ctu rem aggressus *ad instantiam Imperatoris Maximiliani, Regum Francorum, Hispaniarum, Portugalliæ, Daciæ, Noruegiæ, ac Sclauorum siue Dalmatarum, Gottorumque, item Archiepiscoporum: ac Vicariis, Ducibus, Principibus, Ducissis, & Romani Imperij Electoribus, Comitibus, Viris grauibus, Locum tenentibus Prouinciarum, Præsidibus, Ciuitatibus, Communitatibus, Magistratibus, Vniuersitatibus, penè totius Orbis id efflagitantibus*, Capitulum septimum Generalissimum Romæ in Conuentu de Ara cæli, indixit ad annum 1517. In quo cum in primâ Sessione proposita esset vnio vniuersalis totius Ordinis: ei quidem consenserunt omnes Patres Obseruantiam Regularem zelantes, sub conditione quod Conuentuales relaxati prætensis Priuilegiis contrà puritatem Regulæ, & omni rerum proprietati, ac quibusuis annuis redditibus renuntiarent, & Regularis Obseruantia nihil detrimenti pateretur: cui conditioni cum Patres relaxationem Regulæ sequentes subscribere noluissent, Summus Pontifex, ne res infecta iterum in fumos & discordias abiret, Spiritu Sancto sibi assistente. 1. Omnes Fratres Regulæ Obseruantiam zelantes, de quacumque tandé Congregatione essent *siue de Obseruantia Familiæ, siue de Obseruan-*

tia sub Ministris, siue de Congregatione Clarenorum, Coletanorum, F. Amadæi, aut de S. Euangelio siue de Capucio, veros filios & hæredes Spiritus S. Patris Francisci agnoscens, prius quasi dispersos in vnum corpus adunauit, eisque nomen dedit vt vocarentur, vel simpliciter *Fratres Minores S. Francisci*, vel coniunctiuè *Fratres Minores S. Francisci Regularis Obseruantiæ.*

2. Eis sic adunatis: dedit electionem Generalis totius Ordinis secundum Regulam veri & legitimi Successoris S. Francisci, mandans vt ille *à solis & ex solis Reformatis, siue Regulam ad litteram obseruantibus* eligeretur, essetque verè reformatus, & pro Reformato à Congregatione Reformatorum haberetur: *Ne* (inquit) *caput suis membris difforme appareat.*

3. Ne electio aliquo defectu laborare contingeret: Omnes Vicarios veros Ministros esse declarauit, & discretos Obseruantiæ veros Custodes. Et ex Prouinciis necdum totaliter reformatis, in quibus Ministri reformati non erant, curauit ex Conuentibus reformatis duos Fratres reformatos nominari, qui Prouincialis & Custodis vota haberent. Similiter Fratribus Congregationis Amadæi & Clarenorum, ac de S. Euangelio permisit, vt præ-

ter vota suorum Vicariorum, haberent iterum duas voces, pro singulis Prouinciis in quibus habebant Conuentus: definiuitque Apostolicâ auctoritate Electionem Generalis Ministri sic factam esse *Canonicam secundum Regulam Fratrum Minorum, ac formam à S. Francisco in Regulâ traditam.*

4. His sic constitutis curauit ad Electionem procedi, in qua Canonicè electus est *F. Christophorus de Forliuio*, qui confirmatus est, *Totius Ordinis S. Francisci Minister Generalis, & Francisci secundum Regulam Successor.* In cuius rei confirmationem illi *Sigillum antiquum totius Ordinis* à Summo Pontifice consignatum est, & omnes Prouinciales præsentes & futuri nomine Ministri secundum Regulam insigniti, eisque omnibus antiquæ Minoriticæ Reipublicæ omnia munia concredita, cum præcedentiâ ad omnes qui sub S. Francisci nomine deinceps militarent.

5. Quia iam à Corpore, & electione Capitis totius Ordinis remanebant exclusi, qui obseruantiæ Regulæ secundum suam puritatem subscribere, aut redditibus & Priuilegiis Regulam relaxantibus renuntiare noluerant: Summus Pontifex Leo X. volens communi paci Ordinis, & dictorum Fratrum conscientiis & saluti prouidere:

dere: Primò: Eos ſub nomine *Conuentualium* ſeparauit, ità vt iam Fratres Minores S. Franciſci ſimpliciter non poſſent nuncupari, ſed *Fratres Conuentuales S. Franciſci.*

Secundò: Eis reddituum, Poſſeſſionum, & Priuilegiorū Regulæ rigorem relaxantium, vſum & acquiſitionē de plenitudine poteſtatis Apoſtolicæ indulſit: quod inductū poſteà voluit inſeri eorū profeſſioni, vt & profitentibus & toti Orbi conſtaret eos non Regulam S. Franciſci ſimpliciter, ſed Regulam certis Priuilegiis & Pontificum Decretis modificatam & relaxatam vouere eoſque ſic in Conſcientia ad plura non obligari.

Tertio: Eis in Conuentu duodecim Apoſtolorum congregatis dedit liberam electionem Superioris Generalis, cum mandato, quod deinceps non vocaretur *Miniſter Generalis*, ſed *Magiſter Generalis*: nec diceretur *Totius Ordinis S. Franciſci*, ſed modificatè, *Ordinis Fratrum Conuentualium*: ſicut & Prouinciales ſibi ſubiecti non *Miniſtri*, ſed *Magiſtri Prouinciales Fratrum Conuentualium* nuncuparentur, illumque titulum curarent *Omnibus ſuis ſigillis inſcribi.*

Quartò: Vt omnis reſpectus ad petram de qua exciſi erant non periret, idem Pontifex

tifex ordinauit vt Magiſtri Generales Conuentualium deinceps omni tempore peterent confirmationem à *MiniſtroGenerali totius Ordinis, & Magiſtri Prouinciales à Miniſtris Prouincialibus*, ſicut olim Vicarij Generales de Familia a Miniſtro Generali, & Vicarij Prouinciales à Miniſtris Prouincialibus confirmationem poſtulabant. Item ſtatuit vt quamuis Miniſter Generalis totius Ordinis nullam per ſe vel ſuos Commiſſarios iuriſdictionem in Fratres Conuentuales exercere poſſit: quandò tamen contingit dictum Miniſtrum Generalem totius Ordinis ad loca Conuentualium declinare poteſtatem donat, *vt paternè & charitatiuè eos viſitet*, & mandat Fratribus Conuentualibus, *vt eum tamquam Totius Ordinis Superiorem cum omni charitate & dilectione recipiant.*

Hæc omnia patent ex Bullis Leonis X. *Ite & vos in vineam meam*. & *Omnipotens Deus*: quorumtextus modò non citaui, quia ſufficienter citati ſunt in cap. 1. Regulæ vbi egi de Succeſſore legitimo S. Franciſci.

His ſic animaduerſis pro reſolutione principali pono ſequentem Concluſionem.

CON-

CONCLVSIO.

Obseruantia Regularis tempore Leonis X. vnita non tantum pertinet ad vniuersalem Fraternitatem, sed ipsam Fraternitatem constituit. Conclusio patet ex dictis: In ipsam enim est deriuata legitima Ministrorum Generalium, & Prælatorum Regularium à S. Francisco successio: In ipsâ Regulæ puritas & vouetur & seruatur: In ipsam & sub ipsâ totius Reipublicæ Ordinis administratio descendit sub symbolo Paupertatis. *Vide quæ diximus in* 1. *capite Regulæ.*

QVÆSTIO VI.

An Conuentuales post Leonem X. pertineant ad vniuersalem Ordinis Fraternitatem?

CONCLVSIO I.

Conuentuales post Leonem X. instituti non pertinent ad Ordinis S. Francisci vniuersalem Fraternitatem. Ratio est quia in omnibus conditionibus deficiunt. 1. enim sub Totius Ordinis Ministro Generali S. Francisci Successore non militant, cum Magistrum Generalem habeant 2. Regulam S. Francisci ad litteram non vouent, sed omninò per Priuilegia Pontificia alte-

alteratam : vnde nec eandem cum Fratribus Ordinis professionem emittunt. 3. Quia symbolum *Altissime paupertatis* abiecerunt, dum redditus, possessiones, & bona temporalia admiserunt.

Dices. Conuentuales post tempora Leonis X. tria vota essentialia Regulæ Fratrum Minorum emittunt, & vouent Regulam iuxtà Pontificum declarationes, ergò in professione essentiali conueniunt. Respondeo negando consequentiam. Ad antecedens dico : Tria vota essentialia, cum communia sint omni Religioni, ad essentialem Professionem Fratris Minoris, vt Frater Minor est specificè, non spectare, nisi quatenus per Regulæ præcepta, æquipollentia, siue vim præcepti habentia determinata sunt ; & velut per differentiam specificam contracta : quæ præcepta (maximè quoad votum Paupertatis) cum Conuentuales non voueant, in essentiali Professione cum Fratribus Ordinis non concordant. Nec valet quod voueant secundum declarationes Pontificum : huiusmodi enim declarationes non sunt declarationes Regulæ, sed Priuilegia, & potius declarationes voluntatis Pontificiæ in rigore Regulæ dispensantis, quod Pontifex vt Regulæ Approbator facere potest, imò

si

ſi velit Regulam caſſare & deſtruere.

CONCLVSIO II.

FRatres Conuentuales poſt tempora Leonis X. nouam & ſingularem Fraternitatem auctoritate Pontificiâ conſtitutam faciunt, ab vniuerſali Ordinis Fraternitate multum alienam. Concluſio ex Hiſtoricâ narratione præcedenti quæſtione præmiſſâ conſtat. Ipſos enim Pontifex in aliud corpus ſub poſſeſſionibus & Priuilegiis adunauit: Ipſis alia Capita & alium Generalem ſub aliis nominibus dedit: Ipſis de alia profeſſione religioſa prouidit de plenitudine poteſtatis. Quæ omnia ſunt ſigna alterius Reipublicæ, & diſtincti Sodalitij.

Ex quo amplius infero quod ſi Conuentuales nihil retinuerint commune cum Ordinis Fraternitate ante tempora Leonis X. & hanc eorum Conuentualitatem eſſe omninò à Conuentualitate ante tempora Leonis X. diſtinctam, & diſparatam: tum quia *vt docui ſupra q.* 4. Conuentuales ante tempora Leonis X. commune totius Ordinis Caput Miniſtrum Generalem habuerunt; ſub eius regimine profeſſi ſunt, & communem toti Ordini Profeſſionem ſimpliciter emiſerunt, imò ſana membra Conuentualium puritatem Regulæ ſeruauerunt, nec redditus aut poſſeſſiones vt licitas

tas admiserunt. Hi verò omninò à Generali Totius Ordinis se separant, & , vt dixi, aliam omninò professionem emittunt. Nec Heliam Generalem sibi proponant: præterquam enim quòd eius relaxationes Deo & Ordini abominabiles fuerint, est coactus Regulam vouere, quam scribente Francisco in monte, vt nimis rigidam, aliis Ministris conatus fuerat dissuadere, vt docet *R.P. VVadingus in Annalibus.*

In his tamen nolo minoris æstimare Patres Conuentuales, qui secundum Professionem approbatam à S. Sede Apostolicâ vitam Religiosam ducunt, & in Ecclesia Dei suum splendorem habent: sed hæc deduco latiùs, vt verborum lites & vanitates veritate lucessente sopiantur, & sepeliantur.

QVÆSTIO VII.

An Congregatio Fratrum Minorum, Capuccinorum, ad vniuersalem Ordinis Fraternitatem pertineat?

HIc iterum in memoriam reuocanda sunt huius sacræ Congregationis initia, de quibus egimus in cap. 1. Regulæ: Cum enim Regularis Obseruantia videretur tantisper aliquid de primo feruore remit-

remittere, cæperunt & aliqui Fratres ad reaccendendum spiritum animari, atque sub Clemente VII. circà *annum* 1526. (ne à Prælatis Obseruantiæ Regularis sub prætextu communi scissionis alicuius impediendæ, à concepto spiritu retardarentur) consultum sibi putauerunt ad Conuentuales de licentia Sedis Apostolicæ transire, non vt eorum vitam & professionem sequerentur, sed vt magis pacificè ad loca solitaria & Eremitoria transirent sub eorum protectione & regimine, & sic cum minoribus turbationibus conceptam Reformationem & Congregationem auspicarentur, quod & fecerunt recepti in Conuentualium numerum, & consortium, à Magistro Prouinciali Marchiæ, vt loco suprà citato latiùs diximus, vbi & aduertendum *ex Bulla Clementis VII. quæ incipit: Religionis zelus, datâ Viterbij ann.* 1528. *Non: Iunij, Pontific. ann.* 5. Vitam Capucinorum in sui institutione & approbatione fuisse planè Eremiticam, tam in habitu & barba, quam in vitæ austeritate, & Priuilegiis Eremitarum Camaldulensium ipsis communicatis. Quæ omnia vt constent, verba Bullæ hic subiungo: *Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati* (inquit Pontifex) *auctoritate Apostolica tenore præsentium vobis vt*

vt ſecundum Regulam prædictam (ſcilicet S. Franciſci) *vitam Eremiticam ducere, & habitum cum quadrato capucio geſtare, vt ad Eremitoria ſeu loca quæcumque cum conſenſu eorumdem Dominorum Locorum vos conſerre, & in eis habitare, vitamque Eremiticam inibi agere, & in quibuſcumque locis mendicare, nec non omnibus & ſingulis Priuilegiis, indultis, & gratiis Ordini Fratrum Minorum, & huiuſmodi, ac Eremo Camaldulenſi B. Romualdi illiuſque Eremitis in genere vel in ſpecie hactenus conceſſis, & impoſterum concedendis, & quibus ipſi quomodolibet vtuntur, potiuntur, & gaudent, & vti, potiri & gaudere poterunt in futurum, vos quoque æquè principaliter ſicut ipſi potiri, & gaudere liberè, & licitè valeatis, plenam & liberam licentiam concedimus.* Ex quibus patet 1. Habitum primæuum Capucinorum fuiſſe, non cum capucio pyramidali & oblongo, ſed cum *Quadrato Capucio*, & Barbas illis ad Eremitarum modum conceſſas. Patet 2. Nomen Capucini non fuiſſe illis impoſitum primariò, ſed vocatos eſſe *Eremitas*: Nomen verò Capucini non fuit vſurpatum ante Paulum III. qui in noua conſtitutione hoc eis impoſuit. Patet 3. qualiter Priuilegia Eremitarum Camaldulenſium vt propria ſibi vendicauerunt. Porrò in eadem Bulla Protector Ordinis

Fratrum Minorum Conuentualium reseruauerat sibi; *vt singulis annis in signum subiectionis se alicui Prouinciali Magistro vel Capitulo præsentarent: Et quod Magister Prouincialis semel in anno tantum eos visitare, & ad Regulæ Obseruantiam compellere posset.* Vnde hic quilibet arbiter esse potest: An dicenda sit hæc Congregatio ab Obseruantia exisse, cùm primi Patres in Obseruantia Professionem emiserint? An à Conuentualibus, quibus ante Congregationem inceptam inscripti sunt, quamuis vt dixi, vitam illorum non sunt secuti, sed strictissimam Regulæ Obseruantiam. Profecit verò, & multiplicata est per vniuersum Orbem hæc Congregatio sub Regulæ arctitudine & rigore; ità vt iam ab omni alia independens, Superiore Generali gaudeat, & omnibus Prælatis Regularibus suis, in Regula & Ordinis Constitutionibus præscriptis.

CONCLVSIO.

Congregatio Fratrum Minorum Capucinorum, etsi Fraternitatem in substantia omninò consonam Regulæ & Ordini constituat, ad vniuersalem tamen Ordinis Fraternitatem non pertinet. Ratio est: quia sub Ministro Generali totius Ordinis, *vero in rectâ lineâ S. Francisci Successore*

fore non militat, quæ eſt conditio prima huius Fraternitatis.

Dixi (etſi Fraternitatem in ſubſtantia omninò conſonam conſtituat) nihil enim deeſt ei, niſi i le ad Succeſſorem reſpectus: In ſubſtantia verò eandem Profeſſionem Regulæ ad litteram emittunt, & ſub arctiſſimæ paupertatis ſymbolo militant: & auctoritate Pontificiâ Superioribus eiuſdem nominis, ſicut Regula præſcribit, ſubduntur.

QVÆSTIO VIII.

An Fratres Recollecti ſiue Reformati Obſeruantiæ Regularis ad hanc vniuerſalem Ordinis Fraternitatem pertineant?

Diſtinctio nonnulla eſt inter Fratres Recollectos Hiſpaniæ, & Fratres Reformatos Italiæ, proindè de eorum ſtatu & origine aliquid diſtinctè proponendum eſt.

Aduertendum igitur 1. eſt, Fratres Minores Recollectos initium habuiſſe circa annum 1502. tempore Fratris Martialis Boulier, Vicarij Generalis: cùm enim ex tunc Obſeruantia Regularis ſiue Fratres de Familia paſſim domos Conuentualium

occuparent,& plurimi eis à Principibus de nouo ædificarentur, cæpit cum multiplicatione illa domorum & personarum (ex quibus nonnulli vt solet fieri parum Zelosi se Obseruantiæ ex Conuentualibus iungebant) tantisper Obseruantia Zelum remittere, ita vt F. *Ioannes de Guadalupe* cum sociis reformationem nouam meditaretur, (*prout superius diximus, quandò egimus de Fratribus S. Euangelij, siue Discalceatis.*) Hoc perpendentes Patres Obseruantiæ siue de Familia, ne vetustus Obseruantiæ nitor macularetur, in Congregatione quadam Generali in Prouincia Castellæ celebrata à R. P. F. Martiali Boulier, Vicario Generali ex Patrum consensu ordinatum est: *vt in vniuersis Hispaniæ Prouinciis aliquæ domus humiliores designarentur, in quibus Fratres qui arctioris vitæ desiderio tenerentur, se recipere, & vitam austeriorem seruare possent*; quas etiam domos *Recollectas* vocarunt, vnde & illas inhabitantes *Recollecti* vocati sunt, sed cum istud Decretum minus stabiliter executioni mandaretur, exurgentibus maximis turbationibus propter F. *Ioannem de Guadalupe*, & socios, qui vt suas reformationes melius stabilirent, in custodias Conuentus suos auctoritate Apostolicâ erigebant, sub Clemente

mente VII. circà annum 1525. procurante F. Francisco Angelorum, *Recollectæ domus, & Recollectorum institutum*, ad conseruandum Religionis rigorem in omnibus Prouinciis Hispaniæ inualuit, cui Recollectorum instituto P. Franciscus Gonzaga *p. 1. pag. 62.* integras Prouincias *S. Gabrielis, Pietatis, S. Ioseph, S. Antonij, S. Ioannis Baptistæ* attribuit, quæ ex Patribus Discalceatis surrexerunt. In Recollectorum domibus illis semper præualuit *studium orationis, paupertatis rigor, silentium, humilitas, charitas, velut fortalitiū Obseruantiæ Regularis conclusa*, in regimine permanserunt, & vsque ad hunc diem dicti Recollecti permanent.

Ad exemplum Recollectorum Hispaniæ, in Belgium prosperè (quamuis non sine multis difficultatibus, quæ in insolitis moueri consueuerunt) peruenit pia Recollectorum institutio, quæ per egregias & singulares Constitutiones *in Capitulo Generali Toletano sub R^mo. P. F. Francisco Gonzaga anno* 1583. facta illustrior in Capitulo Generali Valisoletano *anno* 1593. per Rmum. P. F. Bonauenturam Calatagirone, Ministrum Generalem demandata est strictissimè omnibus Ministris Prouincialibus, cum præcepto, vt statim reuersi ad Prouincias,

in qualibet pro Patribus rigorem Regulæ zelantibus, tres Conuentus ad minimum ad huiuſmodi pium & ſanctum inſtitutum deſignarent. Belgio res grata fuit, eam deſiderantibus plurimis, & multo labore certatum eſt vt executioni demandaretur. Fæliciter tandem ad annum 1597. in Prouincia Flandriæ inſtitutum Recollectorum incepit à Conuentu S. Franciſci ad Sambram, vnde & ſucceſſu temporis tam ſuauem odorem emiſit, vt maior pars Conuentuum Prouinciæ Flandriæ huic inſtituto cum pace & ædificatione, nullo tumultu nomen dederit, ex qua etiam Prouincia S. Ioſeph in Comitatu Flandriæ ex ſolis Conuentibus Recollectis magna tranquillitate, multorum applauſu ſurrexit. Fateor me in iſto Conuentu S. Franciſci ad fluuij Sambræ margines cum admiratione ſtupuiſſe & pietatem, & paupertatem, & humilitatem, vbi datum eſt mihi videre huius Reformationis nonnulla incrementa, ita vt benè dixit R^{mus}. P. Gonzaga 1. p. fol. 26 *Recollectos nec in vnius vnguiculi latitudine Capucinis cedere.* Eodem tempore Recollectorum inſtitutum cæperat in Prouincia S. Andreæ in Conuentu Binchienſi, ex quo etiam omnes ferè Prouin-

ciæ

ciæ Conuentus fæliciter occupauit & reformauit.

Aduertendum 2. ſub Clemente VII. cæpiſſe idem ferè inſtitutum in Italia ſub nomine *Reformatorum*, idque etſi fæliciter ſibi, non tamen adeo vtiliter Ordini: Hi enim pro ſua quiete & tranquillitate ſe ſeparauerunt in Cuſtodias, & à communi regimine Prouincialium ſe ſubduxerunt: vnde factum eſt, vt Ordinis Communis reformationi vix deſeruierint, contenti paucis veteribusConuentibus cum iis quos nouiter ædificarunt. Quorum Reformationem ſub iiſdem Priuilegiis & exemptiobus aſſumpſerunt Fratres Recollecti Galliarum, relinquentes Prouincias & Conuentus Obſeruantiæ ſuo curſui abſque reformatione.

CONCLVSIO.

TAm Recollecti Ciſmontani quamReformati Italiæ ad vniuerſalem Ordinis Fraternitatem ſpectant.Ratio eſt: Quia ſub vero Succeſſore S.Franciſci totius Ordinis Generali militant, & profeſſionem Regulæ S. Franciſci ad litteram emittunt ac ſeruant: ſymbolum veræ & altiſſimæ paupertatis præferentes. Et hæc de hac Fraternitate ſint dicta latius quidem, ſed extentionem poſtulabat etiam compendio-

ſa veritas. Quæ autem dixi ad hiſtoriæ narrationem pertinentia, ſiue etiam quæ hinc inde ad Concluſionum probationem citaui, omnia ferè *ex antiquo Firmamento Trium Ordinum*, & *Memoriali Ordinis*, ab aliquo Conuentuali ſiue Fratre de Communitate digeſto, qui Fratrum de Familia acerrimus oppugnator erat excerpſi, vt de perſonæ partialitate nō accuſarer. Contuli tamen & alia ex Rmo. P. F. *Franciſco Gonzaga in hiſt de Orig. Seraphicæ Religionis & ex* Rmo. *D. Marco de Liſboa ac Barezzo Barezzi in Chronicis.* Subminiſtrauit etiam plura R. P. F. *Lucas VVadingus* diligentiſſimus & exactiſſimus hiſtoricæ veritatis indagator in ſuis Annalibus Minorum.

TEX-

TEXTVS II.

Quo decedente electio Successoris fiat à Ministris Prouincialibus & Custodibus in Capitulo Pentecostes, in quo Prouinciales Ministri teneantur semper in simul conuenire, vbicumque à Generali Ministro fuerit constitutum, & hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem vel minorem, sicut à prædicto Ministro fuerit ordinatum.

TITVLVS VNICVS.

De electione generalis Ministri.

QVÆSTIO I.

An Minister Generalis debeat esse perpetuus?

CONCLVSIO I.

Minister Generalis ex vi Regulæ debet esse perpetuus. Patet ex verbis: *Quo decedente*, quæ mortem significant. Aduertendum tamen est Generales vt plurimum mortem non expectasse, sed officio cessis-

cessisse ante mortem, vt constat de Sanctissimo Patre Francisco, & aliis, ex Chronicis, poterant tamen vsque ad mortem Ordinem gubernare, & continuare si voluissent.

CONCLVSIO II.

EX ordinatione Summorum Pontificum, quibus omninò parendum est vt Regulæ Approbatoribus, & Ecclesiæ totius Capitibus, modò Generales Ministri solo sexennio absque dispensatione Ordinem regere possunt. Conclusio manifesta est. Nec istud Decretum contra Regulam censendum est, quia præterquam quod Regula Approbatoris iudicio subiiciatur: materia de Electionibus iuris positiui est, & mutationibus Legislatorum necessariò subditur.

QVÆSTIO II.

A quibus, vbi, & quandò eligi debeat Minister Generalis?

CONCLVSIO I.

MInister Generalis eligi debet ex vi Regulæ à solis Ministris Prouincialibus & Custodibus, seu eorum vices gerentibus. *Constat ex textu.*

Porrò

Porrò: Ministri Prouinciales dicuntur qui legitimè electi; vel constituti Prouincias gubernant, de quorum electione vel institutione cum nihil Regula discernat, Iuribus, vel Constitutionibus, siue firmatis consuetudinibus standum erit, & maximè iis quæ *à Clemente V. in suâ Declaratione c.* 12. sunt stabilita: Custodes verò antiquitus dicebantur qui ob amplitudinem Prouinciarum certum numerum Conuentuum in Custodias redactum pro maiori facilitate regebant. Nunc autem expirantibus Custodiis, à Summis Pontificibus cautum est, vt in Capitulo Prouinciali vel Congregatione vnus eligatur, qui Custos Custodum vel Discretus Discretorum nuncupetur, cuius est ad Capitulum Generale cum Ministro Prouinciali proficisci, & ad electionem Ministri Generalis conuenire. Consule Ordinis Statuta & Monumenta. Dixi verò superius (seu eorum vices gerentes) ob Commissarios Prouinciales, qui Ministris legitimè impeditis substituuntur.

CONCLVSIO II.

ELectio Generalis Ministri debet fieri in loco Capituli Generalis, vbicumque à Ministro Generali fuerit ordinatum. *Patet ex textu.*

CON-

CONCLVSIO III.

Electio Generalis Ministri ex vi Regulæ fieri tantum potest in Pentecoste, siue in Sabbatho Pentecostes. *Conclusio iterum manifesta ex textu.*

CONCLVSIO IV.

Capitulum Generale potest cogi quoties placuerit Generali Ministro ex vi Regulæ, ità vt Ministri Prouinciales teneantur sub peccato mortali conuenire. *Patet ex textu.*

TEXTVS III.

Et si aliquo tempore appareret vniuersitati Ministrorum Prouincialium & Custodum, prædictum Ministrum non esse sufficientem ad seruitium & communem vtilitatem Fratrum; teneantur prædicti Fratres, quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in Custodem.

TITVLVS VNICVS.

De depositione Generalis Ministri.

QVÆ-

QVÆSTIO VNICA.

Quæ requirantur ad depositionem Ministri Generalis?

CONCLVSIO I.

VT deponatur Generalis Minister, duo ex vi Regulæ requiruntur: Prius vt sit insufficiens ad seruitium, & communem vtilitatem Fratrum, vtpote quia impotens, infirmus, onerosus &c. Posterius vt hæc insufficientia constet vniuersitati Ministrorum Prouincialium, & Custodum, hoc est maiori parti, *Vt secundum Iura exponunt 4. Magistri.*

CONCLVSIO II.

PErspectâ insufficientiâ obligantur sub peccato Mortali Ministri & Custodes Generalem Ministrum deponere & alium eligere. Constat ex verbo (*Teneantur*) quod æquipollet præcepto.

TEX-

TEXTVS IV.

Post Capitulum verò Pentecostes Ministri & Custodes possint singuli si voluerint, & eis expedire videbitur, eodem anno in suis Custodiis semel Fratres suos ad Capitulum conuocare.

TITVLVS VNICVS.

De Capitulis Prouincialibus.

QVÆSTIO I.

An quæ de Capitulis Prouincialibus à Clemente V. & aliis Pontificibus ordinata sunt obligent ad mortale?

CONCLVSIO I.

EX vi Regulæ nihil obligat in Capitulorum Prouincialium celebratione ad mortale peccatum. *Patet ex textu.*

CONCLVSIO II.

QVæ à Clemente V. & aliis Pontificibus statuuntur iuxtà materiæ statum obligant ad mortale. Ratio est, quia grauis materia in Electionibus & actibus Capitularibus interuenire potest, & aliàs tum à Concilio Tridentino, tum à Iure com-

communi multa constituta sunt, quæ præuaricari in nonnullis grauem deordinationem facerent, in aliquibus actuum nullitatem causarent. Quæ omnia lubens prætereo, quod ad Regulam nihil facere videantur.

QVÆSTIO II.

Quæ sint Regularia nomina superiorum Ordinis?

CONCLVSIO I.

REgula tantum facit mentionem Ministrorum Generalium, Ministrorum Prouincialium, & Custodum.

CONCLVSIO II.

EX Regulà omnes Superiores vocati sunt olim Custodes, sicut & Prouinciæ Custodiæ. Patet 1, de Generali Ministro hoc C. vbi ob insufficientiam Ministri Generalis dicuntur Ministri teneri alium eligere in *Custodem*.

De Ministro similiter Prouinciali constat ex textu præsenti: vbi dicuntur posse in *suis Custodiis* Capitulum celebrare; cum enim Prouincia hic nominetur Custodia, patet Ministrum rectè similiter dici Custodem.

De nomine verò Guardiani cum Regula

gula nullum mentionem faciat, ſed ex ſolo Teſtamento illud habeamus, ſimiliter nomine Cuſtodis olim intitulatum Guardianũ fuiſſe coniicere poſſumus. Quin imò 4. *Magiſtri hoc c.* putant fuiſſe vocatos olim Miniſtros, quod multum aduertendũ eſſet pro explicatione *c.* 4. de recurſu ad amicos; tunc enim ex vi Regulæ iſtis immediatè competeret ſi Miniſtri cenſendi eſſent. Verba 4. *Magiſtrorum* durius ſonant: *Expediret* (inquiunt) *vt nomen Guardiani tolleretur, & Cuſtodes, ſiue Miniſtri domus cõnuenientius dicerentur.* Verum puto idem nomen eſſe Cuſtodis & Guardiani, deriuando à vocabulo vernaculo quo Cuſtodiam *Guardiàm* vocamus (Gallice, *Guarde*).

IN

IN CAPVT IX.

De Prædicatoribus.

TEXTVS I.

Fratres non prædicent in Episcopatu alicuius Episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum.

TITVLVS VNICVS.

De approbatione Prædicatorum per Episcopos.

QVÆSTIO I.

An ex vi Regulæ debeant Prædicatores Ordinis Minorum ab Episcopis approbari?

CONCLVSIO I.

EX vi Regulæ Prædicatores Ordinis Minorum non tenentur approbationem ab Episcopis accipere. Ratio est: quia sufficit ex vi Regulæ vt Episcopus non contradicat, vt ex textu manifestum est. Et rationem addit *S. Bo-*

nauentura hic: quia præsumitur consentire si non contradicat. *Vnde Gregorius, l. 22. Moral. Pij Pastoris mens, quia non propriam gloriam, sed auctoris sui quærit, ab omnibus vult iuuari: Prædicator namque fidelis optat, si fieri valeat, veritatem quam solus loqui non sufficit, ora cunctorum sonent.* Hæc Gregorius.

CONCLVSIO II.

PRædicatores, vt in Ecclesiis, quæ non sunt sui Ordinis prædicent, debent esse approbati ab Episcopis. *Ità Concil. Trident. sess. 5. c. 2. de Reform.*

CONCLVSIO III.

IN Ecclesiis suorum Ordinum prædicantes: debent ab Episcopo Benedictionem accipere, sine qua omninò prædicare prohibentur. *Ità Concil. Trident. suprà.* Notat verò *Roderiguez t. 3. q. 32. a. 1.* sufficere vt dicta Benedictio petatur, etsi illam non det Episcopus.

Petes: An ex licentiâ Parochi non liceat aliquandò prædicare absque approbatione Episcopi. Respondet *Roderiguez sup. a. 4. & 5.* licere Parocho bis terue dare licentiam Concionatori notoriè docto ad prædicandum in suâ Ecclesiâ absque Episcopi licentia & approbatione. Ratio est, quia in similibus probabili Epikeiâ præsu-

men-

mendum est de voluntate Episcopi; & alias *quod parum est pro nihilo reputatur.*

QVÆSTIO II.

An numquam liceat Fratribus Minoribus prædicare contradicente Episcopo?

CONCLVSIO.

NVmquam licet Fratri Minori prædicare contradicente Episcopo, nisi Summi Pontificis auctoritate maiori fulciatur. Conclusio manifesta est ex textu Regulæ, quem ad litteram obseruari mandat *Nicolaus III. in Extra. a. 9.*

Dixi (nisi Summi Pontificis auctoritate maiori fulciatur) *siue vt dicit Nicolaus suprà: Nisi per Sedem Apostolicam circà hoc pro vtilitate populi Christiani sit concessum, vel ordinatum aliud, vel in posterum concedatur vel ordinetur.* Conseruanda est enim (*vt ait idem Pontifex*) auctoritas Apostolicæ plenitudinis, quam Papa habet in vniuersam Ecclesiam super alios Episcopos. Vndè si Papa mandat & concedit Fratribus nostris ex causa, vt non obstante contradictione Episcoporum Fratres prædicent vbique, Fratres prædicare possunt. Nec ob eam causam debent præuaricatores suæ

Regulæ reputari: quia materia huius præcepti, ſicut ſubiacet Iuriſdictioni Eccleſiaſticæ, ſic de eâ per Superiorem aliter atque aliter diſponi poteſt: quam diſpenſationem tenetur Frater Minor ſequi & ſeruare.

Hic verò quærit S. Bonauentura: An Epiſcopo concedente licentiam prædicandi: ſi Parochus contradicat, poſſint nihilominus Fratres Minores prædicare? Ratio dubitandi præcipua eſt: quia licentiæ tales non conceduntur in præiudicium tertij, videtur autem hæc præiudicare Paſtoribus. Addere huic rationi poſſumus, quod S. Franciſcus in Teſtamento addit: *Et ſi haberem tantam ſapientiam quantam Salomon habuit, & inuenirem pauperculos Sacerdotes huius ſæculi, in Parochiis in quibus morantur, nolo prædicare contrà ipſorum voluntatem.*

Reſpondet igitur S. Bonauentura, Fratres admiſſos ab Epiſcopis poſſe inuitis Parochis prædicare. Cuius ratio eſt, quia poteſtas à ſuperiore Hierarchiâ tradita, non dependet ab inferioris voluntate. Et aliàs ſupponitur iniuſtè nolens, cum non fiat in præiudicium, ſed in leuamen. *Iuuat* enim Concionator Parochum *in ſarcinâ ſupportandâ, ità vt pro tanto minuatur Sacerdoti curam habenti pondus in diſtricto iudicio Dei*

Dei, quantum ab alio supportatur. Vide S. Bonauenturam, qui addit: Sacerdotem curam habentem si impediat aut nolit dimittere ad prædicandum Fratrem canonicè missum peccare mortaliter. Monet verò interdum, *cedendum ad tempus malitiæ ne scandalum suscitetur, & denuntiandum Hierarchiæ animarum periculum.* Ità S. Bonauentura. Ad rationem itaque dubitandi patet responsum: id verò quod citatur ex Testamento S. Patris Francisci, reuerentiæ est, non præcepti.

TEXTVS II.

Et nullus Fratrum populo audeat prædicare, nisi à Ministro Generali fuerit examinatus, & approbatus, & ab eo officium prædicationis sibi concessum.

TITVLVS VNICVS.
De approbatione Prædicatorum per Superiores Ordinis.

QVÆSTIO I.
An solus Generalis possit Prædicatores approbare?

CONCLVSIO I.

EX vi Regulæ ordinariâ potestate solus Generalis potest Prædicatores appro-

 bare.

bare. *Patet ex textu.* Dixi (ordinariâ potestate) potuit enim semper Minister Generalis commissionem alicui dare, seu delegare ad huiusmodi approbationem, cum eius potestas non sit per hoc præceptum restricta, sicut Episcopi quandoque committunt Vicariis suis. *Ità expressè Hugo de Dina.*

CONCLVSIO II.

AMpliato Fratrum numero, concessa est potestas approbandi Prædicatores Ministris Prouincialibus cum Diffinitoribus in Capitulis Prouincialibus. *Ità Nicolaus III. a.9.* Vbi tamen aduerte, hoc non licere solis Prouincialibus; neque solis Diffinitoribus, sed simul congregatis Ministro Prouinciali & Diffinitoribus. Nec simpliciter congregatis, sed tantum in Capitulis Prouincialibus, sub quibus intelliguntur Congregationes vim Capituli habentes.

CONCLVSIO III.

MInistri Generales reuocare, arctare, & suspendere possunt potestatem Prouincialium & Diffinitorum in admissione Fratrum ad prædicationes. *Ità expressè declarat Nicolaus III. suprà.*

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An qui Fratres ad Prædicationes admittunt teneantur eos examinare?

CONCLVSIO I.

TAm Minister Generalis quam alij, quibus admissio Fratrum ad prædicationes est commissa, tenentur dictos Fratres de idoneitate examinare. *Constat ex Regulæ textu.*

CONCLVSIO II.

NOn est necessarium vt supradicti per se Fratres examinent, sed sufficit vt per alios ità examinati sint, vt de eorum idoneitate constet. Ratio est: quia hoc modo sufficienter seruatur finis præcepti, & aliàs multiplicato Fratrum numero onus nimis graue esset; sufficit enim vt idoneitas personarum sufficienter cognoscatur, super quo conscientiæ admittentium omninò onerantur.

TEXTVS III.

Moneo verò & exhortor eosdem Fratres, vt in prædicatione quam faciunt, sint examinata & casta eorum eloquia.

TITVLVS VNICVS.

De forma congruæ prædicationis.

QVÆSTIO VNICA.

Qualiter Fratres debeant prædicare?

CONCLVSIO.

QVinque conditiones requirit S. Franciscus in prædicatione Fratrum Minorum.

1. Vt sint examinata eorum eloquia. (id est) Debito studio composita, non ex improuiso, temerè, aut sine deliberatione prolata, non noua, non suspecta, non erronea.

2. Vt sint casta: non impudica, non scurrilia, non otiosa, non risum prouocantia, non scandalosa, sed pura, sana, sincera, iuxtà illud Apli: 2. ad Corinth. 2.

Non

Non sumus sicut plurimi adulterentes verbum Dei, sed ex sinceritate, sicut ex Deo, coram Deo, in Christo loquimur.

3. Vt sint ad ædificationem & vtilitatem populi: non ad fastum, & vanitatem, aut quæstum prædicantis.

4. Vt annuntient vitia & virtutes, pœnam & gloriam.(id est) Materiam moralē, & ea quæ ad vitam benè instituendam pertinent.

5. Vt fiat cum breuitate sermonis.(id est) eloquia sint concisa, non extrauagantia, longa, superflua, quæ audientibus tædium pariant.

Alia decernuntur per Canones & Pontificum Decreta. *De quibus vide latè Ioannem Baptistam Confettium in Summario Mater. Priuileg. tit. 16. c, 6. 7. 8. 9.*

IN

IN CAPVT X.

De admonitione & Correctione Fratrum.

TEXTVS I.

Fratres qui sunt Ministri & serui aliorum Fratrum visitent & moneant Fratres suos, humiliter & charitatiuè corrigant eos, non præcipientes eis aliquid quod sit contrà animam & Regulam nostram.

TITVLVS I.

De Officio Prælatorum & Superiorum Ordinis.

QVÆSTIO I.

Quæ sint Officia superiorum Ordinis?

SVPPONO nomine Ministrorum siue seruorum intelligi accommodè omnes Superiores curam animarum & regimen in Ordine habentes, iuxtà rationem curæ ac regiminis sibi competen-

petentis auctoritate ordinariâ vel delegatâ. Quamuis enim vocabulum Ministri frequentius supponat pro Prouinciali, passim tamen ad alios extenditur. *vt alias ex 4. Magistris notaui c. 8. t. 4. q. 2. concl. 2.*

CONCLVSIO.

Qvatuor ferè actibus Pastoralis virgæ officium absoluitur, nimirum Visitatione, Monitione, Correctione, Præceptis. Hæc 4. eodem textu in Regulâ absoluit S. Franciscus: *Visitent* (inquit) *moneant, corrigant, &c. non præcipientes aliquid quod sit contrà animam & regulam nostram.* Ex quo infertur affirmatiuum: *Præcipientes quæ sunt animæ & Regulæ nostræ.*

Porrò horum actuum hæc est ferè substantia. Visitatio dicit cognitionem & inuestigationem necessariam, & vigilantem, vt sciat Pastor, quid cum grege toto, quid cum singulis ouibus agatur. quid eis prosit, quid noceat, quid desit, quid superfluat, &c. Ipsorum enim est vigilare *tamquam rationem reddituri pro animabus.* Ipsorum est; *Heb. 13.* *Attendere sibi & vniuerso gregi in quo Spiritus Sanctus eos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei quam acquisiuit sanguine suo; Non dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo:* *Act. 20.* *1. Pet. 5.* Ne possideant *vasa Pastoris stulti*, & sint in *Zach. 10.* Ordine *Pastor & idolum.*

Monitio

Monitio dicit exhortationem, quæ fit ad defectuosos & ad tepidos. *Neque enim* (vt inquit Pisanus) *debent Prælati si cognoscant subditos defectuosos, eos statim pænitentiâ vrgere vel percutere, sed iuxtà Euangelium inter se & ipsum benignè & humiliter monere, vt dimittat quæ egit, & ad virtuosa agenda assurgat*; Frequenter sanè vinum & oleum piæ monitionis prodest sauciato Samaritano, cui ferrum duræ correptionis noceret. Et prius subditi monendi quam grauius increpandi, vt paterna monitio deliniat eum, quem amara correctio deiiceret in turbationum barathrum.

Correctio fit verbis, vel pœnitentiarum, siue pœnarum mulctis, Quæ vt sit medicinalis, *debet* esse (ait Hugo de Dina) *in verbo humilitas, charitas in affectu. Pater spiritualis & si constanter & rigidè interdum debeat agere, modum tamen humilitatis & compassionis affectum nec in ipso rigore debet deserere, vsque adeò saltem debet esse correctio humilis, vt contumeliâ careat: adeò charitatiua vt odio vel indignatione nihil fiat*. *Præceptum* tangit regimen & ministerium, vt qui monitionibus non ducuntur præceptorum vel prohibitionum legitimarum, loris, & contineantur, & trahantur.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

An Superiores Ordinis teneantur sub peccato mortali ex vi Regulæ subditos visitare, monere, corrigere, &c

CONCLVSIO I.

EX vi Regulæ & speciali eius præcepto non obligantur Superiores Ordinis subditos visitare, monere, corrigere. Ratio est: Quia in isto Regulæ textu nullum includitur præceptum *vt constat ex Nicolao III. & Clemente V. in suis Declarationibus*, qui præcepta, & eorũ vim habentia siue etiam æquipollentia Regulæ referentes, huiusmodi præcepti non meminerunt.

CONCLVSIO II.

IVre diuino & naturali tenenturSuperiores subditos visitare, monere, corrigere, præceptis dirigere, ità vt si ex horum actuum & officiorum defectu, eorumue negligentia, malum aliquod graue subdito; vel relaxatio Ordinis eueniat, aut immineat, iuxtâ rationẽ mali & periculi peccent mortaliter.

Ratio sumenda est ex intrinsecâ ratione Regiminis & curæ animarum; & ex Scripturarum veritate. Legantur terribiles com-

comminationes aduerſus ſpeculatorem conſtitutum ſuper domum Iſrael *Ezech.* 3. *Si*(inquit) *Dominus, dicente me ad impium morte morieris: non annuntiaueris ei neque locutus fueris, vt auertatur à viâ ſuâ impiâ, & viuat; ipſe impius morte morietur, ſanguinem autem eius de manu tuâ requiram.* Iterum: *Sed & ſi conuerſus iuſtus à Iuſtitiâ ſuâ fuerit & fecerit iniquitatem*, &c. *ipſe morietur; Quia non annuntiaſti* ei; &c. *Sanguinem verò eius de manu tuâ requiram.*

Legantur ſimiliter maledictiones quæ *cap.*24.congeruntur contrà Paſtores Iſrael, & vnuſquiſque Prælatus & Superior ſciat ſe, & Speculatorem domui ſuæ conſtitutum, & Paſtorem, eaſque maledictiones eos manere, ſi ſuâ negligentiâ, oſcitantiâ, & puſillanimitate Fratres pereant, & diſciplina Regularis & Regulæ obſeruantia detrimentum patiatur: væ, & millies væ eis, qui ex malitiâ offendiculum ponunt, reformationibus reſiſtunt & puriſſimam aquam Regulæ pedibus turbant vt oues turbatam aquam bibentes, veritatem videre non poſſint.

TITV-

TITVLVS II.
De Præcepto in genere.

QVÆSTIO I.
Quotuplicia ſint præcepta Fratres Minores ſpecialiter concernentia?

MVltiplicia hic debent diſtingui præcepta vt hoc Capitulum Regulæ intelligatur,

Alia enim ſunt Præcepta Regulæ: Alia Declarationum & Conſtitutionum Papalium.

Alia ſunt Præcepta Superiorum per modum ſimplicis mandati.

Alia ſunt Præcepta per modum Statuti, Conſtitutionis ſiue Legis.

Alia inſuper ſunt Præcepta ſecundum Regulam: Alia ſunt Præcepta contrà Regulam: Alia denique ſuprà Regulam: Alia præter Regulam. Quorum omnium ſignificationes ſequentibus quæſtiunculis exponentur.

Non facio hic mentionem de Præceptis Dei, vel Eccleſiæ, quæ vel Chriſtianos omnes, vel Regulares in genere concernunt, quia iſta ad materiæ Regulam non ſpectant.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Quæ dicantur Præcepta Regulæ?

CONCLVSIO.

PRęcepta Regulæ dicuntur quæ in Regulæ decursu seu litterâ continentur, siue sint formalia, siue æquipollentia, siue ea quæ dicuntur habere vim præcepti. Quæ sine dubio, iuxta ea quæ diximus in Proemio, Fratres obligant ad peccatum.

QVÆSTIO III.

Quæ dicantur præcepta Declarationum siue Constitutionum?

PRæcepta declarationum siue Constitutionum Papalium sunt ea quæ in Declarationibus Pontificum *Nicolai 3. & Clementis V.* (quæ solæ modò sunt in vigore, & viridi obligatione) aut quæ in Constitutionibus aliquibus factis vel fiendis pro Ordine imponuntur, de quibus etiam egimus *in Proëmio tit. 1. q. 6. & in c. 4. variis locis.*

QVÆ-

QVESTIO IV.

Quæ dicantur Præcepta Superiorum simplicis mandati?

ILla dicuntur Præcepta Superiorum simplicis mandati, quæ à solo Superiore fiunt propriâ auctoritate, sine dependentia, à consensu vel acceptatione inferiorum. Et hæc tamdiu durant quamdiu durat officium Superioris, nisi antè reuocet vel aliàs constet cum certo actu transire, vel ad certum tempus limitari. Expirante autem officio aut limitatione positâ, statim sine aliâ declaratione expirat.

QVÆSTIO V.

Quid sit præceptum per modum Legis & Statuti?

PRæceptum per modum Legis aut Statuti est quod in Capitulo vel Congregatione fit, & Tabulis inscribitur. Quod vt vim habeat requirit acceptationem maioris partis Capituli; aliàs non obligat.

QVÆSTIO VI.

Quæ dicantur Præcepta ſecundum Regulam, contrà Regulam, præter Regulam, ſupra Regulam?

CONCLVSIO I.

ILla dicuntur Præcepta ſecundum Regulam, quæ vel in Regula continentur, vel ad eorum, quæ in Regula ſunt obſeruantiam omnino diriguntur, & pertinent.

CONCLVSIO II.

ILla dicuntur præcepta contrà Regulam, quæ aduerſantur præceptis Regulæ, & iis quæ ſecundum Regulam præcipiuntur.

CONCLVSIO III.

ILlà dicuntur præcepta ſuprà Regulam, quæ in ſui rigore obligationem omnem Regulæ excedunt.

CONCLVSIO IV.

ILla dicuntur præcepta præter Regulam, quæ ex genere ſuo ſunt indifferentia ad Regulæ obſeruantiam, poſſunt tamen ad illam ordinari: Hic addunt aliqui Præcepta infrà Regulam, quæ minus perfecta videntur quam ea quæ per Regulam ordinantur; vt comedere, corpus reficere, recreari.

recreari. Sed ea cum illis quæ præter Regulam sunt computantur.

Petes 1. Quæ ex his præceptis, prohibentur Superiores imponere. Respondeo tantum prohiberi imponere præceptum contrà Regulam, & contrà animam.

Petes 2. Quod est illud præceptum quod dicitur esse contrà animam? Respondeo illud omne quod vel est peccatum mortale, vel incentiuum & inclinans ad illud. *Ità communiter Expositores.* Qualiter verò alia præcepta imponi possint, aut subditos obligare, infrà dicetur latius.

TEXTVS II.

Fratres verò qui sunt subditi recordentur quòd propter Deum abnegauerunt proprias voluntates. Vndè firmiter præcipio eis, vt obediant suis Ministris in omnibus quæ promiserunt Domino obseruare, & non sunt contraria animæ suæ & Regulæ nostræ.

TITVLVS I.

De Præceptorum Regulæ obligatione & eorum dispensatione.

QVÆSTIO I.

An Transgreßio quorumlibet præceptorum vel æquipollentium Regulæ sit semper mortalis?

IN proœmio Regulę *tit.* 1. *q.* 4. ostendimus Pręcepta Regulę, & ęquipollentia, siue etiam vim pręcepti habentia, ex genere suo obligare ad peccatum mortale. Modò quęstio est; An omnis actus siue transgressio, contra dicta sit mortalis.

CONCLVSIO.

OMnis deliberata transgressio quorum libet pręceptorum, vel ęquipollentium, siue vim præcepti habentium in Regulâ Fratrum Minorum, si fiat extrà totam latitudinem pręcepti, est mortalis, nisi leuitas materiæ excuset. Ratio est, quia qui vouet totam Regulam, vouet eam sub iisdem vinculis, quibus prędicta Regula obligat; sed in pręceptis & ęquipollentibus. &c. obligat ad mortale peccatum (*vt declarat Clemens V.*) ergò in his obligat, ad mortale peccatum.

Dixi (deliberata transgressio) sicuti enim quę fiunt ex subreptione, spiritus anxietate, turbatione, ignorantiâ inuincibili,

bili, inaduertentiâ, & id genus quę plenam deliberationem impediunt, in aliis Legibus diuinis & humanis excusant à mortali peccato; sic quæ huiusmodi deliberatam transgressionem effugiunt in pręceptis Regulæ à peccato mortali excusare non est dubium.

Dixi (præceptorum & æquipollentium &c.) quæ enim sub verbis monitoriis proponuntur, sicut non obligant, sic eorum transgressio non est peccatum, nisi fortè qua parte per aliud pręceptum diuinum vel humanum aliquandò obligationem inducunt.

Dixi (si fiat extrà totam latitudinem pręcepti) quod fieri censetur, quando & contrà pręceptum fit inexcusabiliter, & contrà totum finem pręcepti: Pro quibus duas Regulas ponit Corduba.

1. Quandò quis transgreditur pręceptum bono animo putans se habere causam probabilem & sufficientem, excusantem eum ab obseruatione præcepti, aut saltem à transgressione mortali, non peccat mortaliter: *Ita corduba hoc c. q. 3.* Ex. gratiâ: Putat quis se habere sufficientem necessitatem & causam equitandi, portandi calceamenta, non ieiunandi, & si à parte rei talis omninò non sit, non peccat mortaliter. Ratio

 est

est quia potest sequi iudicium probabile in præceptis istis, non minus quam in humanis & diuinis.

Aduerte tamen tria requiri vt ex tali opinione quis possit securè procedere.

1. Vt opinio illa siue existimatio non proueniat ex ignorantiá crassâ vel negligentia, sed sit moralis, & probabilibus rationibus innitatur.

2. Quod qui operatur eâ animi dispositione sit, vt si peccatum aduerteret, nollet verè operari, aut periculo transgressionis se exponere.

3. Vt de suâ probabilitate iudicium practicum sibi formet; quod his verbis explicari posset.

Licet mihi hic & nunc hanc opinionem probabilem sequi. Tunc enim in suá operatione liberè procedere potest, & si nonnullæ dubitationes speculatiuæ in intellectu remaneant. *Vide quæ de dubio practico & speculatiuo docent Theologi.*

2. Regula: Quandò per contrariam operationem non tollitur finis præcepti, aut eius substantia, licet quis operetur contrà verba precepti, non peccat mortaliter. Ratio est: quia obligatio legis sumitur ex intentione Legislatoris: nõ censetur autẽ Legislator intendere, ità præcisè obligare ad lit-

litteram prę̧cepti, si aliàs alio modo finis prę̧cepti acquiri possit. Quod & in lege diuinâ clarum est: Sic enim prę̧ceptum de dolore de peccatis, suppletur interdum per actum superiorē amoris Dei super omnia: & præceptum de correctione fraternâ sufficienter impletur, si aliis modis ab iis quę in Euangelio requiruntur, procuretur emendatio Fratris, vt per ablationem occasionis, per vinculum alicuius necessitudinis, absque amaritudine correptionis.

Eodem modo in Regulæ Præceptis: Ex. g. præcipitur Ministris vt examinent venientes à sæculo de Fide catholica, &c. Si Superiori aliunde constet absque examine venientem à sæculo esse fidelem & Catholicum, sicut frustrà interrogaret, sic interrogare non tenetur. Similiter ei qui paratus est, & toto corde cum feruore fertur, vt omnia bona sua det pauperibus; non tenetur dicere verbum S. Euangelij. *Vide quæ ibi diximus.*

Dixi autem (quandò non tollitur finis præcepti vel eius substantia) propter aliquos modos adiacentes præceptis, qui interdum sine graui detrimento præcepti relinqui possunt, absque periculo mortalis peccati. Sic qui in Præcepto de diuino Officio substantiam seruando, modos aliquos,

 Ordi-

Ordinem aut Cæremonias Romani Officij mutaret, aut relinqueret, non peccaret mortaliter, *vt ibi diximus.* Quomodò etiam crederem multos modos in recursu ád pecuniam traditos, non obligare ad mortalè, si modo substantia præcepti seruetur, vt verè Fratres non recipiant pecuniam, nec aliquam in illam administrationem vel dispensationem, aut vsum habeant:

Dixeram etiam in Conclusione generali (nisi leuitas materiæ excuset) leuitas enim materiæ sicut in diuinis & humanis legibus, sic in Regulæ præceptis excusare nemini dubium est. Leuitas autem materiæ iudicio prudentis pensanda & libranda est. Quomodò non crederem peccare mortaliter qui sine necessitate legitimâ calceamenta per vnam aut alteram horam aut diem vnum portaret: Similiter qui sine necessitate ad vnam leucam (secluso scandalo) equitaret. Portare enim calceamenta siue calceari, aut equitare dicunt aliquam moralem continuationem alicuius temporis.

QVÆ

QVÆSTIO II.

An Papa possit dispensare in præceptis Regulæ Fratrum Minorum?

CONCLVSIO I.

SVmmus Pontifex poteſt diſpenſare in omnibus Regulæ præceptis. Ratio prima eſt: quia omnem Regulæ obligationem tollere poteſt, & vt Regulæ Approbator totam Regulam infirmare poteſt, ergò multò magis in nonnullis diſpenſare. 2. ratio eſt: quia poteſt diſpenſare in votis, ergò multò magis in præceptis. Denique ſicut poteſtatem ligandi habet, ſic poteſtatem quodcumque ſoluendi.

CONCLVSIO II.

ET ſi Pontifex in Regulâ diſpenſaret: Fratres Minores non tenerentur acceptare diſpenſationem. Ratio eſt: quia diſpenſatio Priuilegium eſt, nemo autem tenetur priuilegio vti: quomodò frequenter Patres Ordinis & Reformati recuſauerunt nonnulla Priuilegia diſpenſatiua Regulæ: & vt S. Clara renuntiauit Priuilegium quod de poſſeſſionibus ei *Gregorius IX.* offerebat.

Aduerte tamen, quod ſi diſpenſationi

Pontifex adderet præceptum; tunc Fratres Minores obedire tenerentur, quos S. Franciſcus pedibus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ per omnia ſubiecit.

CONCLVSIO III.

NVlla diſpenſatio Pontificia in præceptis Regulæ, modò in Ordine eſt recepta. *Hanc Concluſionem latè probauimus in Proëmio tit. I. q. 7. vbi etiam Bulla Vrbani VIII. poſita eſt, annullantis omnia priuilegia, quæ contrà Regulæ puritatem impetrata fuerant.*

Dices: Pontifices, *Nicolaus III. & Clemens V.* multa in ſuis Declarationibus poſuerunt quæ rigorem præceptorum Regulæ relaxare videntur: ergò in rigore præcepti diſpenſarunt; quorum tamen diſpenſationes in vſu ſunt. Antecedens probatur: ſic enim præceptum de recurſu ad Amicos ſpirituales, ad ſolos Miniſtros & Cuſtodes reſtrictum, ampliauit ad eos, quibus à prædictis committeretur: & neceſſitates ad infirmos & Fratres induendos in Regulâ coarctatas, ad alias ſimiles neceſſitates pro tempore occurrentes extenderunt. Et alia multa his affinia in iſtis Declarationibus reperiuntur. Reſpondeo negando conſequentiam. Quæ enim iſti Pontifices addiderunt in præceptis per modum

dum ampliationis aut extenſionis: non tam diſpenſationes ſunt, quam explicationes mentis Fundatoris, ſiue legis interpretationes & Epikeiæ rationabiles. Papa enim vt ſupremus Legiſlator, omnes leges & legum ſenſus, velut in ſcrinio cordis continet. quos dubitantibus ſuo tempore aperit. *Vide quæ diximus in Proemio tit.* 1. *q*.4. *ibi. Secunda pars Concl. & tit.* 2. *q*.2.

QVÆSTIO III.

An Superiores Ordinis poßint diſpenſare in præceptis Regulæ?

HIc accuratè diſtinguendum eſt de interpretatione Legis & Præcepti, & de Diſpenſatione. Hæc enim ſicut omnimodè diſtincta ſunt, ſic diſtinctim in praxim veniunt, ex quorum terminorum ignorantia, & ſcrupuli, & tranſgreſſiones non rarò naſcuntur. Vt igitur tollantur opinionum abuſus, aduertant omnes.

1. Interpretari legem in propoſito nihil eſſe aliud, quam conſideratis rebus, & rerum omnibus circumſtantiis, declarare rationabiliter legem in ſingulari caſu non obligare. Quomodò *Mathatias l.* 1. *Machab. c.* 2. declarauit legem de Sabbatho ſeruando, non obligare quo minus pugnare poſ-

poſſent contrà inimicos eo die inſurgentes: cum tamen plurimi Iudæorum eiuſmodi ſcrupulo turbati, ſe permiſiſſent in Sabbatho interfici. Quomodò præceptum, *Non furaberis:* declaramus non obligare, vbi de extremâ neceſſitate agitur, & de vitæ periculo, ſicque de aliis multis.

2° Diſpenſare in lege & præcepto, eſt per auctoritatem legitimam, legem, ſiue præceptum obligans de facto relaxare. Vnde hæc eſt diſtinctio inter diſpenſationem & interpretationem: quod diſpenſatio legem obligantem relaxet, interpretatio declaret non obligare.

CONCLVSIO I.

LIcet Superioribus præcepta Regulæ Fratrum Minorum interdum interpretari, vt in certis caſibus non obligantia. Ratio eſt: quia Superiores ex vi ſui Superioratus ſvnt *lex viuą*, quæ eſt moderatrix legum mortuarum, ſiue conſtitutionum. Sunt Diſpenſatores fideles ad Deum, prudentes ad proximum. Sunt vt ait Ariſtoteles Ἐπιεικεῖς, id eſt, Interpretes legum generalium, ſecundum applicationes ad caſus particulares.

Porrò hæc interpretatio debet fundari in æquitate iuſtitiæ, vnde & Pſalmiſta di-
Pſal. 118. cit Deo: *Omnia mandata tuą æquitas.* Et communi

muni axiomate dicitur: *Leges cupiunt, vt iure regantur.* Aliàs enim frequenter in casibus particularibus iniustitia committeretur. Vnde per Sapientem dicitur: *Noli esse iustus multum.* Et Comicus ait: *Summum ius est summa iniustitia.* Frequenter enim ex bono & æquo à seueritate præcepti & litteræ recedendum est, ne iniquè impingamus. Causæ verò duæ potissimum sunt eiusmodi æquitatis seu iustæ interpretationis, Eccl.7.

1. Necessitas personæ operantis: sic si Frater Minor inter Turcas, Hæreticos, & Barbaras nationes sine vsu & receptione pecuniæ non inueniens victum periclitaretur: Interpretari potest Superior eum mittens, non obligari præcepto de non recipiendo pecuniam. Sic interpretatur Superior Fratrem morbo laborantem non teneri ad Officium diuinum: pluribus tunicis vti posse, calceari posse, equitare posse, &c. Qui enim hæc in tali casu faciunt dispensatione non vtuntur: sed ex interpretatione, præceptum eos in similibus casibus non obligat. Quod valdè aduertendum est propter ignorantias & errores plurimorum, qui putant quamcumque calceationem, equitationem, vsum plurium tunicarum, comestionem in die-

bus

bus ieiuniorum, &c. esse dispensationem. Falsum est enim; nam qui in necessitate hæc faciunt, nihil contrà Regulam faciunt, sed iure suo vtuntur, quia in his particularibus præcepta Regulæ eos non obligant. Quomodò dixit *Nicolaus III. a. 2. §. Nec quisquam*; Fratres *iure poli* posse: & per pecunias, & per quosuis alios modos in extremâ necessitate sibi de necessario victu prouidere.

2. Causa æquitatis est: concurrentia alterius præcepti: vbi enim duo præcepta concurrunt quæ simul executioni mandari non possunt; maiora debent præponi minoribus, Naturalia Positiuis, Diuina Humanis ex æquitate.

Sic Frater Minor ex præcepto charitatis, aut iustitiæ, obligatus hic & nunc succurrere proximo; cui non potest succurrere saluo Regulæ ieiunio, Officio diuino, imò & pecuniæ vsu: non tenetur hic & nunc dictis suæ Regulæ præceptis, sed tenetur proximo subuenire siue satisfacere præcepto charitatis siue iustitiæ. Ratio est, quia hæc sunt præcepta diuina: præcepta autem Regulæ sunt humana. Et ad has ferè causas omnes interpretationes reduci possunt.

Petes: An solus Superior possit legem

ſiue præceptum interpretari. Reſpondeo 1. Ex vi officij & muneris ſolus Superior poteſt legem interpretari. Ratio clara eſt; quia legis interpretatio ei competit ſoli qui legiſlatorem in caſibus particularibus repræſentat.

Reſpondeò 2. In anxietate vbi ſuperior non addeſt, & neceſſitas vrget operandi, poteſt quilibet vti Epikeiâ ſiue legis interpretatione.

Dixi (in anxietate) ſi enim nulla ſit anxietas, nec videtur ratio interpretationis ſubeſſe.

Dixi (vbi Superior non adeſt) ſi enim commodus daretur ad eum recurſus, neceſſariò ad eum recurrendum eſt.

Dixi (& neceſſitas vrget operandi) ſi enim nulla ſit operandi neceſſitas, tunc oportet potiùs actionem dimittere, quam ex legis interpretatione operari.

Ex his patet ad ſerenandas conſcientias ſcrupuloſas, quam prudentes debeant eſſe Superiores, & quantâ charitate præditi, vt præcepta benignè interpretentur, ob rigorem enim frequenter animas præcipitant, & quia *nimis emungunt, eliciunt ſanguinem,* ac pro pietate paſtorali, in humanitate quadam ex zelo indiſcreto in ſubditos armantur.

CON-

CONCLVSIO II.

POssunt etiam Superiores in aliquibus Regulę præceptis ex causa rationabili dispensare. Ratio est, quia dispensatio est actus officij Pastoralis, quæ eo vsque conceditur, quo non est per Superiorem restricta.

Dixi (ex causâ rationabili) sunt enim dispensatores, non dissipatores, dissipare verò conuincuntur qui sine rationabili causâ dispensant.

Petes 1. Quæ sint causæ iustæ, & legitimæ dispensationis?

Respondeo duas esse potissimas: Prior: Spiritualis vtilitas dispensati vel communis aliorum: Posterior necessitas corporalis dispensati, vel communis imminens, vel probabilis aliorum.

Spiritualis vtilitatis exempla sunt: vt si quis sit magnæ contemplationis, qui diuina patiatur & extraordinaria, quæ corpus debilitant, etsi posset ieiunare, nudis pedibus ambulare, illa omittendo vel moderando: potest Superior cum illo dispensare ob fructum & vtilitatem animæ eius, quam ex similibus haurit vel haurire potest: similiter videt Superior Religiosum scrupulosum, qui pluries in die ex scrupulositate repetit suum officium, & in cæteris

totus

totus turbatur, poteſt ob vtilitatem ſpiritualem eius cum illo diſpenſare in Officio diuino, vt ad quietem redeat, & interiorem pacem.

Quoad vtilitatem verò ſpiritualem aliorum: poteſt Superior diſpenſare cum Fratre ne legat horas, quia à mane vſque ad veſperam debet vacare Concionibus, Conſiliis, Confeſſionibus audiendis, quibus ſi non vacaret, animæ plurimorum iacturam paterentur.

Exempla neceſſitatis corporalis in diſpenſato: vt ſi diſpenſet Superior cum Fratre, vt horas non legat, quia corporali valetudini officiunt. Exemplum in aliis: vt ſi Superior cum Fratre Infirmario diſpenſet in ieiunio, calceamentis, equitatione, &c. non quia perſonaliter indiget; ſed vt infirmorum neceſſitatibus plenè ſatisfacere poſſit. Et alia exempla excogitari poſſunt.

Petes 2. An in omnibus Regulæ præceptis diſpenſare poſſint Superiores? Reſpondeo ex S. Bonauentura tres eſſe claſſes præceptorum in Regula: Alia enim ſunt præcepta manifeſta & eminentia, vt ſunt octo inhibitoria principalia & id genus; & in hæc nulla cadit diſpenſatio auctoritate Superiorum. Quod patet ex ipſis verbis abſolutis vt: *Præcipio firmiter Fratribus vniuer-*

uersis vt nullo modo denarios vel pecuniam recipiant, &c. *Item: Nullo modo licebit eis de ista Religione exire.* Item: *Præcipio firmiter Fratribus vniuersis ne habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum*, &c.

Alia sunt primaria æquipollentia, in quæ similiter auctoritate Superiorum non cadit dispensatio. Vt: *Quod vniuersi Fratres teneantur habere Generalem Ministrum totius Fraternitatis*. Item: *Quod teneantur deposito Generali alium eligere in Custodem*. Ratio verò eius est, quia horum dispensatio magnā causaret confusionem, & deordinationem in Ordine.

Alia denique sunt æquipollentia, siue vim præcepti habentia, quia necità rigorosè præcipiuntur, nec videntur ad commune religionis bonum ità spectare; & in illis dispensare Superiores possunt ex causa rationabili, & in casu particulari. Ratio est, quia hæc videntur pertinere ad auctoritatem Pastoralem, vt moderatè pascere possint gregem suum.

Talia sunt: *Quod Fratres non habeant plures tunicas duabus.*

Item: *Quod Fratres vestimentis vilibus induantur.*

Item: *De calceamentis, de diuino officio secundum Ordinem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ*, & simi-

ſimilibus, pro quibus omnibus ſit hæc Generalis Regula.

REGVLA GENERALIS.

IN *Præceptis Regulæ in quibus ex rigore verborum, vel ex materia nimis graui concernente bonum commune, non colligitur reſtricta auctoritas, poſſunt Prælati Ordinis diſpenſare.* Ratio eſt, quia diſpenſatio eſt legum ſiue præceptorum in caſu particulari quædam mitigatio, ſiue Paſtoralis relaxatio, ergò vbi non apparet ex rigore verborum, vel materia ſubſtrata, in communi regimine grauis deordinatio, poteſt moderatio Paſtoralis illa vti, ſi ratio & cauſa particularis id poſtulet.

REGVLÆ DISPENSATIONVM PRO PRÆLATIS.

PRima: *Prælatus niſi exiſtente cauſa rationabili (etſi non neceſſaria) non diſpenſet.*

Secunda: *Non diſpenſet niſi in caſu certo, & in particulari, ne legem tollat & confuſionem pariat.*

Tertia: *Conſideret perſonam cum qua diſpenſat: ſi enim perſona eſt nimis feruens, cui & feruor nouitius, & zelus vehemens, ſed non ſecundum ſcientiam ineſt, inuita etiam interdum cogenda eſt vti diſpenſationibus. Sin perſona nimis*

mis flaccida & tepida est, nonnisi cum magnâ discretione ei dispensatio est concedenda.

Quarta: *Verecundos interdum dispensatione præueniat; nimis audaces ad petendas dispensationes retundat.*

Quinta: *Oculum duplicem dispensans habeat, alterum ad commune bonum, alterum ad particulare eius qui dispensatur.*

Sexta: *Commune bonum Religionis semper præferatur, particulari bono subditi. Vnde si dispensatio noceat grauiter communi bono Religionis, & deordinationem grauem causet, denegetur: Si verò ad solum bonum subditi particulare pertineat, sine detrimento communis poterit concedi.*

Septima: *In dubio de periculo personæ quærentis auxilium, vel de deordinatione aliqua Religionis: potius condescendat fragilitati personæ, quam dispensationem neget timore relaxationis Ordinis.* Ratio est, quia vnius particularis relaxatio in singulari casu parum nocere potest Ordini: & alias si quod inde malum Religioni oriretur, facilius restaurari potest in communi rigore, quam personæ sanitas restitui. Et iuxtà commune Prouerbium: *Melius est de nimia pietate, quam de nimia seueritate redargui.*

Octaua: *Superior in dispensationibus caueat ne metiatur alios suo pede*: vt quia fortis & durus,

durus, aliis ſecundum ſuas baſes ſeu vires ſit debito rigidior & auſterior: ex alterâ parte ne quia debilis eſt & infirmus, aliis ſit nimis compaſſiuus. Sed magis in omnibus attendat neceſſitatem perſonæ, circa quam diſpenſatio facienda eſt.

Nona: *Fratres maximè ſcrupuloſos, non tantum non remittat ad rationem ſuæ conſcientiæ, ſed abſolutè diſpenſet, nec eorum ratiocinationes curet.* Alioquin poteſt facilè fingere ſibi ipſi quilibet phantaſticus ſine numero rationes: nihil enim eſt inargumentabile. Et procedit nonnumquam vſque adeò corporis inualetudo cum perturbatione cerebri, quod valdè leſum eſt rationis iudicium. *Et iuxtà S. Hieronimum: Magis indigent fomento Hypocratis, quam noſtris monitis.* Et eò periculoſius infirmantur, quod ſuam miſeriam non agnoſcant.

Decima: *Prelatus non in ſua confidat prudentia, ſed per orationem ſedulam commendet gregem diuinæ gratiæ, & confidat quod diuina vnctio docebit eum de omnibus.* Hæc omnia ferè ex *Gerſone in tract. de perfectione ac moderamine Religionis.*

TITVLVS II.

Dē Præceptis Declarationum Papalium.

QVÆSTIO VNICA.

An sint aliqua Præcepta in Declarationibus Pontificum quæ Fratres Minores obligent ad peccatum mortale?

CONCLVSIO I.

NVlla sunt præcepta particularia in Declarationibus Pontificum quæ Fratres Minores obligent ad peccatum mortale, præter ea quæ purè explicant Regulæ obligatoria, vel in eis virtute continentur. *Vide quæ diximus tit.* 1.*q.*6.*concl.*2.

CONCLVSIO II.

MOdi ad præceptorum obseruantiam meliorem à Pontificibus in Declarationibus suis additi non obligant ad mortale peccatum, si aliàs substantia præcepti seruetur. *Ità Corduba hoc c. q.* 3.*p.* 4. Ratio est, quia ista exemplificatiuè tantum adduntur, vt sereniores reddantur conscientiæ: Aliàs si modi æquè securi occurrant ad obseruantiam præcepti, ad illos modos non adstringimur. Quod exemplificari

ficari poteſt in multis modis qui à Pontificibus aſſignantur in recurſu ad pecuniam, qui quidem ſeruandi ſunt, quia certiores & à Sancta Sede approbati: non tamen ità ſtrictè, quin ſi æquè certi occurrant, illis vti poſſumus aliis relictis. *Vide quæ diximus in hac materia in Cap. 4.*

TITVLVS II.

De Præcepto Superiorum.

QVÆSTIO I.

An Superiores poſsint ſubditis imponere aliquod præceptum ad mortale obligans, præter ea quæ in Regula continentur?

CONCLVSIO I.

POſſunt Superiores Fratrum Minorum imponere aliqua Præcepta obligantia ad mortale, pręter ea quæ in Regulâ continentur. Ratio ſumenda eſt ex poteſtate regiminis, & obedientia vouentis. Eſtque communis & irrefragabilis doctrina omnium qui de Legibus tractant.

CONCLVSIO II.

AD hoc, vt Superiores talia præcepta imponant, requiritur materia

 gra-

grauis. Ratio eſt, quia poteſtas Superioris ordinata eſt, & rationabilis; adeòque ſicut lex iuſta eſſe debet, & ſequi Regulas æternæ veritatis & rationis, ſic præceptum Superioris nec iuſtitiam excedere debet, nec Regulam rationis.

QVÆSTIO II.

Quæ dicatur materia grauis?

CONCLVSIO I.

Materia grauis in Superiorum præceptis illa cenſenda eſt, quæ refertur ad auertendum aliquod graue malum vel perſonale, vel Religionis, aut alicuius Communitatis: aut conſeruandum neceſſarium bonum perſonæ vel Religionis.

Dixi (ad auertendum aliquod malum, vel conſeruandum bonum, &c.) Non enim credo Superiorem poſſe poſitiuè aliquid præcipere ſub peccato mortali vltrà obligationes Regulæ quod tantum reſpicit liberam promotionem boni. Et in hoc ſenſu intelligo illud *Sancti Bernardi lib. de diſpenſat. & Præcepto: Nihil præcipiat mihi Prælatus eorum, quæ non promiſi, nihil prohibeat eorum quæ promiſi, nec augeat nec minuat votum meum.* Ratio verò eſt, quia non poteſt me obligare vltrà votum meum.

Dixi

Dixi (Superiorem non poſſe præcipere &c) Poteſt enim Capitulum inſtituere aliquod ieiunium, quod obligat ad peccatum mortale ob grauem cauſam Eccleſiæ vel Religionis, ſed tunc non tam poteſtas Superioris operatur, quam conſenſus Religionis, in Capitulo velut corpore congregatæ, acceptantis nomine totius huiuſmodi obligationem.

Petes, cur magis poteſt Superior aliquod præceptum imponere ad auertendum malum vel conſeruandum bonum, quam ad promouendum aliquod bonum. Reſpondeo: Quia ex vi Paſtoralis ſollicitudinis tenetur auertere mala ab ouibus, & ouile ſuum integrum ſeruare: Promotio autem boni altioris ſequitur ouium puram libertatem, iuxtà quam: *Nemo inuitus cogitur creſcere.*

CONCLVSIO II.

MAteria grauis debet penſari ex circumſtantiis mali à quo præceptum auertit, vt cenſeatur præceptum ad peccatum mortale obligare, non verò ex ſolâ naturâ rei. Ratio eſt: quia malitia pendet frequentius ex circumſtantiis quam ex reipſa. Explico exemplo: Intrant Fratres domum aliquam ſuſpectam, ex quo ingreſſu vicini ſcandalizantur, licet Superiori prohibe-

hibere ſub peccato mortali huiuſmodi ingreſſum, etiam ſi per ſe leuis materia videatur.

Item; Ex communi libertate bibendi, & comedendi in Ciuitatibus, Fratres religioſam diſciplinam relaxauerunt, viles facti ſunt & deſpecti ob notatas inutiles conuerſationes, ſenſualitates Religioſis non conuenientes, ebrietates, libertates, &c. Licet Superiori ſub peccato mortali prohibere, ne quis bibat aut comedat in Ciuitatibus, & ſimilia in cauſâ Religionis paſſim occurrunt.

In perſonalibus autem: Poteſt ſimiliter vni Religioſo Prælatus prohibere ſub peccato mortali talem conuerſationem, ingreſſum domus imò cellæ alterius, ob periculum aliquod graue quod nouit.

Item libidinoſo Religioſo imponere ieiunium ſub peccato mortali ad auertendam ſibi cognitam laſciuiam mortalem &c.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

Quæ requirantur vt præceptum Superioris censeatur obligare ad peccatum mortale?

CONCLVSIO I.

VT præceptum Superioris censeatur obligare ad peccatum mortale duo requiruntur,nimirum:Intentio præcipientis cognita, & Materia grauis. *Est communis sententia*: Ratio est,quia præceptum habet vim ab intentione, virtus autem intentionis in obiecto & materiâ fundari debet. Vnde nec intentio est sufficiens si materia deficiat, nec materia sufficere potest ad peccatum mortale, nisi intentio illam determinet.

Dixi (intentio præcipientis cognita): quamdiu enim intentionem Superioris quoad obligationem non noui, aut nosse non debeo: tamdiu non obligor, quia melior est conditio possidentis suam libertatem: Dixi(aut nosse non debeo)ob eos qui sibi adblandiuntur variis ratiocinationibus suis.

Aduerte tamen non sufficere subditum scire

ſcire voluntatem Superioris eſſe, vt præceptum etiam in materia graui executioni mandetur, ad hoc vt peccatum mortale incurrat, ſed prætereà requiri vt ſciat intentionem & voluntatem eſſe ſuperioris ad mortale peccatum obligare.

Petes 1. Vnde cognoſcet Subditus intentionem Superioris obligare ad peccatum mortale? Reſpondeo 1. Si illud expreſſè ſignificet. 2. Si per obedientiam præcipiat, aut ſub pœnâ excommunicationis. 3. Ex nimiâ grauitate materiæ, cuius præceptio ferè ex natura ſua talem intentionem ſupponat.

Petes 2. Quid ſi dubitetur de materiæ grauitate. Reſpondeo in hoc præſumendum ſemper eſſe de iudicio ſufficiente Prælati præcipientis, qui non præciperet ſub tanto rigore, niſi materiam grauem iudicaret. Plura enim frequenter in materiâ præceptorum nouit Prælatus, quam omnes inferiores, quibus nec poteſt edicere anxietates animi ſui. *Et vt ſapiens Eccleſiaſtis 2. Sapientis oculi in capite eius, ſtultus in tenebris ambulat.* Quamuis ſemper inferiores in contrarium præcepta interpretentur iuxtà illud *Prou: 26. Sapientior ſibi piger videtur, ſeptem viris loquentibus ſententias.* Itaque in dubiis vbi manifeſtè contrarium non conſtat

ſtat, neç Præceptum Prælati contemnere licet, nec peruerſè interpretari. Vide Epiſtolam S. Bernardini de qua frequenter *a.* 7.

TITVLVS IV.

De Obligatione Statutorum Ordinis.

QVÆSTIO VNICA.

An Statuta Ordinis obligent ad culpam mortalem?

CONCLVSIO I.

STatuta Ordinis poſſunt aliquandò obligare ad culpam mortalem. Ratio eſt, quia ſi Superior poteſt ſolus obligare ad culpam mortalem, multò magis ipſe cum toto corpore ſiue Capitulo, in quo Statuta conduntur & recipiuntur.

CONCLVSIO II.

NVllum Ordinis ſtatutum obligat ad culpam mortalem vel venialem ex vi Ordinationis ſuæ, niſi per verba explicita vel æquipollentia exprimatur. Ratio clara eſt ex ipſis terminis, Quia nemo obligatur ad legem niſi eo modo quo ei eſt propoſita,

ta, ſuppono autẽ non proponi ſub peccato.

Dixi (niſi per verba explicita vel æquipollentia exprimatur): tunc autem exprimitur quando vel explicitis terminis culpa mortalis determinatur, vel per Sanctam Obedientiã aut ſub pœnâ excommunicationis latæ ſententiæ præceptũ imponitur.

Aduerte autem omnia Statuta quæ obligabant ad culpam antè Sixtum IV. abrogata eſſe quoad hanc obligationem ab eodem per Bullam quæ incipit: *Circumſpecta Sedis*, &c. Si aliqua tamen ſimilia poſteà emanauerint & ſub poſterioribus aliquibus reuocationibus non contineantur, ſine dubio obligant, cùm Pontifex poſterioribus Statutorum Conditoribus manus Paſtoralis poteſtatis ligare non potuerit.

TITVLVS V.

De Præceptorum, contra, præter, ſupra Regulam, obligatione.

QVÆSTIO I.

An Præcepta contrà Regulam obligent?

CONCLVSIO I.

SIcut non poteſt ſub peccato mortali iuxtà materiæ grauitatem Superior aliquid

quid præcipere contrà Regulam: ſic quidquid præcipit contrà Regulam obligare non poteſt. *Patet Concluſio ex textu Regulæ* & ex ipſis terminis.

CONCLVSIO II.

VBi ſubditus dubitat de præcepto an ſit contrà Regulam, tenetur ſtare iudicio Superioris. Ratio eſt: quia vt diximus ſuprà: Superior eſt lex viua & loquens, cui adhibenda eſt fides, vbi de contrario manifeſtè non conſtat. Teneturque ſubditus in operatione deponere dubium, niſi ex ſuperbia & præſumptione ſe velit præcipitare in peccatum, vel eius periculum proximum.

Simili modo concludendum eſt de Præcepto contrà animam, & idcircò doctrina inutiliter non eſt repetenda.

QVÆSTIO II.

An præcepta ſuprà vel præter Regulam facta obligent?

CONCLVSIO.

PRæcepta in materia quæ eſt ſuprà vel præter Regulam, ſi imponantur ad malum Religionis vel particularis perſonæ auertendum, vel bonum Religionis, ſiue

eitam

tionabiles causas: quia si in præcepta aliqua ex debito Pastoralis officij cadat dispensatio, multò magis dispositio libertatis in rationabili causa. Istius generis libertates sunt sequentes. *Quod Fratres repetiare possint vestimenta: quod possint si voluerint duas tunicas habere: quod possint de omnibus quæ apponuntur eis manducare: quod Ministri possint suos Fratres, si eis expedire videbitur semel ad Capitulum conuocare. Item de libertate ieiunij Epiphaniæ.* In quibus omnibus certum est posse interdum indiscretionem contingere, quæ vel Religioni, vel particulari Fratri officeret, aut incongruentiam causaret: ratione cuius Prælatus non tantum posset, sed etiam obligaretur libertatem tollere. *Vide quæ diximus in singulis locis.*

REGVLA II.

QVædam libertates ità bonum Religionis vel animæ subditi tangunt, vt sine inordinatione & detrimento tolli non possint. Et hæ sub prohibitionem Superioris non cadunt. Tales sunt sequentes: *Quod tempore manifestæ necessitatis non teneantur Fratres ieiunio corporali: quod, si quis non possit Regulam spiritualiter obseruare, ad suos Ministros possit recurrere. Quod, qui voluerint ire inter Saracenos & alios infideles, petant licentiam à suis Ministris Pro-*

uincialibus. Ex quarum libertatum executione nihil inordinatum nasci potest, & aliundè ab earum executione magnum bonum pendet.

CONCLVSIO II.

DIspensationes præceptorum Regulæ, & multò magis Constitutionum in casu particulari ex rationabili & iustâ causâ possunt imponi à Prælatis sub pręcepto, & impositę obligant. Ratio est, quia dispensatio est actus Pastoralis, non tantum vtilis gregi, sed etiam aliquandò necessarius, ergò saltem vbi necessarius iudicatur, imponi sub pręcepto potest, subditus obedire tenetur, ne se pręcipitio superbię exponat & grauissimis periculis. *Vide Gersonem suprà tract. de perfectione & moderamine Religionis.*

TITVLVS VI.

De Obedientia Subditorum.

QVÆSTIO VNICA.

In quibus teneantur Fratres Minores Superioribus obedire?

CONCLVSIO.

TEnentur Fratres Minores obedire in omnibus quę Superiores legitimè prę‑

prçcipere poſſunt, ſiue prçcipiunt, & eo modo quo prçcipiunt. Concluſio patet ex omnibus ſupradictis: Correlatiua enim ſunt Prçcipere & Obedire: in iis ergò quç prçcipere poſſunt, ſi actu prçcipiant ſubditus obedire tenetur.

Obedientia igitur Fratrum Minorum duobus tantum clauditur terminis: *contrà animam, contrà Regulam.* In cçteris omnibus quç manifeſtè, aut contrà animam, aut contrà Regulam non ſunt, obedire tenentur. Hæc ruminet qui legit, & quæ in ſuperioribus titulis dicta ſunt applicet.

CAVTELÆ.

1. Sit igitur Superior in Ordine Fratrum Minorum in præcipiendo, prohibendo, diſpenſandq́ circumſpectus: non cæcus, non luſcus, non monoculus, non improuidus, ſed videns clarè, rectè, oculóque vtroque attendens, quid Religio poſtulet; & quid infirmitas Fratris.

2. Attendat vt non alliget onera grauia humeris aliorum, quæ nolit vel digito leuare.

3. Inferiores vnicum attendant quod in Regula dicitur: *Quia propter Deum abnegauerunt proprias voluntates*; ſi proprias voluntates, conſequenter propria iudicia, pro-

prias opiniones, quę sunt motiua propriarum voluntatum, & amoris proprij semina.

TEXTVS III.

Et vbicumque sunt Fratres qui scirent & cognoscerent se non posse Regulam Spiritualiter obseruare, ad suos Ministros debeant, & poßint recurrere.

TITVLVS VNICVS.

De recursu ad Ministros pro Regulæ Obseruantia.

QVÆSTIO I.

Quæ requirantur, vt subditus teneatur recurrere ad Ministros pro Regulæ Obseruantia?

CONCLVSIO.

DVo requiruntur vt Fratres obligentur recurrere ad Ministros. Prius: vt in loco spiritualiter Regulam obseruare non possint. Posterius: vt huiusmodi impossibilitatem verè sciant & sine tergiuersatione cognoscant.

Petes 1. Quandò censeantur Fratres non

non poſſe Regulam in loco ſpiritualiter obſeruare? Reſpondeo ex Patribus generaliter, tunc non poſſe ſubditum in aliquo Conuentu ſiue loco, Regulam ſpiritualiter obſeruare: quando ratione loci, vel eorum quæ in loco ſunt, contrà animam & Regulam, ac eius puritatem peccare cogitur, vel propter incentiua eſt in continuo periculo peccandi. Nam iuxtà Expoſitores, ille Regulam ſpiritualiter non obſeruat, qui vel impurè obſeruat vel peccaminoſè.

Porrò diuerſi caſus ab Expoſitoribus referuntur: vt, ſi loco eſt annexa proprietas: ſi domum inhabitant Fratres, reclamante proprio Domino: ſi cura animarum ſit annexa, vel pueros baptizandi (*quod intellige continuò & velut ex obligatione, ſi enim tantum aliquoties vel ad aliquod tempus ex charitate, abſente Parocho pueri baptizandi eſſent, non eſt contrà Regulæ puritatem*). Si in loco oporteat facere quæſtus inhoneſtos vel impuros, vt pecuniarum, &c. Item, ſi in loco ſit ſocietas praua mulierum quæ ſit incentiuum peccati, quod etiam intellige ſi ex ſocietate mala Fratrum inhabitantium aliquis pelliceretur ad peccandum. Et alij caſus contingere poſſunt iudicio prudentum.

ANNOTATIO.

ADuerte tamen 1. Si non oriatur periculum peccati ex parte loci, vel perſonarum, ſiue occaſionum in loco exiſtentium, ſed tantum ex fragilitate vel malitiâ Fratris, cum per ipſum ſtet quo minus vel occaſionem tollat, vel peccato reſiſtat, tunc non teneri ad Miniſtrum recurrere, nec Miniſter tenetur illum recurrentem recipere, vel loco mutare: ſed ſufficit vt ipſi imponat vt peccato reſiſtat, vel occaſionem quæ à ſe dependet, tollat.

Aduerte 2. Miniſtrum non teneri etiam audire Fratres, qui ex ſuâ leuitate vel malitiâ fingunt ſibi occaſiones, vt excutiant frequenter iugum obedientiæ, aut ſuæ ſenſualitati locum opportuniorem nanciſcantur.

Aduerte 3. Fratrem non debere recurrere vel audiri ob ſolam perfectionem ſupererogatoriam, quam ſibi alibi maiorem in alio Conuentu vel loco proponeret. Sufficit enim quod in loco vbi eſt. vt Regulam ità ſpiritualiter obſeruet, vt ſibi à loco vel loci adiacentibus, nec peccatum, nec periculum peccati immineat.

QVÆ

QVÆSTIO II.

An necessarius sit recursus ad Ministrum Prouincialem simpliciter?

Ratio dubitandi est. Quia (vt suprà diximus) nomen Ministri *in hoc cap.* Superiores omnes curam animarum habentes, comprehendit.

CONCLVSIO.

Vbi per inferiores Ministros, siue Custodes, siue Guardianos, mederi potest grauamini Fratris recurrentis; non est necesse ad Ministrum recurrere. *Ità Hugo de Dina. Possunt* (ait) *Fratres ad Ministros Prouinciales recurrere, quandò aliter inferiorum subsidio Ministrorum non possunt Regulam spiritualiter obseruare: ac superfluè ad maiorem Prælatum recurritur, cum per minorem indigenti æquè vtiliter subuenitur.*

QVÆSTIO III.

An debeat esse recursus personalis?

CONCLVSIO.

Non est necessè recurrere personaliter, si alias per nuntium aut litteras sufficienter malo obuiari potest. *Ità S. Bonauentura. Ad suos Ministros* (ait) *debeant recur-*

currere, &c. Recurrere, inquam, per se vel per nuntium, formâ Statutorum Ordinis seruatâ in eundo, quia istud debitum non est exemplum ab obedientiâ Statutorum. Hæc S. Bonau.

Ex quo colligitur, quod etsi Superiores non possint tollere istam obligationem recurrendi in tali periculo, possunt tamen dare formam & modum recursus, vt non indebitè fiat. Quomodò Statuta, imò Concilium Tridentinum de nonnullis prouidit. *Alioquin* (ait Hugo de Dina) *possent malitiosi necessitatem confingere, quorum obtentu pro voluntate extrà obedientiam vagarentur, & suis intenderent sceleribus implendis in scandalum Ordinis & ruinam.* Hæc ille.

Concilium Tridentinum ordinat, vt sine licentia in scriptis obtenta non egrediantur Conuentibus etiam prætextu Superiores accedendi. Statuta Prouinciæ Flandriæ, & huius S. Ioseph in Comitatu Flandriæ ordinant, vt si periculum non vrgeat nimis, scripto recurrant; si vrgeat vel scripto fieri non possit, vt eis à Guardianis & Discretis licentia recurrendi in scriptis detur.

TEX-

TEXTVS IV.

Ministri verò benignè & charitatiuè eos recipiant, & tantam familiaritatem habeant circa ipsos, vt dicere possint eis & facere sicut Domini seruis suis.

TITVLVS VNICVS.

De Fratrum recurrentium receptione per Ministros.

QVÆSTIO VNICA.

Qualiter Ministri debeant recipere Fratres, ad se recurrentes pro Regulæ Obseruantia?

CONCLVSIO.

TRes conditiones requirit S. Franciscus in Ministro, Fratres recurrentes pro spirituali Regulæ obseruantia recipiente, nimirum vt benignè, charitatiuè, & cum familiaritate eos recipiant. *Ita Textus.*

Benignitas (iuxtà S. Bonauenturam) *in vultu, Charitas in Corde, Familiaritas in sermone consistit. Vt nimirum, benigno vultu, verbis familiaribus, & corde compassione pleno eos recipiant, & omnia verba imperium resonantia & fastum sileant, & facta dominatum prætendentia*

dentia penitus deserant, exemplo illius qui dixit Luc. XXII. Qui maior est in vobis fiat sicut minor, & qui præcessor, sicut ministrator. Hæc fere Sanctus Bonauentura.

Petes. Quid prætendant ista verba: *vt dicere possint eis & facere sicut domini seruis suis.* Respondeo 1. His verbis significari quandam subiectionem, quâ Superior debet portare onera, tædia, & infirmitates subditorum. verè enim seruus est, qui tenetur in vigiliis & laboribus alienam salutem procurare, & vt Domino ei seruit, cui salutis remedia ad solam petitionem cùm magnâ seruitute, & propriis angustiis procurat. Vnde aduerte his verbis magis significari laborem & onera Superiorum in rebus salutis, quam eorum pusillanimitatem aut vilem subiectionem. Vnde *S. Bonauentura: Non est autem intelligendum verbum, quod subditis detur occasio superbiendi præ nimiâ humilitate* Ministrorum: *Ne sicut dicit Gregorius: dum nimis seruatur humilitas, regendi frangatur auctoritas, &c. Serui quidem in iis precipue quæ ad salutem pertinent animarum. Luc. 22. Ego in medio vestrum sum tamquam qui ministrat.* Hæc S. Bonauentura.

Attendant minus prudentes Fratres, qui sine reuerentiâ sinc fronte credunt se posse accedere Superiores vi horum verborum, quan-

quantam iniuriam inferant ſuo Fundatori & Scripturæ Sanctæ,ex qua Regula eſt deſumpta.Attendant inſuper huiuſmodi charitatem, benignitatem, familiaritatem imponi Minſtris, quandò Fratres recurrunt pro Regulæ ſuæ ſpirituali obſeruantiâ,non pro relaxationibus & humanis (vt vocant) conſolationibus, magis autem ſenſualitatibus & mundanis ineptiis. *Vide latius de reuerentia ad Prælatos Hugonem de Dina.*

TEXTVS V.

Moneo verò & exhortor in Domino Ieſu Chriſto vt caueant Fratres ab omni Superbia, &c. Et non curent neſcientes litteras litteras diſcere.

TITVLVS VNICVS.

De ſtudio litterarum & Oratione.

QVÆSTIO I.

An liceat Fratribus Minoribus intendere ſtudio litterarum?

CONCLVSIO I.

NVllum eſt præceptum aut equipollens in Regula, quod prohibeat Fratribus

tribus Minoribus ſtudium litterarum. Patet 1. Quia hoc ipſum quod in textu ponitur nec præceptoriè, nec ſub verbis æquipollentibus ponitur, nec a Clemente V. inter æquipollentia enumeratur. Quin imò contrarium infert. *Nicolaus 3. Extra. Exiit qui ſeminat a. 2. ex cap. 9. Regulæ*: vbi ex prædicationis onere Fratribus Minoribus impoſito, *Conſtans* (inquit) *eſt quod hæc ſupponunt ſcientiam, ſcientia requirit ſtudium, exercitium verò ſtudij conuenienter haberi non poteſt ſine vſu librorum*, quo rectè infertur quod qui examen eloquiorum precipit, præcipere ſtudium cenſeatur, ſine quo nec examinata eloquia eſſe poſſunt. Vnde & *D. Bonauentura in hæc verba Regulæ: Et non Curent neſcientes litteras, litteras diſcere. In quo verbo* (inquit) *curioſitatem cohibet, non tamen inhibet quia ipſi teneantur litteras* diſcere, ſi eis fuerit imperatum. Et *Hugo de Dina: Alioquin* (ait) *ſua contrarius Regulæ fuiſſet, qui exiſtens in Ordine cum paucas litteras ſciret, non ſolum orando, ſed etiam legendo profecit, & alios Fratres ſtudere in litteris diuinis voluit.* Hæc ille. *Vide etiam dictum S. Franciſci apud D. Bonauenturam in Legenda.*

CONCLVSIO II.

MOnitio illa Regulæ tangit ſpecialiter Laicos, quorũ vocatio cum ſtudium non

non requirat, ab eis ſtudendi tentationem procul arcere voluit Pius Pater. Ita *Hugo de Dina*: *Non enim* (inquit) *Sanctæ Regulæ conditor litteratis ſed Laicis, & illiteratis, ſtudium vetat, vt vnuſquiſquæ ſecundum Apoſtolum, in quâ vocatione* vocatus eſt, in eadem permaneat. D. *Bonauentura, Curioſitatem* (inquit) *Laicorum reprobat dicens: Et non curent neſcientes litteras, litteras diſcere.*

CONCLVSIO III.

PRout monitio illa omnes tangit, non tam ſtudium ipſum quam inordinatum ſtudij modum damnat, quo quidam titulos Magiſterij, & pompoſas Cathedras magis ambiunt, quam Doctrinam: quique potius ſcire appetunt vt ſciantur, quam vt facto Doctrinam prodant. Denique ſtudium reprobat, quod Orationi & deuotioni impedimentum præſtat. *Hugo de Dina. Sanctus* (inquit) *hoc loco ſenes elementarios in Ordine non commendat; multis enim litterarum ſtudium, ſtudij orationis, deuotionis & charitatis ad Fratres negligentiam parit. Religio ad virtutes potius, quam ad apices vocat; ſi bonus ſtudens vis eſſe bonitatem & diſciplinam ſcientiæ anteponere ſtude.* Hæc ille. Porrò idem Hugo dubium proponit: An Fratres Minores Cathedram Magiſterij aſſumere poſſint, & contra Euangelium vocari.

Rabbi:

QVÆSTIO II.

An Oratio mentalis præcipiatur Fratribus Minoribus?

CONCLVSIO I.

NOn tenetur Frater Minor ex vi ſuæ Regulæ ad Orationem internam ſiue mentalem. Ratio fundamentalis eſt eadem quæ ſuprà; Verba enim Regulæ monitionem continent non præceptum, & quamuis iure optimo ſpiritum Domini, & orationem puri cordis cæteris præponant ac perſuadeant, formam tamen præcepti non continent nec conſequenter obligant.

CONCLVSIO II.

EX mente S. P. Franciſci tamquam maximi momenti Conſilio, Frater Minor tenetur internæ Orationi ſpecialiter ſe dare; *Patet ex verbis Regulæ*: *Sed* (inquid) *ſuper omnia deſiderare debent habere ſpiritum Domini, & eius ſanctam operationem, orate ſemper ad Deum puro corde, &c.* & in *cap.* 5. Ita ſuadet rationem laboris, fidelis & deuoti, *vt ſanctæ orationis & deuotionis ſpiritum non extinguant, cui debent cætera temporalia deſeruire.* Ex quibus infero orationem iſtam ſpiritualem eſſe, ita propriam Fratri Minori vt illam primò intendere de-

debeat,iuxtà mentem S. Patris, qui vtique ante omnia eam ponit, & cui cætera temporalia deſeruire debere ſtatuit. Nec abs re: In hac enim totius perfectionis ſpiritualis cardo verſatur, vtpotè quæ etiam habitantibus in Regione vmbræ mortis lumen ſubminiſtrat, & quidem ab eo tempore quo ſtudium orationis ſe remiſit, religio diſperiit, & continuò velut fluxu dilapſa eſt.

Nota etiam præcipuas hic Virtutes Fratri Minori maximè proprias enumeraſſe S. Patrem, in quibus & ad quas velut ad ſcopum tota Regula collimat: videlicet *Spiritum Domini, Sanctam eius operationem, orationem puri cordis, humilitatem, patientiam in perſecutione & infirmitate, dilectionem inimicorum, perſeuerantiam*: quarum tres, 1: hominem in interiori perficiunt; tres poſteriores contra tentationes armant, vltima coronam accipit.

IN

IN CAPVT XI.

Quod Fratres non ingrediantur Monasteria Monacharum.

TEXTVS I.

Præcipio firmiter Fratribus vniuersis, ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum.

TITVLVS I.

De suspectis consortiis & consiliis.

QVÆSTIO I.

Quid prohibeatur nomine suspecti consortij & consilij?

D. *Bonauentura hoc cap.* Nomine suspecti consortij vel consilij videtur includere quidquid esse potest probabilis occasio alicuius immunditiæ in aliquo Fratre, vel scandalum apud aliquos generare. *Illam* (inquit) *suspicionem existimo hic prohiberi, quæ Fratri excitat enormis tentationis stimulum, vel quæ crimini præstat fomentiua, vel quæ potest apud*

alios vel alium scandalum generare; & hic existimo omne suspectum prohiberi colloquium, quod ordinatur ad carnis immunditiam quamcumque, vel quod potest huius rei scandalum vel suspicionem probabiliter excitare. Sicut Dominus prohibendo mœchiam, prohibet non solum minorem lapsum, qui est fornicatio, sed omnem maiorem turpitudinem qua corpus seminaliter inquinatur; Ex quibus verbis D.Bonau: innuit B. Franciscum nomine suspectorum consortiorum vel consiliorum, etiam voluisse prohibere omnem actum vel occasionem immunditiæ, seu impudicitiæ, etiam si disiunctiue suspicionem actu non generaret.

CONCLVSIO I.

FRatri Minori ex vi Regulæ & voti Castitatis prohibetur, non tantum immunditia, sed etiam immunditiæ siue impudicitiæ cuiusuis occasio probabilis, secluso etiam quod suspicionem malam actu non generaret. Conclusio clara est: qui enim prohibet principale, prohibet & accessorium. Et scitum est illud Sap. axioma: *Qui amat periculum peribit in eo.* Vndè Familiaritates nimiæ, colloquia frequentia, tactus manuum, aspectus fixi & inordinati prohibentur ex vi voti castitatis, specialiter Fratri Minori, præterquam quod iure

re diuino cuilibet ſint prohibiti, ità vt Frater Minor ſimilibus ſe exponens, non tantum peccet contrà Dei præceptum, ſed etiam contrà votum.

CONCLVSIO II.

Ex vi voti & præcepti *c. 11. de vitandis ſuſpectis conſortiis vel conſiliis*, ſpecialiter prohibentur conſortia vel colloquia, quæ etſi mala non eſſent, vel etiam ab impudicitia aliena, nihilominus in aliquo vel aliquibus generare impudicitiæ ſuſpicionem nata ſunt. Ratio eſt: quia per præceptum illud ſpeciale aliquid de nouo prohibetur, quod aliàs non eſt Fratri Minori interdictum: quid autem ex ipſis verbis eſſe poteſt aliud, quam prædictum conſortium, quatenus ſuſpicionem generare poteſt? Alia quippe ſunt de iure diuino, & ex natura voti caſtitatis interdicta, quæ hic repeti non debuerunt: *& ità tenent Expoſitores paſſim*. Ex quo patet, quam ſublimis ſit Caſtitas promiſſa à Fratre Minore, quamque excedat Caſtitatem aliorum Religioſorum. Cæteri enim vi voti tantum tenentur vitare quæ Caſtitati in ſe officiunt, & immunditiæ incentiuum præbent: Fratres autem Minores etiam ea, quæ etſi verè ad impudicitiam non moueant, impudicitiæ tamen, aut immunditiæ cuiuſcumque ſuſ-

picionem in alio generare possunt, & non tantum actiuum, sed etiam passiuum scandalum contrà Castitatem vitare tenentur. *Et ità notat D. Bonau. hoc Cap.*

QVÆSTIO II.

Quod consortium aut consilium dicatur meritò suspicionem generare?

CONCLVSIO.

DIco cum D. *Bonauentura, Hugone de Dina, 4. Magistris & aliis Expositoribus* illud procedere ex variis circumstantiis & rei natura. Suspectum itaque consortium reddunt. 1. Locus, vtpote: si solitarius, & sequestratus, vel obscurus. 2. Tempus; vtpotè nocturnum aliàs importunum. 3. Modus; vt si quis versetur solus cum sola. 4. Gestus; vt si sit dissolutio, vel nimia propinquitas ad fæminas. 5. Actus; vt si aspectus fixi, & incontinentes sunt, verba dissoluta & scurrilia, aut immunditiam sapientia, etiamsi æquiuoca, tactus manuum, risus effusi, ioci nimis familiares. 6. *Ad suspicionem etiam* (inquit D. Bonauentura) *facit ætas & conditio, tam mulierum, quam loquentis.* 7. Frequentia conuersationis & colloquiorum. His itaque occurrentibus, vel in toto, vel in parte, quis iuxtà ratio-

nem

nem suspicionis maioris vel minoris, quæ ex similibus nasci potest, peccatum mortale vel veniale incurrit. Aduertendum tamen est quædam vno tempore, & vno modo facta suspicionem generare. quæ alio tempore etsi eodem modo facta, suspicionem tamen non causarent, & ideò realiter candido iudicio res esse librandas sine adulatione. Imò *Hugo de Dina*, putat continuationem alicuius familiaritatis postPrę-lati admonitionem esse sufficientem ad suspicionem fundandam. *Eo ipso* (inquit) *quis reddit se suspectum, quo dissuasum maximè à Prælatis non vitat consortium, negligit enim obedientiam, & honestatem voluptas.* Dices: Quid si suspicio ex solâ personæ malitia oriatur? Respondeo: si Frater dederit aliquas ex Superioribus causas eius malitię ad suspicandum, pro ratione causæ etiam peccatum incurret: Si tamen malitia esset totalis causa suspicionis, nec supponatur Frater malitiæ obiectum dedisse, Frater Minor reputandus est non peccasse, cum suspicioni causam non dederit.

Dubitabis: An solum suspectum consortium aut consilium præsumatur inter præsentes? Respondeo quod etiam inter absentes per litteras, alia enim non minora possunt dari immunditiæ incentiua

ſeu ſuſpicionis obiecta & ſigna, imò interdum maiora ob ſcribendi modos diuerſos, aut diuerſarum rerum per internuntios traditionem, aut denuntiationes: Quo ſpectat illud *Hieronimi ad Nepotianum*: *Cauete omnes ſuſpiciones: crebra enim munuſcula, & ſudariola, & faſciolas, & veſtes ori applicatas, & oblatos ac deguſtatos cibos, blandaſque ac dulces litteras, atque munuſcula ſanctus amor non habet.*

TEXTVS II.

Et ne ingrediantur Monaſteria Monacharum, præter illos quibus à Sede Apoſtolicâ conceſſa eſt licentia ſpecialis.

TITVLVS I.

De ingreſſu Monaſteriorum Monialium.

QVÆSTIO I.

Quid intelligatur nomine ingreſſus?

ANtonius *Corduba* nomine ingreſſus quemcumque etiam acceſſum intelligit: adeòque vult nomine ingreſſus, non tantum prohiberi Fratri Minori vt introgre-

grediatur locum, ſed amplius etiam prohiberi ne accedat ad ianuam, cratem, &c. Fundamenta eius ſunt: quia diplomata Pontificia, & Authores frequenter vtrumque, ingreſſum nimirum & acceſſum, ſimul confundunt, & pro eodem vſurpant: & cum S. Pater Franciſcus intenderit remouere omne ſcandalum & offendiculum Caſtitatis, non minus acceſſum, quam ingreſſum prohibere cenſendus eſt, cum ex acceſſu ſcandalum ſimiliter naſci poſſit. Quin imò *Nicolaus III.* vbi acceſſum ad Monaſteria Fratribus ex licentia Superiorum permiſit cauſâ eleemoſinæ vel prædicationis, excipit tamen pauperes incluſas, ad quas nec acceſſum permittit, niſi de licentiâ Apoſtolicæ Sedis.

CONCLVSIO I.

EX vi Regulæ non eſt prohibitus acceſſus ad portam, cratem, & externa loca Monialium. Ratio fundamentalis eſt: quia nullum eſt verbum quod hoc indicat: & aliàs verba in ſua ſimplicitate ſunt intelligenda, maximè in odiis & grauaminibus, quæ ſemper reſtringenda ſunt. 2. Probatur *ex ipſa Declaratione Nicolai III.* qui patenter ingreſſum ab acceſſu diſtinguit, imò validum formari poteſt argumentnm ex textu Regulæ iunctâ Summi Pontificis Decla-

ratione: si enim nomine ingressus omnis accessus prohibetur, ergò *Nicolaus* III. Regulæ obligationem destruit cum permittit Fratribus accessum de licentiâ Superiorum: cum indifferenter Regula prohibeat ingressum ad omnia Monasteria Monialium iis quibus non est facta à Sede Apostolicâ licentia specialis: si enim nomine ingressus omnis accessus prohibetur, accessus ille per Nicolaum permissus erit manifestè contrà Regulam, & intentionem Fundatoris. Sicque Nicolai Declaratio, in hoc puncto non iam erit Declaratio, sed Regulæ dispensatio & relaxatio nuncupanda.

Ad rationes itaque Cordubæ dico, accessum quidem interdum cum ingressu confundi per ampliationem, quia ingressus accessum præsupponit, nemo enim ingredi potest nisi accedat. Numquam tamen ingressum pro simplici accessu supponere, eiusdem respectu, cum amplius dicat. Dico (eiusdem respectu) diuerso enim respectu possunt simul conuenire: vt si quis dicat se ingressum esse externam Ecclesiam, vel domum Locutorij externi: benè accessisse ad Monasterium dicetur; accessus enim erit simplex, respectu Monasterij, quod non ingreditur: Ingressus autem

erit

erit respectu locorum quæ Monasterio adiacent.

Ad intentionem S. Patris respondeo, illam verè fuisse ad scandala remouenda, ipsam tamen scandalorum materiam, non eodem modo, nec eodem præcepto remouit: alia enim remouit per prohibitionem suspecti consortij, alia per prohibitionem ingressus. Nec reuerà eadem est ratio accessus & ingressus in materia scandali, accessus enim solus vix scandalum generare potest, maximè vbi crates sunt, aut loca publica colloquiorum.

Auctoritas etiam *Nicolai III.* citata nihil concludit cum accessum ad Monasteria cæterarum Monialium permittat: Iudicat enim tantum specialem aliquam dispositionem Sanctæ Sedis circà inclusas, quæ ex vi Regulæ non habetur, vt inferius dicetur.

CONCLVSIO II.

PEr ingressum, solùm introgressus intrà Monasterium intelligitur. Ratio est, quia sic verba Regulæ ad litteram intellecta demonstrant, & quod de accessu dicitur glossam magis sapit, quam litteram. Et ità intellexerunt *Gilbertus Nicolai l. de decem Plagis. Plaga 8. & 9. & alij passim.*

QVÆSTIO II.

Quid intelligatur nomine Monasterij?

CONCLVSIO.

NOmine Monasterij intelliguntur Claustrum, Domus, Officinæ interiores, in quibus Moniales regulariter viuunt. Ita *Nicolaus* 3. *a.* 12.

Dixi (vbi Moniales regulariter viuunt) nam sicuti Moniales non faciunt Monasterium sine habitatione; sic nec habitatio sine Monialibus regulariter ibi viuentibus, Monasterium facit: Vndè *Hugo de Dina. Monasterium non facit domorum ambitio, sed continua Regularium habitatio personarum, Ecclesiasticis maximè seu diuinis officiis deditarum.*

Vt verò hæc Conclusio plenius explicetur, nonnulla dubia sunt sigillatim proponenda & resoluenda.

Petes 1. Quæ censeri debeant officinæ interiores? Respondeo 1. Apud Religiosas seu Moniales Inclusas, illa omnia loca pertinere ad officinas interiores, quæ Sorores communiter accedere possunt, siue in quibus communiter solent conuersari. Vndè & horti, oratorium, pistrina, braxatoria & alia loca, in quibus versantur vel operan-

operantur ad officinas interiores pertinent. ad quæ ſub peccato mortali Fratres Minores extrà caſus à Sede Apoſtolicâ conceſſos ingredi non poſſunt.

Reſpondeo 2. Vbi Moniales clauſuram non habent, loca ſeu officinas interiores debere deſignari per Superiores. Conſuetudo tamen obtinuit vt dormitorium, Oratorium vbi eſt ſeparatum, refectorium, operatorium pro officinis interioribus habeantur. Graue iugum pro Prælatis, vbi ex negligentiâ aut puſillanimitate iſta non diſtinguunt, quando commodè fieri poteſt, ſed vbique omnibus aditum indifferenter permittunt, reddent enim rationem ſcandalorum Iudici Deo.

Petes 2. Quot Moniales debeant regulariter inhabitare, vt Monaſterium cenſeatur. Reſpondeo *ex Cordubâ & Hugone de Dina* ſufficere vt tres aut quatuor viuant, & ſi enim tam paucæ Collegium non conſtituant; ſufficit tamen ad Monaſterium ſaltem inchoatiuum, vt aliquo numero Regulariter viuant. Et vt benè *Hugo de Dina*: *Non minus quoque honeſtè parua & inordinata vitantur; Sepè vbi Congregatio minor ibi ſuſpicio maior, & maiorem peccati opportunitatem ipſa ſolitudo monſtrat.*

Petes 3. An ſi ſit vna Monialis ſolitariè inclu-

inclusa, ad illam possit Frater Minor ingredi. Respondeo ex vi huius præcepti Regulæ non prohiberi. Prohiberi tamen potest ex ratione suspecti Consortij, alio Regulæ præcepto, vel alio iure Pontificio.

QVÆSTIO III.

Quid intelligat Regula nomine Monacharum?

CONCLVSIO.

NOmine Monacharum intelliguntur mulieres omnes, quæ solenniter vitam Regularem ab Ecclesia approbatam professæ sunt, & quæ communi vocabulo Moniales dicuntur. *Ità Nicolaus 3. a. 12.* Vbi reuocat opinionem antiquorum qui nomine Monacharum solas Inclusas pauperes intellexerunt. Et quidem Monachæ nomen ex communi vsurpatione latissimè patet, & vt notat *Corduba* stylo Curiæ nomine Monacharum omnes Moniales vitam Regularem professæ solenniter, & viuentes collegialiter intelliguntur. Citat *Panormitanum C. Cumque de Electione.* Ex his infero: Mulieres quascumque Religiosum habitum gerentes, vel quouis modo Religiose

giosè viuentes: si Religionem ab Ecclesia approbatam non sint professæ non intelligi nomine Monacharum. Tales sunt in Belgio, quæ dicuntur Beginæ Filiæ Spirituales in Congregationibus, Filiæ S. Agnetis, &c. Tertiariæ in propriis domibus habitantes, siue etiam plures simul viuant si Religionem tribus votis solemnibus non sint professæ.

Infero 2. Solitarias inclusas quæ sunt professæ aliquam Regulam approbatam solemniter, esse verè Monachas & Moniales: Accessus tamen siue ingressus ad illas ex vi Regulæ non prohiberi Fratribus Minoribus, quia, Habitatio Solitariæ, non constituit Monasterium.

Dixi (ex vi Regulæ) aliundè enim præcepto Ecclesiastico, vel Clausuræ voto iuxtà rationem Regionis, prohibitio esse solet, vt in Belgio.

Dices S. *Bonauentura hoc* C. vbi concludit dictas Solitarias esse verè Monachas cum subdit: *Et hæ etiam sunt vitandæ sicut collegiatæ propter maius periculum solitudinis, ex tenore præcepti existimo præcedentis.*

Respondeo; verissimam esse doctrinam S. Bonauenturæ, qui patenter concludit has vitandas non ex hoc præcepto de non ingrediendis Monasteriis, sed ex præcedenti

ti præcepto, de vitandis suspectis consortiis, solitudo enim suspicionem causare solet. Vnde & *Hugo de Dina* loquens de iis quæ in Cellis circa Ecclesias Parochiales habitant: *A Prochialibus* (inquit) *Ecclesiis præsertim extrà Monasteria constitutis, &c. licet in earum domibus aliquæ inhabitent Moniales, Fratres arceri per Regulam, nisi alia sit ibi suspicionis occasio, non videntur: Sed cum in illis Ecclesiis prædicatur, possunt speciales Monialium cellæ vitari. Vbique prouidè speciale habitaculum Monacharum specialiter euitatur*, &c. *Sæpè vbi Congregatio minor, ibi suspicio maior, & maioris peccati oportunitatem ipsa solitudo ministrat. Omnium quidem habitacula siue consortia Monacharum propter maius periculum diabolus impugnat, & maius quoque scandalum.* Hæc Hugo.

QVESTIO IV.

An præter præceptum Regulæ aliis prohibitionibus Fratres ab ingressu Monasteriorum Monialium arceantur?

CONCLVSIO.

Plures emanarunt prohibitiones Pontificiæ quæ sicut cœteros Christianos sic

Fra-

Fratres Minores ſub communi Fidelium nomine comprehenſos, ab ingreſſu Monaſteriorum arcent, imo Pontifices nonnulli excommunicationem latæ ſententiæ addiderunt. *Vide Compendium Priuilegiorum verbo Ingredi Monaſteria Monialium per totum, maximè verò in Annotatione Capucini.*

QVÆSTIO V.

An Fratribus Minoribus licitum ſit in aliquibus caſibus ingredi Monaſteria Monialium?

CONCLVSIO I.

LIcet Fratribus Minoribus ingredi Monaſteria Monialium in omnibus caſibus, in quibus Apoſtolica Sedes permittit. Concluſio patet ex textu: *Præcipio, &c. ne ingrediantur Monaſteria Monacharum, niſi illi quibus à ſede Apoſtolica conceſſa eſt licentia ſpecialis.*

CONCLVSIO II.

CAſus conceſſi ad licitum ingreſſum in Monaſteria Monialium, & ſi numero ſeptem aut etiam plures ab Auctoribus referantur, compendioſè tamen ad tria capita reducuntur, nimirum: ob Veram neceſſitatem; Grauem vtilitatem, Sacramentorum

torum, & Sacramentalium congruam administrationem:

Sub ratione *veræ necessitatis* ex priuilegiis communibus Pontificum & velut rei naturâ, possunt Fratres Minores ingredi Monasteria, ad incendium extinguendum, latrones expellendos, hostes, & quasuis violentias propulsandas, phreneticam continendam, infirmæ succurrendum per obsequium necessarium, & alias id genus operas necessarias præstandas.

Ratione *Grauis vtilitatis*: vt pro opere dirigendo, operâ, industriâ, obsequio multum vtili præstando, ratione cuius Sæcularis intrà Monasterium ex priuilegio Pontificio ingredi posset, potest similiter Frater Minor intromitti simili Priuilegio.

Ratio *Sacramentorum & Sacramentalium*, Quomodo intrare possunt quibus competit Confessiones infirmarum decumbentium audire, Euchariſtiam & extremam Vnctionem miniſtrare, Exorciſmos adhibere, Sepulturam facere, & aliquas Benedictiones quæ extrà Clausuram fieri non possunt.

Item *ex Leone X.* possunt Confessarij Sanctæ Claræ aut Superiores ingredi ad celebrandam Missam coram infirma, quandò multo tempore ob infirmitatem Missam audire

audire non potuit, modò rectà vadat, & redeat absolutâ Missâ sine diuerticulo.

Huc spectat ingressus Confessarij, vel eo absente, Socij Sacerdotis vt adsint agonizanti.

Huc etiam pertinet ingressus Superiorum ad visitationes faciendas, Capitulum celebrandum, admonitionem officio competentem habendam, siue etiam Concionem, vbi exterius haberi non potest. *Vide plura in Compendio Priuilegiorum. Verbo: Ingredi Monasteria. Vbi multæ licentiæ speciales concessæ Fratribus Minoribus à Sede Apostolica referuntur latius.*

TITVLVS II.

De Accessu ad exteriora loca Monasterij.

QVÆSTIO I.

An speciali aliquo procepto prohibeatur Fratribus Minoribus accessus ad loca exteriora Monasteriorum Monialium?

NOtandum 1. Duplicem hic nos distinguere posse accessum: Prior dici potest Formalis; quando nimirum acce-

ditur ad colloquendum, siue conuersandum, aut aliquid aliud agendum cum Monialibus: Posterior dici potest tantum Materialis; quandò nimirum, ità acceditur vt accedenti nulla sit actio vel communicatio cum Moniali: vt cum quis accedit ad earum Ecclesiam ad celebrandum: Item ad simpliciter hospitandum in loco: vbi nullum planè requiritur Monialium commercium.

Notandum 2. Quod quamuis Regula non prohibeat accessum vt *suprà docuimus tex. 2. tit. 1. q. 1. Nicolaus tamen 3. in* sua *declaratione a. 12.* duas prohibitiones indicare videtur: Prior vt ad loca externa monialium generaliter nemo accedat sine licentia Superiorum, idque causâ prædicationis vel Eleemosinæ, sub quibus similes honeste comprehendi possunt.

Posterior: vt nemo sine Sedis Apostolicæ licentia accedat ad loca externa Monasteriorum pauperum Inclusarum (id est) Sanctæ Claræ.

CONCLVSIO I.

NVllo præcepto est prohibitum Fratribus Minoribus accedere adloca exteriora quarumcumque Monialium accessu purè materiali. Ratio clara est, quia talis accessus est omninò alienus à fine prohibi-

hibitionis, cum nec occasione Monialium, nec ad eas vllo modo fiat. *Et ita aduertit Roderiguez t. 1. q. 45. a. 2. & 4.*

Et hoc aduertere debent scrupulosi qui nec ad earum Ecclesias ad celebrandum accedere audent, trepidantes timore vbi non est timor. Quo timore correpti petierunt interdum Priuilegia à Summis Pontificibus ad huiusmodi celebrationem Missarum, quorum scrupulis condescendentes Pontifices dederunt, quod ex suâ libertate prius possidebant.

CONCLVSIO II.

NVllum est præceptum obligans ad culpam in *Declaratione Nicolai* 3. quo arcentur Fratres Minores ab accessu Monasteriorum Monialium. Quæ Conclusio sic declaratur: Quamuis enim supponat *Nicolaus* 3. Fratres Minores non accedere ad Monasteria ordinaria Monialium sine licentiâ Superiorum ex causâ rationabili prædicationis vel eleemosinæ, &c. & ad Monasteria S. Claræ sine Sedis Apostolicæ licentiâ: multum tamen particulare imponit præceptum, nec verbo aliquo ex vi Declarationis huius præceptum speciale significat. Supponit igitur forte aliquod statutum aut mandatum, quod tunc temporis in vsu erat, de cuius obligatione nobis qui-

dem non constat : Sufficit autem nobis quod ex vi Regulæ non obligemur:nec Declaratio nos ex vi Verborum aut ex naturâ Declarationis obligat;de qua sæpè diximus non obligare ad culpam, nisi in iis quæ ex Regulæ obligationibus nascuntur.

CONCLVSIO III.

NVllum est Præceptum Pontificium aut Ordinis statutum in vigore quod vniuersaliter Fratres Minores arceat sub culpâ, ab accessu ad exteriora loca Monialium.

Pro cuius Conclusionis pleniori intelligentiâ.

Suppono 1. multa emanasse præcepta & decreta Pontificia & Ecclesiastica, tam pro quibuscumque sæcularibus & Regularibus in genere, quam Fratribus Minoribus, quæ prohibent accessum ad loca Monialium exteriora; qualia multa referuntur *in Compendio Priuilegiorum V. Accedere ad Monasteria Monialium: vt Alexandri III. Benedicti XII. Item Bonifacij l. 6. de Statu Reg. c. Periculoso* : Qualis est etiam illa grauissima *Sacræ Congreg. Cardinalium anno* 1599 promulgata ; *quam vide in Annotat. Capucini V. Ingredi Monasteria Monialium.*

Suppono 2. In Ordine nostro multa etiam Statuta ab antiqno facta prohibentia huius-

huiusmodi accessum sine licentiâ; Quale est illud Capituli Generalis Tolosani anno 1553. *Arceantur studiosissimè Fratrum accessus ad Monialium & Sororum loca, & nullo modo cum iisdem loqui possint nisi à Ministro Prouinciali licentiam in scriptis habeant: Licet tamen hospitij & celebrationis gratiâ ad huiusmodi loca accedere, vbi Fratrum Conuentus non sunt.* Hæc ibi.

Dico tamen 1. in Conclusione. Hæc vniuersaliter (id est) per vniuersum Ordinē & vniuersas Nationes in vigore non esse. Patet in Belgio, in quo hactenus ad Locutorium, crates, & loca exteriora tam Sanctæ Claræ, quam cæterarum Monialium quicumque docti & timorati accedunt, nullâ licentiâ petitâ Episcoporum aut Superiorum (quamuis in hac Prouincâ S. Ioseph ex speciali præcepto nouissimè ordinatum sit, vt nemo communiter accedat sine licentiâ in scriptis, in locis vbi Superiorum copia haberi potest ad dictam licentiam postulandam.)

Dico 2. Nec vniuersaliter (id est) apud vniuersas Prouincias & Nationes vbi talia præcepta sunt, aut statuta, obligare ad culpam. Patet 1. Quia omnia eiusmodi Statuta aut Decreta Pontificia quæ Fratres Minores obligabant ad culpam reuocata sunt

per *Sixtum IV. In Bulla quæ incipit: Circumſpectâ Sedis Apoſtolicæ*. Illa autem quæ poſterius emanarunt vel vbique non ſunt recepta, vel non vt obligantia ad peccatum, vt eſt illud Capituli Toloſani ſuprà, & Prouinciæ S. Ioſeph, & id genus.

PRAXIS GENERALIS.

PRimò itaque ad ſecuritatem conſcientiarum: Attendendum eſt: An quæ emanârunt à Sede Apoſtolicâ vel Ordine eiuſmodi Acceſſum prohibentia, ex vi verborum manifeſtè obligent ad peccatum & quale: An verò tantum ad aliquam pœnam vel pœnitentiam: Vbi enim dubium eſt: Melior eſt conditio poſſidentis libertatem ſuam, quæ & vt fauorabilior pars in dubiis eligenda venit. Nemo enim ſpoliandus eſt libertate ſuâ in dubiis, ſed pro parte rei ſemper iudicandum eſt, Axiomatibus communibus Iuris, & naturali inclinatione.

Secundò Attendendum eſt: An quæ emanârunt à Sede Apoſtolicâ vel Ordine, ſint communi Doctorum & timoratorum conſuetudine & vſu recepta, & ſub quâ obligatione. Si enim hoc modo non ſint recepta, non obligant; ſin autem ſint recepta iuxtà obligationem culpæ vel pœnæ ſub

qua

qua ſunt recepta, ſeruanda ſunt, cum ſuis circumſtantiis & conditionibus. Et hæc ſufficiunt ad doctrinam generalem, cum ſingulis diebus noua præcepta Apoſtolica, & ſtatuta Ordinis emanent, de quibus ſpecialis doctrina dari non poteſt.

Petes. Quale ſit peccatum accedere ad loca exteriora Monialium contrà præceptum Superiorum? Reſpondeo 1. Id conſiderandum ex tenore præcepti & intentione præcipientis.

Poteſt enim ſuperior habere cauſam præcipiendi ſub mortali peccato ratione familiaritatis nimiæ, periculoſi conſortij, imo ratione ſimilium ex vi ſuſpecti conſortij, per Regulam prohibiti, frequenter Frater Minor peccatum mortale incurrere poteſt.

Reſpondeo 2. Ex naturâ ſuâ, ſecluſis ſupra dictis, acceſſus ille ſolum veniale peccatum eſt. Ratio eſt, quia ſecluſis ſupradictis, acceſſus ſolus exiguæ materiæ reputatur.

TEXTVS II.

Nec fiant Compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione inter Fratres vel de Fratribus scandalum oriatur.

TITVLVS VNICVS.

De Compaternitate.

QVÆSTIO VNICA.

An per hoc præceptum omnis Compaternitas Fratribus Minoribus prohibeatur?

NOtandum in Baptismo duplicem contrahi Compaternitatem. Prima ex parte baptizantis, quam per actum baptizandi contrahit baptizans cum Patre & Matre baptizati. Secunda ex parte Suscipientis, quam suscipiens siue patrinus contrahit per susceptionem prolis cum iisdem.

CONCLVSIO.

SOla Compaternitas ex susceptione prolis Fratribus Minoribus per Regulæ præceptum prohibetur. Ratio est, quia hæc sola

ſola ſcandalum generare poteſt, vt in præcepto continetur.

Dices, Inter caſus, ratione quorum Fratres à loco recedere poſſunt, referunt antiqui Expoſitores (ſi in loco obligentur Fratres ad Baptiſmum puerorum) ergò baptizare pueros non licet. Reſpondeo negando conſequentiam: Iſte enim caſus referendus eſt ad curam animarum, & obligationem baptizandi ex officio non autem ex charitate aut ex vi Compaternitatis.

IN

IN CAPVT XII.

De Euntibus inter Saracenos & alios infideles.

TEXTVS I.

Quicumque Fratrum diuinâ inspiratione voluerint ire inter Saracenos & alios infideles petant inde Licentiam à suis Ministris Prouincialibus: Ministri verò, &c.

TITVLVS VNICVS.
De Missione Fratrum ad Infideles.

QVÆSTIO I.

An Fratres volentes ire ad infideles teneantur petere Licentiam à suis Ministris?

CONCLVSIO I.

EST in libertate Fratrum Minorum velle ire vel non ire ad Infideles etiam positâ inspiratione diuinâ. Patet ex textu: *Fratres* (ait) *qui diuinâ inspiratione voluerint* (idest) Qui diuinam inspira-

ſpirationem voluerint ſequi: Inſpiratio enim diuina in hoc genere per modum conſilij proponitur non præcepti.

CONCLVSIO II.

FRatres qui inſpirantur ire ad Saracenos & infideles non poſſunt ire ſine licentiâ Miniſtrorum Prouincialium. Hoc iterum ex contextu patet: *Petant indè licentiam à ſuis Miniſtris Prouincialibus.*

CONCLVSIO III.

MIniſtri Generales poſſunt arctare poteſtatem Miniſtrorum Prouincialium, vt non dent ſimiles licentias. Ratio petenda eſt ex Ordine Hierarchico, quo Superior poteſt arctare poteſtatem inferioris.

QVÆSTIO II.

Quæ idoneitas in Fratre Minore requiratur, vt ad infideles mittatur?

CONCLVSIO.

IDoneitatem ſic diſcribit D. *Bonauentura: Idonei* (inquit) *ſunt robuſti corpore, conſtantes in fide, probati, & ſemper irreprehenſibiliter conuerſati.* Et latius *Piſanus. Idoneitas attendenda eſt in litteraturâ, in perſonæ ſanctitate, religioſitate, & vitâ, fidei zelo & feruore, mundi abne-*

abnegatione, sui perfectâ mortificatione, &c. Hæc Pisanus. Quæ omnia sunt vera, relinquenda tamen iudicio Superioris iuxtà rationem circumstantiarum & finis, ratione cuius ad infideles vadunt: Alij enim vadunt vt doceant, prædicent: Alij vt exemplo ædificent: Alij vt Sanctis ministrent, & Euangelizantium speciosos pedes lauent.

TEXTVS II.

Ad hæc per obedientiam iniungo Ministris vt petant à Domino Papâ vnum de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus qui sit Protector & Corrector huius Fraternitatis, &c.

TITVLVS VNICVS.

De Protectore Ordinis.

QVÆSTIO I.

An omnes & singuli Ministri teneantur petere Protectorem?

CONCLVSIO.

DEficiente Generali Ministro officio petendi, tenentur Ministri petere. Ratio

Ratio est, quia omnes præceptum istud concernit ex vi verborum. Dixi (deficiente Generali Ministro) si enim Generalis petat, cum nomine Ordinis & primario nomine Prouincialium, iam satisfactum est præcepto, nec tenentur Ministri Prouinciales petere.

Petes: Quid si Romanus Pontifex nolit dare? Respondeo factâ petitione satisfactum est præcepto. Et ità euenit in Capitulo generali Romano anno 1625. vbi nos omnes postulauimus Protectorem à Smo. Domino nostro Vrbano Octauo, qui & recusauit ob causas sibi notas, fortè volens ipse protegere, vt olim Alexander IV. qui quia existens Cardinalis Ostiensis fuerat Protector, electus Pontifex protectionem & regimen Ordinis noluit dimittere ex affectu quem ad Ordinem gerebat, vt refertur in *Memoriali Ordinis sub annũ* 1254. Vndè & modò dum hæc scribo Ordo Protectore Cardinali caret, quamuis omnes Ministri volentes Regulæ satisfacere, vnum postulauerint.

QVÆ.

QVÆSTIO II.

Quæ sit auctoritas Protectoris in Ordinem?

CONCLVSIO.

AVctoritas Protectoris in Protectionis regimine & gubernatione ad tres casus per Pontifices est restricta, nimirum; *In Heresi*, quandò deuiarent Fratres vel Religio ab vnitate Fidei: *In Schismate*, quandò recederent ab obedientia Romani Pontificis seu Ecclesiæ: *In Relaxatione* Religionis, quandò declinarent ab Obseruantia Regulæ. Ita *Gregorius IX. vt refertur in Compendio Priuilegiorum V. Protector.* Et hoc Decretum innititur verbis Regulæ: *Vt semper subiecti pedibus S. Romanæ Ecclesiæ* (en obedientia contra Schismata) *stabiles in Fide Catholica* (en vnitas Fidei contrà Hæresim) *paupertatem & humilitatem & S. Euangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, obseruemus* (En Regulæ obseruantia contrà Relaxationes.) In cæteris omnibus declarat *Gregorius IX.* quidquid attentauerunt Protectores irritum esse & inane. Et alias prohibitiones *Vide in Compendio suprà.*

De

De dignitate verò Protectionis huius præclara admodum sunt quæ coram Patribus Ordinis ad suum Nepotem Cardinalem Matthæum dixit Nicolaus III. cum factus Pontifex Summus ad postulationem Ministrorum Prouincialium Protectorem Ordinis: *Ad te* (aiebat) *sermo noster dirigitur, si beneficia quæ tibi proueniunt per nos recensere vellemus, inuenirentur magna, vtilia, & misericordiosa: sed in nullo sic è vicino dedimus tibi arcam vitæ æternæ, sicut in isto, quod modò præstamus. Damus tibi melius quod habemus, damus tibi cordis nostri desiderium, pupillam oculorum nostrorum* (Et perfusus lachrymis multoque gemitu suspirans) *non possumus*(ait) *dilatare in hac materiâ quod natura non patitur.* (& extensâ manu proprium annulum Cardinali cum osculo manus recipienti porrexit dicens) *Committimus tibi Ordinem Fratrum Minorum* (& exponens verba Regulæ : *Qui sit gubernator, protector, & Corrector huius fraternitatis*) *Tuâ gubernatione* (ait) *Ordo non indiget quià tot sapientibus & prudentibus personis abundat, quod ad se gubernandum bene sufficit sibi ipsi: Correctioni quoque non te oportet insistere, quia inter Fratres sunt taliter Prælaturæ dispositæ, quod in hac parte non videtur posse esse defectus, &c. Vnum autem est in quo patrocinio tuo indigent. Sunt enim imbecilles &*

pauperes

pauperes, & multos habent qui eos indebitè inquietant, quibus per ſe repugnare non poſſunt, & ideo indigent brachio & fortitudine Protectoris. Hoc eſt potißimum in quo ipſis tua cura debet aßiſtere. Hæc ille.

Ex quibus omnibus patet quanta ſit pietas Protectoris, quem Sanctus Franciſcus nobis prouidit, vt eo mediante nos in petræ ſoliditate contineret, & ad petram viuam rediremus, quæ eſt *Chriſtus Ieſus in ſæcula benedictus.* AMEN.

INDEX

Quæſtionum & Dubiorum principalium quæ in hoc opere continentur.

PRoëmium in Regulam & vitam Fratrum Minorum. Pag. 9.
Titulus 1. Proëmialis, De nomine & Regula Fratrum Minorum. pag. 15
Quæſtio 1. Qui dicendi ſunt veri Fratres Minores? Ibidem.
Q. 2. Ad quam Regulam Fratres Minores teneantur. pag. 13
Q. 3. Quanta ſit, perfectio illius Regulæ Fratrum Minorum per Honorium Papam approbatæ? 17
Q. 4. Quæ ſint huius Regulæ obligationes, & vnde cognoſci poſſint? pag. 23
Q. 5. An ignorantia obligationum Regulæ vouentem ab eorum obſeruantia abſoluat? 27
Q. 6. An Fratres Minores ex vi voti ad alias obligationes teneantur præter eas quæ in Regula continentur? pag. 29
Q. 7. An ſit aliquod Priuilegium Pontificum in vigore quod aliquod Regulæ præceptum relaxet aut diſpenſet? pag. 31
Bulla Vrbani Papæ VIII. pag. 33
Q. 8. An obſeruantia eſſentialis Regulæ in indiuiſibili conſiſtat? pag. 36
Tit. 2. Proëmialis. De expoſitione Regulæ S. Franciſci. pag. 38
Q. 1. An poſſint fieri expoſitiones in Regulam S. Franciſci? ibidem.
Q. 2. Quæ cenſenda ſit vera expoſitio ad Litteram? pag. 40

Q.3. Quotuplex sit sensus litteralis Regulæ Fratrum Minorum? pag.43
Q. 4. Quis Regulam Fratrum Minorum exponere possit? pag.44
Tit. De obligatione S. Euangelij. pag.49
Q. An ad omnia in Euangelio contenta ex vi voti & Regulæ Fratres Minores sub peccato mortali teneantur? Ibidem.
Tit. De Obedientia ad Romanum Pontificem. pag.52.
Q. An Fratres Minores speciali voto teneantur Romano Pontifici seu etiam Romanæ Ecclesiæ obedire super alios Religiosos & Christianos? ibidem.
Tit. De Obedientia ad Generalem. pag.56
Q. Quis S. Francisci successor sit dicendus, & cui vt Successori Obedientia debeatur? ibidem.
Deductio Obseruantiæ Regularis à S. Francisco vsque ad hæc tempora. pag.59
Deductio. Successionis Ministrorum Generalium à S. P. Francisco vsque hæc tempora. pag.62
Dub. 1. Incidentale. Quomodo se habeant respectu Ordinis Fratres Minores Conuentuales & eorum Magistri Generales? pag.73
Dub. 2. Quid de Congregatione Fratrum Minorum Capuccinorum & eorum superiore Generali? pag.74

Ad Caput II.

Tit. 1. De conditione Nouitiorum & eorum admissione. pag.80
Q. 1. An Fratres teneantur omnes petentes admitti ad Ordinem, mittere ad Ministros? ibidem.
Q. 2. An soli Ministri Prouinciales possint recipere venientes ad Ordinem? pag.83.
Q. 3. An Ministri teneantur examinare omnes venientes

nientes de fide Catholica & Sacramentis? pag. 86
Q.4. Quæ sint conditiones requisitæ ex parte Regulæ ad ingressum Religionis? pag. 87
Q.5. An necessario requiratur licentia vxoris ad hoc vt maritus Religionem ingrediatur? pag. 89
Q.6. Vtrum necessario teneatur vxor intrare Religionem, vel continentiæ votum emittere, antequam maritus Ordinem Fratrum Minorum ingredi possit, Et Quare? pag. 90
Ad textum de dicendo verbum S. Euangelij.
Q.7. Quid in hoc æquipollente substantialiter præcipiatur? pag. 93
Q.8. Quomodo qui necdum sunt professi hoc æquipollenti præcepto de bonorum renuntiatione, venditione & distributione obligari possunt? pag. 94
Q.9. Quando debeat fieri hæc renuntiatio? 95
Q.10. An omnibus venientibus ad Ordinem teneantur dicere verbum S. Euangelij? pag. 96
Q.11. Quando censeatur Nouitius non posse bona sua dare pauperibus ad hoc vt sufficiat illi bona voluntas? pag. 97
Q.12. Quæ sollicitudo prohibeatur Fratribus & eorum Ministris in temporalibus bonis Nouitiorum? pag. 101
Q.13. An liceat liberè oblata à Nouitio recipere? pag. 103.
Q.14. An Nouitio iam determinato & eleemosynam Conuentui offerenti liceat necessitates aliquas per modum consilij offerre? pag. 104
Q.15. Quid obseruandum cum mittitur Nouitius ad aliquos Deum timentes? pag 106
Q.16. An illi ad quos mittuntur debeant dare consiliū, vt bona sua pauperibus erogentur? 107
Q.17. An illi Consultori possint Fratres prius exponere necessitates suas? pag. 108
Q.18. An præter has conditiones ex parte Regulæ requisitas sint aliæ aliunde requisitæ? ibidem.

Tit. 2. De habitu Nouitiorum & eorum professione. pag. 109
Q. 1. Quis sit habitus Nouitiorum? ibidem.
Q. 2. Cuius sit recipere Nouitios ad Professionem? pag. 111
Q. 3. Quid iuris habeat Conuentus Fratrum, siue Fratres in Conuentu Nouitiatus ad receptionem Nouitiorum? pag. 113
Q. 4. An annus probationis debeat esse finitus quoad horam? pag. 115
Q. 5. Vtrum Professio possit differri vltrà, vel accelari citrà annum probationis? pag. 118
Q. 6. An teneatur Nouitius promittere vitam istam semper & Regulam obseruare? pag. 119
Q. 7. An Professi, de ista Religione exire possint? ibidem.
Tit. 3. De Vestimentis Professorum. pag. 120
Q. 1. Quid intelligatur per vnam tunicam cum Caputio, & aliam sine Caputio? ibidem.
Q. 2. An liceat omni tempore has duas tunicas portare? pag. 122
Q. 3. An Fratres numquam possint plures duabus tunicas habere? pag. 124
Q. 4. An præter duas tunicas licitus sit Fratribus Minoribus vsus mantelli. pag. 124
Q. 5. An Fratres possint licitè vti camiseis lineis, vel stamineis. pag. 128
Q. 6. An liceat Fratribus Minoribus duplicia caputia, galeros, & id genus tegumenta gestare? 130
Q. 7. Ad quam formam vel figuram habitus Fratres Minores obligentur? pag 132
Q. 8. Quid nomine calceamentorum in Regula intelligatur? pag. 137
Q. 9. An Caligæ Truncatæ nomine Calceamentorum prohibeantur? ibidem.
Q. 10. An sandalia inter Calceamenta prohibeantur? pag. 138

Q. 11.

Q.11. Quid sit portare Calceamenta? pag.139
Q.12. Quæ necessitas requiratur vt Calceamenta portentur? pag.140
Q.13. Cuius sit in Calceamentis dispensare? 143
Q.14. An æqualis dispensatio requiratur in omnibus quæ vel Calceamenta sunt, vel ad Calceamenti rationem accedunt. pag.144
Tit.4. De vestimentorum vilitate & repetiatione. pag.146
Q.1. Quæ vilitas requiratur in Fratrum Minorum vestimentis? ibidem.
Q.2. Ad quem finem repetiatio vestimentorum in Regula sit permissa? pag.150
Q.3. Qualis repetiatio in vestimentis Fratrum Minorum permittatur? pag.152
Q.4. An cuiuslibet particularis Fratris beneplacito repetiatio sit relicta, & an Prælati illam prohibere possint? pag.158

Ad Caput III.

Tit.1. De Officio Diuino Clericorum. pag.161
Q.1. An Clerici teneantur sub peccato mortali recitare Officium diuinum secundum Ordinem Romanum? ibidem.
Q.2. An mutatio Ordinis Romani in Officio diuino sit peccatum mortale? pag.162
Q.3. An Fratres Minores sub peccato obligentur ad Missale Romanum? pag.164
Q.4. Quid intelligatur per illud, excepto Psalterio? pag.165
Q.5. An teneantur Fratres ad Officium in Choro? pag.166.
Tit.1. De diuino Officio Laicorum. pag.167
Q.1. An Laici sub peccato mortali teneantur ad Officium Orationum Dominicarum? ibidem.

Q. 2. An teneantur addere Aue Maria & orare pro defunctis? pag. 168

Tit. 3. De abstinentiis & ieiuniis. pag. 169

Q. 1. Quæ sint ieiunia obligantia vi Regulæ? ibidem.

Q. 2. In quibus cibis debeant ieiunia Regulæ obseruari? pag. 172

Q. 3. Quæ necessitas requiratur vt Frater Minor ad ieiunia Regulæ non teneatur? pag. 175

Q. 4. An Natali Domini in Feriam Sextam incidente Fratres ad ieiunium teneantur? pag. 176

Ad textum de equitatione.

Q. 1. Quid prohibeatur per verbum equitare? pag. 178.

Q. 2. An sit Fratribus Minoribus prohibitum bigare vel quadrigare? pag. 180

Q. 3. Quæ sint causæ sufficientes ad equitandum? pag. 183.

Q. An Fratres in propriis domibus possint vesci carnibus, & omnibus cibis qui eis apponuntur? pag. 184.

Ad Caput IV.

Tit. 1. De paupertate Fratrum Minorum quoad eius essentiam. pag. 188

Q. 1. Quid sit paupertas Fratrum Minorum? ibidem.

Q. 2. An hæc paupertas fuerit Euangelica à Christo & Apostolis practicata? pag. 190

Q. 3. An in rei veritate possit separari vsus simplex facti ab omni vsu iuris, etiam in vsu consumptibilibus? pag. 192

Q. 4. Penes quem in veritate maneat Dominium vel quæ Dominij sunt rerum Fratribus Minoribus concessarum ad vsum? pag. 198

Q.5. An omnium rerum quæ ſunt apud Fratres Minores Dominium Pontifex ſibi aſſumpſerit? pag.201.

Tit. 2. De paupertate quoad vſum. pag.202

Q.1. An omnium rerum vſus ſimplex Fratribus Minoribus ſit permiſſus? ibidem.

Q.2. Quarum rerum vſus eſt prohibitus Fratribus Minoribus ex vi Regulæ? pag.204

Q.3. An ad alios vſus arctos ſeu modos Fratres Minores teneantur? pag.205

Q.4. Quo iure dicti quinque modi paupertatis obligant.

Ad Textum primum Cap. IV.

Tit. 1. De pecunia & denariis. pag.208

Q.1. Quid intelligatur nomine pecuniæ & denariorum? ibidem.

Q.2. Quis dicatur recipere pecuniam ſiue denarios? pag. 218

Q.3. Quid ſit recipere pecuniam ſiue denarios per ſe & quid per interpoſitam perſonam? pag. 224.

Q.4. An in nullo caſu liceat Fratri Minori recipere denarios vel pecuniam? pag.226

Ad Textum de recurſu ad amicos Spirituales.

Q.1. Quid hoc Regulæ præcepto continetur? pag. 228.

Q.2. Qui dicendi ſunt ſecundum Regulam amici Spirituales? pag. 229

Q.3. An Syndicus ritè dici poſſit amicus Spiritualis ſecundum Regulam? pag. 231

Q.4. Quomodo diſtinguatur amicus Spiritualis à perſona interpoſita, per quam recipi pecunia prohibetur? pag. 235

Tit. 2. De Recurſu. pag.239

Q.1. In qua actione conſiſtat recurſus Miniſtrorum ad amicos Spirituales iuxta Regulam? ibidem.

Q.2.

Q. 2. Quo nomine recursus ille legitimè exprimatur? pag. 246
Tit. 3 De personis recurrentibus. pag. 247
Q. 1. Quis possit recurrere ad amicos spirituales? ibidem.
Tit. 4. De necessitatibus pro quibus recurri possit ad Amicos iuxta Regulam. pag. 249
Q. 1. Quæ sint necessitates pro quibus possit fieri recursus ad Amicos? ibidem.
Q. 2. Qualis debeat esse necessitas vt legitimus recursus fieri possit? ibidem.
Q. 3. Quæ dicatur necessitas vera? pag. 250
Dub. Not. An Fratres relinquere vel mutare debeant loca, vbi non possunt viuere sine recursu ad amicos? pag. 253
Q. 4. Quanta requiratur necessitas ad legitimum recursum? pag. 256
Dub. Not. An in recursu ad amicos æstimandus sit valor rei ad iudicium necessitatis? pag. 258
Q. 5. Penes quos resideat iudicium de quidditate, qualitate & quantitate necessitatis? pag. 261
Q. 6. Quæ dicatur necessitas præterita præsens vel imminens? pag. 262
Q. 7. Quæ dicatur necessitas tantum futura pro qua non licet ad amicos Spirituales recurrere? pag. 261.
Q. 8. An debeat necessitas determinata esse? pag. 265.
Q. 9. Quando dicantur cessare eleemosinæ de quibus solutio fieri posset? pag. 267
Dub. Not. Quid faciendum quando plures necessitates sunt quibus omnibus expediendis eleemosinæ iam depositæ non sufficiunt, &c. 269
Q. 10. Quando dicatur res incommodè mendicabilis? pag. 272
Q. 11. Quomodo intelligenda sit quinta conditio: vt necessitas sit propria non aliena? pag. 274

Tit. 5.

Tit. 5. De legitima pecuniarum in necessitates Fratrum Minorum expensione, & administratione, & de modis legitimè recurrendi. pag. 276

Q. 1. Quot modis pecunia soleat pro Fratrum necessitatibus assignari, & penes quem sit eius Dominium? pag. 277

Q. 2. An liceat Fratribus Minoribus pecuniam mutuare in suas necessitates, per idoneas personas expendendam? pag. 279

Q. 3. Quid agendum circa oblatam spontè pecuniam & de modo recursus? pag. 281

Dub. Not. Quid agendum cum Syndicis, qui ut Amici Spirituales quasuis pecunias à fidelibus ad se missas pro Fratrum necessitatibus, immò & recreationibus recipiunt, nullâ habita ratione necessitatis præsentis vel imminentis, &c. 286

Q. 4. Quomodo se gerere debeant Fratres quando pecunia est donata ratione recursus seu sollicitationis eorum circa donantes aut eorum depositarios? Pag. 289

Q. 5. Quomodo se gerere debeant Fratres cum depositario? pag. 290

Q. 6. An depositarij possint interdum immutare voluntatem determinatam donantium in eleemosinis pecuniariis? pag. 295

Q. 7. Quomodo se debeant gerere Fratres circa offerentes eleemosinas pecuniarias intuitu laboris? pag. 300

Q. 8. Quomodo se gerere debeant Fratres circa pecunias testamento legatas? pag. 302

Q. 9. Quomodo Fratres se debeant gerere in pecuniariis Eleemosynis per coactionem iudicis assignatis? pag. 303

Q. 10. Quid de pecuniis apud Fratres Apostatas & fugitiuos extrà vel intra Ordinem repertis? pag. 304.

Tit. 6.

Tit. 6. *De Burſario vel amico Spirituali in via.* *pag.* 306.
Q. An liceat Burſarium vel amicum Spiritualem in via ſecum habere qui Fratribus neceſſaria emat? ibidem.
Tit. 7. *De quæſtibus pecuniariis.* *pag.* 314
Q. An liceat facere quæſtus ſiue collectas pecuniæ pro neceſſitatibus Fratrum expendendæ? ibidem.

Ad Caput V. Regulæ.

Tit. 'De Laboritio. *pag.* 324
Q. An ſit aliquod præceptum Speciale in Regula laborandi opere manuali? ibidem.
Tit. I. *De mercede laboris.* *pag.* 327
Q. 1. An poſſint Fratres Minores laborare pro mercede? ibidem.
Q. 2. Quid ſit conformius Regulæ oſtiatim mendicare, an labore ſibi neceſſaria conquirere? 328.
Q. 3. Ex quo labore manuali debeant Fratres mercedem accipere? pag. 329
Q. 4. An liceat recipere mercedem pro labore Spirituali, vt Miſſis, Diuinis Officiis, Concionibus Confeſſionibus? pag. 330
Dub. incident. Cur ergo Recollecti Ordinis Fratrum Minorum refugiunt Miſſas celebrare ſaltem pro victu & veſtitu? pag. 331
Q. 5. Quæ corporis neceſſaria de mercede laboris recipi poſſint? pag. 333
Q. 6. An contineatur his verbis ſpeciale præceptum? ibidem.
Q. Quid dicendū de pecuniis depoſitis pro Miſſis, Concionibus Officiis Diuinis, ſepulturis &c. 334
Q. 8. An poſſint Fratres Minores paciſci de mercede laboris ſiue manualis ſiue Spiritualis? 335
Dub. 1. An poſſint Syndici exigere in iudicio quæ pro

pro sepulturis, Exequiis, Missis iure communi constituta sunt. pag.336

Dub.2. An possint amici Fratrum vendere libros, imagines, picturas quas Fratres opere suo manuali fecerunt: similiter: an liceat Fratribus Scribere libros, pingere, &c. vt diuendantur? 337

Dub.3. An liceat curare emi aliquas materias vt in illis Fratres operentur & demum per Syndicum aut alios æstimato materiæ pretio diuendantur? pag. 338.

Dub. 4. An liceat pro habitibus Ordinis in quibus sæculares defuncti ex deuotione sepeliuntur recipere pretium? pag. 339

Ad Caput VI. Regulæ.

Tit. 1. De proprietate in rebus Spiritualibus. 341

Q. An Fratres Minores sint capaces alicuius priuilegij vel iuris Spiritualis? ibidem.

Tit. 2. De proprietate in vsu simplici rerum. pag. 346.

Q 1. An in simplici vsu facti possit esse proprietas? ibidem.

Q 2. An possint Prælati suis Fratribus permittere vsum particularem librorum, vtensilium, supellectilis, &c. & recursum ad eleemosynas pecuniarias pro similibus? pag. 347

Tit. 3. De nonnullis actibus paupertatem Fratrum Minorum concernentibus. pag. 351

Q. 1. An liceat Fratribus Minoribus emere? ibidem.

Q. 2. An liceat Fratribus Minoribus vendere? 354

Q. 3. An sint aliquæ res vsibus Fratrum Minorum deputatæ quæ vendi possunt & à quibus? 355

Q. 4. An liceat Fratribus res aliquas mendicare ea intentione vt vendantur per idoneas personas, & earum prætium in res vsui eorum competentes conuertatur? pag. 358

Q.5. An liceat Fratribus Minoribus res aliquas commutare? pag.363
Q.6. An Fratres Minores possint res aliquas locare? pag.370
Q.7. An possint Fratres Minores mutuare, impignorare, commodare, pacta, conuentiones, obligationes facere, debita contrahere, &c. mutuum, commodatum, pignus recipere, &c. 372
Q.8. An Fratres Minores possint aliquid donare? pag.374.
Dub. An liceat Fratribus operariis suis victum dare in partem mercedis. pag.378
Tit. De Redditibus & mendicatione. pag.372
Q.1. An liceat Fratribus Minoribus habere redditus vel qui ad naturam redditus accedunt, vt agros, vineas, animalia, &c. pag.380
Dub. 1. An possint Fratres permittere se hæredes institui? pag.382
Dub. 2. An possint legata in testamentis Fratres recipere? pag.383
Dub. 3. An liceat nutrire oues, boues, porcos, &c. pag.384.
Dub. 4. An liceat annuum Legatum recipere? pag.385.
Dub. 5. Quid si in legato nulla conditio exprimatur? pag.386
Dub. 6. Quid si Legans ex ignorantia aliquam conditionem illicitam Fratribus apposuerit? ibidem.
Dub. 7. Quid agendum sit de quibusdam pecuniis & rebus mobilibus quæ apud Fratres morientes proprietarios. vel alios reperiuntur siue illas apud se habeant siue apud alios illicitè depositæ sint? ibidem.
Q.2. An Fratres Minores teneantur ad mendicationem? pag.387
Q.3. An liceat Fratribus prouisiones facere? 389

Tit.

Tit. De Celsitudine paupertatis Fratrum Minorum. *pag.* 390

Q.1. In quo consistat celsitudo paupertatis Fratrum Minorum? ibidem.

Q.2. In quo fundentur Elogia Sanctæ paupertatis assignata à Sancto Francisco? pag. 394

Tit. De Charitate Fratrum ad inuicem. pag. 395

Q. An præter communia officia charitatis teneantur Fratres Minores sibi inuicem per se seruire, in quibuscunque morbis etiam contagiosis? ibidem.

Ad Caput VII. Regulæ.

Tit. 1. De Casuum Reseruatione. *pag.* 396

Q.1. Penes quos sit potestas in Ordine Fratrum Minorum casus reseruandi? ibidem.

Q.2. An possint Generales siue Prouinciales quoscumque casus sibi reseruare? pag. 398

Q.3. An Superiores Regulares possint præter casus in Decreto Clementis VIII. contentos sibi reseruare excommunicationes? pag. 399

Q.4. An Superiores possint in casibus in Decreto non comprehensis sibi reseruare pœnitentias? pag. 401.

Tit. 2 De Casibus reseruatis. *pag.* 402

Q.1. Qui sunt casus in Ordine Fratrum Minorum communiter reseruati? ibidem.

Dub. 1. Quid sub veneficio, Incantatione, & sortilegio intelligatur? pag. 404

Dub. 2. Quid per Apostasiam à Religione intelligatur? pag. 405

Dub. 3. Quid requiratur vt tertius casus de egressione nocturna, &c. incurratur? pag 407

Dub. 4. Quæ proprietas censeatur mortale peccatum contra votum paupertatis? pag. 409

Dub. 5.

Dub. 5. Quis censeatur Lapsus carnis opere consummatus? pag. 413
Dub. 6. Quæ occisio, vulneratio, aut percussio, requiratur ad casum reseruatum? pag. 414
Dub. 7. Quid requiratur vt malitiosum impedimentum, aut retardatio, aut apertio litterarum à Superioribus ad Inferiores, & è contra, sit casus reseruatus? pag. 415
Dub. 8. Quod sit iudicium Regulare & legitimum? pag. 417.
Dub. 9. Quæ requirantur, vt casus reseruatus de procuratione aborsus incurratur? pag. 418
Dub. 10. Quæ requirantur vt incurratur Casus reseruatus de falsificatione sigilli vel manus Officialium Monasterij, &c. pag. 419
Dub. 10. Quæ requirantur, vt Casus reseruatus de furto rerum Monasterij incurratur? pag. 420
Titulus 2. De Recursu pro Casibus reseruatis. pag. 424.
Q. 1. An ex vi Regulæ teneantur Fratres personaliter ad Ministros pro Casibus reseruatis recurrere, eodem instanti sine mora? ibidem.
Q. 2. An modò præceptum Regulæ de recursu pro publicis peccatis sit seruandum? pag. 426
Tit. De absolutione reseruatorum. pag. 427
Q. 1. Quis possit à peccatis reseruatis absoluere? pag. 427.
Q. 2. An superiores Ordinis Fratrum Minorum possint suam auctoritatem alicui Confessario extrà Ordinem delegare? pag. 433
Q. 3. An Superiores siue Prælati Ordinis possint absoluere à Casibus Papæ reseruatis? pag. 437

Ad Caput VIII. Regulæ.

Tit. 1. De Ministro Generali. pag.440

Q. An possint esse plures Generales Ministri Ordinis Fratrum Minorum? ibidem.

Tit. 2. De Fraternitate Ordinis & eius Scissione. pag.441.

Q.1. Quid intelligat S.Franciscus nomine Fraternitatis? ibidem.

Q.2. Quid sit speciale Symbolum huius Fraternitatis? pag.445.

Q.3. An omnes qui sub Ordine Fratrum Minorum & S Francisci Regula militauerunt vel ad presens militant ad hanc Fraternitatem pertineant. pag.450

Historica narratio Reformationum Ordinis Minorum quæ vsque ad tempora Leonis X. in ordine natæ sunt. pag.451

Q.4. An Fratres de Communitate siue Conuentuales ante tempora Leonis X. pertinuerint ad hanc Fraternitatem? pag 467

Dub. Incid. An omnes isti Generales fuerint Conuentuales vel ex Conuentualibus assumpti pag.491.

Resolutio Quæstionis principalis, An Fratres de Communitate & Conuentuales ante tempus Leonis X. ad vniuersalem Ordinis Fraternitatem pertinuerint? pag.501

Q.5. An Regularis Obseruantia tempore Leonis X. Vnita ad vniuersalem Fraternitatem Ordinis pertineant? pag.502

Q.6. An Conuentuales post Leonem X. pertineant ad vniuersalem Ordinis Fraternitatem? pag.508.

Q.7. An Congregatio Fratrum Minorum Capuccinorum ad vniuersalem Ordinis Fratrenitatem pertineat? pag.511.

Q.8. An

Q. 8. An Fratres Recollecti siue Reformati Obseruantiæ Regularis ad hanc vniuersalem Ordinis Fraternitatem pertineant? pag. 515
Tit. De Electione Generalis Ministri. pag. 521
Q. 1. An Minister Generalis debeat esse perpetuus? ibidem.
Q. 2. A quibus, vbi; & quandò eligi debeat Minister Generalis? pag. 522
Tit. De depositione Generalis Ministri. pag. 524
Q. Quæ requirantur ad depositionem Ministri Generalis? pag. 525
Tit. De Capitulis Prouincialibus. pag. 526
Q. 1. An quæ de Capitulis Prouincialibus à Clemente V. & aliis Pontificibus ordinata sunt obligent ad mortale? ibidem.
Q. 2. Quæ sint Regularia nomina superiorum Ordinis? pag. 527

Ad Caput IX. Regulæ.

Tit. De approbatione Prædicatorum per Episcopos. pag. 529
Q. 1. An ex vi Regulæ debeant Prædicatores Ordinis Minorum ab Episcopis approbari? ibidem.
Q. 2. An nunquam liceat Fratribus Minoribus prædicare contradicente Episcopo? pag. 531
Tit. De approbatione Prædicatorum per Superiores Ordinis. pag. 533
Q. 1. An solus Generalis possit Prædicatores approbare? ibidem.
Q. 2. An qui Fratres ad Prædicationes admittunt teneantur eos examinare? pag. 535
Tit. De forma congruæ Prædicationis. pag. 536
Q. Qualiter Fratres debeant prædicare? ibidem.

Ad

Ad Caput X. Regulæ.

Tit. 1. *De Officio Prælatorum & Superiorum Ordinis.* pag. 538
Q. 1. Quæ sint Officia Superiorum Ordinis? ibidem
Q. 2. An Superiores Ordinis teneantur sub peccato mortali ex vi Regulæ subditos Visitare, monere corrigere, &c. pag. 541
Tit. 2. *De præcepto in genter.* pag. 543
Q. 1. Quotuplicia sint præcepta Fratres Minores specialiter concernentia? ibidem.
Q. 2. Quæ dicantur præcepta Regulæ? pag. 544
Q. 3. Quæ dicantur præcepta declarationum siue Constitutionum? ibidem.
Q. 4. Quæ dicantur præcepta Superiorum simplicis mandati? pag. 545
Q. 5. Quid sit præceptum per modum Legis & statuti? ibidem.
Q. 6. Quæ dicantur præcepta secundum Regulam, contra Regulam, præter Regulam, supra Regulam? pag. 546.
Tit. 1. *De præceptorum Regulæ obligatione & eorum dispensatione.* pag. 547
Q. 1. An trangressio quorumlibet præceptorum vel æquipollentium Regulæ, sit semper mortalis? pag. 548.
Q. 2. An Papa possit dispensare in præceptis Regulæ Fratrum Minorum? pag. 553
Q. 3. An superiores Ordinis possint dispensare in præceptis Regulæ? pag. 555
Regulæ dispensationum pro Prælatis. pag. 563.
Tit. 2. *De Præceptis Declarationum Papalium.* pag. 566.

Q. An sint aliqua Precepta in Declarationibus Pontificum quæ Fratres Minores obligent ad peccatum mortale? ibidem.
Tit. 2. De Præcepto Supriorum. pag. 567
Q. 1. An Superiores possint subditis imponere aliquod præceptum ad mortale obligans, præter ea quæ in Regulâ continentur? ibidem.
Q. 2. Quæ dicatur materia grauis? pag. 568
Q. 3. Quæ requirantur vt præceptum Superioris censeatur obligare ad peccatũ mortale? pag. 571
Tit. 4. De Obligatione Statutorum Ordinis. 573.
Q. An Statuta Ordinis obligent ad culpam mortalem? ibidem.
Tit. 5. De Præceptorum, contra, præter, supra Regulam obligatione. pag. 574
Q. 1. An Præcepta contrà Regulam obligent? ibid.
Q. 2. An præcepta suprà vel præter Regulam facta obligent. pag. 475
Q. 3. An Regulæ libertates & dispensationes sub præcepto imponi possint, & an imposita obligent? pag. 576
Tit. 6. De Obedientia Subditorum. pag. 578
Q. In quibus teneantur Fratres Minores Superioribus obedire? ibidem.
Tit. 1. De recursu ad Ministros pro Regulæ Obseruantia. pag. 580
Q. 1. Quæ requirantur, vt subditus teneatur recurrere ad Ministros pro Regulæ Obseruantia? ibidẽ.
Q. 2. An necessarius sit recursus ad Ministrum Prouincialem simpliciter? pag. 583
Q. 3. An debeat esse recursus personalis? ibidem.
Tit. 1. De Fratrum recurrentium receptione per Ministros. pag. 585
Q. Qualiter Ministri debeant recipere Fratres, ad se recurrentes pro Regulæ Obseruantia? ibid.

Titul. 1. De studio litterarum & Oratione. pag. 587.

Q. 1. An liceat Fratribus Minoribus intendere studio litterarum? ibidem.

Q. 2. An Oratio mentalis præcipiatur Fratribus Minoribus? pag. 591

In Caput XI.

Titul. 1. De suspectis consortiis & consiliis: pag. 593.

Q. 1. Quid prohibeatur nomine suspecti consortij & consilij? ibidem.

Q. 2. Quod consortium aut consilium dicatur merito suspicionem generare? pag. 596

Tit. 1. De ingressu Monasteriorum Monialium. pag. 598.

Q. 1. Quid intelligatur nomine ingressus? ibidem.

Q. 2. Quid intelligatur nomine Monasterij? 602

Q. 3. Quid intelligat Regula nomine Monacharum? pag. 604

Q. 4. An præter præceptum Regulæ aliis prohibitionibus Fratres ab ingressu Monasteriorum Monialium arceantur? pag. 606

Q. 5. An Fratribus Minoribus licitum sit in aliquibus casibus ingredi Monasteria Monialium? pag. 607.

Tit. 2. De Accessu ad exteriora lca Monasterij. pag. 609.

Q. An speciali aliquo præcepto prohibeatur Fratribus Minoribus accessus ad loca exteriora Monasteriorum Monialium? ibidem.

Tit. 1. De Compaternitate. pag. 616

Q. An per hoc præceptum omnis Compaternitas Fratribus Minorbus prohibeatur? ibidem.

In Caput XII.

Tit. 1. *De Mißione Fratrum ad Infideles pag* 618

Q. 1. An Fratres volentes ire ad infideles teneantur petere Licentiam à suis Ministris? ibidem.

Q. 2. Quæ idoneitas in Fratre Minore requiratur, vt ad infideles mittatur? pag. 619

Tit. 1. *De Protectore Ordinis.* *pag.* 620.

Q. 1. An omnes & singuli Ministri teneantur petere Protectorem? ibidem.

Q. 2. Quæ sit auctoritas Protectoris in Ordinem? pag. 622.

FINIS.

Errata.

Fol. 3. l. 11. pro pennatibus, pennatis. f. 98. l. 6. loco, modo. l. 25. ligitiis, litigiis. f. 112. l. 16. per Epikeam. f. 131. l. 15. si, sicut. f. 141. l. 16. superfluus *adde* tumor. f. 171. l. 21. Fratres *adde* non. f. 212. l. 28. *pro* facere, recipere. f. 2, 2. recipere, repetere. f. 279. l. 9. Mutu, Mutuo. f. 283. Quando, Quomodo. f. 289. l. 17. manu *adde* donantis. f. 426. l. 19. ergo *adde* non. f. 439. l. 5. veracius, Veracruz. f. 486. l. 8. præposuit, postposuit. f. 611. l. 24. multum, nullum. f. 623. l. 7. ordinis *adde* constituit.